



John W. Storer



ERASMI. FROELICH.
SOCIETATIS. JESU.
QUATUOR. TENTAMINA.
IN. RE.
NUMARIA. VETERE.

I. Dissertatio Compendiaria de Utilitate Rei Numariæ Veteris.

II. Appendicula ad Numos Coloniarum Romanarum, a cl. Vaillantio editos.

III. Appendicula ad Numos Urbium, Græce loquentium, sub Augustis percussos, & a laudato Vaillantio vulgatos.

IV. Dissertatio de Numis, Monetariorum Veterum culpa, vitiosis.

EDITIO. ALTERA.

Ab Auctore recognita,

Multis locis, Numisque locupletata.

VIENNÆ AUSTRIÆ, typis Mariæ Theresiæ Voigtin Viduæ, Universitatis Typographæ, Anno M. DCC. XXXVII.



SERENISSIMO. ET. REGIO. PRINCIPI. FRANCISCO. III. DVCI. LOTHARINGIÆ. *ET.* BARRI. &c. &c.

TVAS. TIBI. *delicias offero*, SERENISSIME. DVX. *Antiqua Numismata. Magnus ille* TVVS. *vereque Regius Animus, etiam, dum a gravioribus divertit curis, gravibus, eruditis, Augustis sese oblectationibus reficit.*

Servas apud TE. *veluti domestica gaudia, ac Tanto Principe digna, veteres Orbis Moderatorum Numos; illic intueri amas Summorum Principum vultus, & Regiarum Virtutum symbola: Victoriarum, ac Meritorum in Rem Publicam monumenta avidus legis, olim Ipse, & jam nunc quoque, sæpe legendus.*

Sane, si, quæ olim tenuit, hodie perinde vigeret, multa, variaque in honorem Magnorum Principum Numismata cudendi consvetudo; jam dudum TVIS. *in Monetis se se ostentasset* SPES. AVG. & SPES. REI. PVBLICAE. *tum* SALVS. PROVINCIARVM. & FELICITAS. TEMPORVM. *atque inde exorta.* HILARITAS. POPVLI. & BEATA. TRANQVILLITAS. *Commendaretur profecto* TVIS. *in Numis insignis illa* TVA, & *avita* RELIGIO, *ac* PIETAS. *Singularis item* MODERATIONI. *atque* CLEMENTIAE. *laudis epigraphe tribueretur. Porro autem* TVA *illa* MVNIFICENTIA. & MAGNIFICENTIA. TVA *item* PROVIDENTIA. & SAPIENTIA. & *harum Comites* AEQVITAS. & IVSTITIA. *in auro, argentoque,*

adsig-

adſignatis Lotharingiæ Sceptro Pannoniæ Faſcibus, reſplenderent.

Ego quoque ſingulari in me INDVLGENTIAE. OPTIMI. PRINCIPIS. *Numiſma inſcriberem, cujus benevolentiſſimo Permiſſu mihi licuit. Tanti Principis Sereniſſimum, Regiumque Nomen exiguo huic libro præfigere; ut ejusdem ſplendore illuſtrata juvaretur obſcuritas mea, minusque jam lucem publicam, hoc Bono Sidere freta, reformidaret.*

Illa me quoque ſpes confirmat: eſſe in hac mea opella quædam, quæ, cum REGIÆ. CELSITVDINI. TVÆ. *placitura credam; majorem ſint mihi, quam fautorum, ſi qui fuerint, benigni calculi, & magis pretioſam gaudii, honorisque materiem præbitura.*

TIBI. *vero, quis ambigat, volupe futurum,* DVX. SERENISSIME. *Urbium illarum vetuſtiſſima, certaque monumenta in hiſce Numis noſtris ob oculos habere, quas in Mœſia, Thracia, Aſia minore, Palæſtina, & Ægypto, Infenſiſſimis Chriſtianæ Rei hoſtibus qua eripuere, qua ereptas inte-*

gris cum Regnis possedere Invicti illi e Serenissima Lotharingica Stirpe Duces, & Heroës, Majores TVI, *æterna memoria dignissimi.*

Atque ad instaurandos priscos illos, adversus Religionis nostræ hostes, & admirabiles progressus, dimidio fere abhinc sæculo felicissime viam jam aperuit, Magnus ille Christiani orbis Heros, & Belli Ducum gloria, CAROLVS. *Avus* TVVS. *qui soluta Viennæ Obsidione, Buda expugnata, Barbaris ad Mohacsium insigni clade attritis, Austriaci, atque una Orthodoxi Imperii fines quam latissime protulit.*

DEVS Optimus Maximus id votis nostris concedat: ut AVGVSTI. SOCERI. TVI. *& vere* PATRIS. *Auspiciis, & felicibus armis avitorum* TIBI. *quoque Regnorum justa possessio adseratur.*

Ita fiet, ut Majores TVOS. *immortali nominis fama Illustrissimos, quorum Virtutes strenue æmularis, felicitate quoque exæques, aut etiam præcellas.*

Quo,

Quo, aliisque beatissimæ Sortis muneribus ut cum SERENISSIMA. CONIVGE. TVA. *incomparabili illa Germaniæ Gemma, & Austriæ Ocello, quam longissimam ætatem, ad Catholicæ, Publicæque Rei maxima commoda, constanter perfruaris; ego, cum bonis omnibus, & cum Sociis præsertim meis, Divinam Majestatem ardentibus votis, precibusque identidem orare, dum exorem, nullo vitæ meæ tempore omittam.*

REGIÆ SERENITATIS
VESTRÆ

Infimus in Christo Servus
Erasmus Frœlich S. J.

FA-

FACULTAS
R. P. *Præpositi Provincialis Soc. JESU* *per Austriæ Provinciam.*

EGo Wilibaldus Krieger, Societatis JESU per Austriæ Provinciam Præpositus Provincialis, Potestate mihi facta ab Admodum Reverendo Patre Nostro Francisco Retz, Præposito Generali, facultatem concedo, ut Liber, cui Titulus: Quatuor Tentamina in Re Numaria Vetere, ab Erasmo Frœlich, ejusdem Societatis Sacerdote compositus, & a Revisoribus memoratæ Societatis approbatus, typis mandetur. In quorum fidem hoc testimonium, manu propria subscriptum, meique officii sigillo munitum dederam Viennæ, 8. Aprilis 1737.

WILIBALDUS KRIEGER,
Soc. JESU qui supra.

AD



AD LECTOREM.

TEntamina hæc ut succisivis horis conscriberem, ac publicæ luci, tribus deinceps Libellis, committere auderem, animos mihi, & sumptus primum, iterumque suffecit R. P. LUDOVICUS DEBIEL e Soc. Jesu: ad postremum Tentamen idem contulit R. P. SEBASTIANUS KAYSER, ex eadem Societate, ambo Viri, bonarum literarum amantes perinde, ac egregie periti. Hi, dum in Antiquissima Academia Viennensi bene meritos Discipulos Philosophica lauro condecorarent; Libellos istos Illustrissimorum, & Perillustrium Neo-Magistrorum, & Baccalaureorum, uti nominant, honoribus inscribendos curaverunt.

Ad alteram hanc editionem adornandam, præter auctoritatem, & subsidia eorum, quorum nutus imperii loco habeo, atque Amicorum cohortationes, id etiam me adduxit: haud pauca interea temporis numismata antiqua Granelliano Cimelio accessisse, Græca præcipue, quæ incremento non contem-

)(nen-

nendo amplificare, & adiuvare hæc mea Tentamina possent.

Cimelium istud, cujus numismata, æri incisa, exhibeo, diuturnis curis, ac pertinaci industria conquisivit R. P. CAROLUS GRANELLI e Soc. JESU. AMALIÆ. AUG. a Sacris Confessionibus; idemque amplissima illa, qua pollet, eruditione, ac profunda doctrina, acerrimoque judicio, collectos ab se, perspectosque numos pulcerrimum in ordinem digessit. Viro huic non modo numos ipsos, benigne exhibitos, & suggesta identidem præclara monita; sed ipsam in Re Numaria Vetere institutionem me maximam partem debere, lubens merito profiteor.

Dissertationem Compendiariam de Utilitate Rei Numariæ Veteris, quæ primum Tentamen efficit, idcirco conscripseram; quod scirem esse homines, qui crederent: numorum veterum cognitionem, ad eruditam oblectationem potius, quam ad insignem aliquam in Re Literaria utilitatem pertinere; de quibus tamen polliceri mihi vix poteram: fore aliquando, ut Eruditissimi SPANHEMII librum celeberrimum, sed prolixum, de Usu, ac Præstantia Numismatum Antiquorum conscriptum, studiose perlegerent, atque ita denique æquiorem hac de re ferre sententiam discerent.

Novi vix quidquam, hic certe, prolatum fuit, quod

quod quidem tale Lectori, in Antiquariorum Libris nonnihil versato, videri possit; Tironum quippe hæc sunt stimulo, & utilitati conscripta. Eadem fortassis Eruditis quoque haud ingrata propterea accident; quod in opella hac, uno velut obtutu, sistere sibi ob oculos, & revocare in memoriam ea possint, quorum, quia magno labore fuit comparata notitia, dulce est meminisse. Pleraque omnia, quibus hæc Dissertatio constat, fateor, me Viris Doctissimis, ANTONIO AUGUSTINO, NORISIO, SPANHEMIO, VAILLANTIO, HARDUINO, JOBERTO in acceptis referre oportere.

In hac altera editione, præter minora quædam additamenta, Chronologica accessione hæc Dissertatio facta est locupletior: Æras quippe prope omnes, quæ in Regionum, & Urbium veteribus numis hactenus lectæ, & intellectæ sunt, ex NORISIO, VAILLANTIO, HARDUINO, & numis nostris collectas, atque inter se collatas, quam potui, commodissimo isthic compendio proposui. Erunt fortasse, qui ad singula hujus Dissertationis capita appositos numorum iconismos desiderent. Verum, quoniam bene multa suppleri ex utraque Appendicula possent, & extarent id genus iconismi in aliorum libris; nolebam opellæ meæ pretium novum numis non novis conciliare.

Tentamen alterum definitur Appendicula ad

Numos Coloniarum Romanarum, a CL. VAILLANTIO editos. Appendiculæ hujus prior editio quinquaginta, hæc nova, denis plures, Coloniarum numos exhibet: quos inter sunt nonnulli egregia raritate pretiosi, & majore consideratione digni. Ejusmodi sunt: Neronis, cum Octavia, Sinopensis, & alii ejusdem Urbis: Juliæ Aquiliæ bini: Cornelii Gallieni, & Claudii Gothici singuli Antiocheni: Philippi Patris Bostrensis, in quo ΔΟΥϹΑΡΙΑ. Gallieni Iconiensis, cujus urbis nulla apud VAILLANTIUM mentio: duo Viminacienses numi, aversæ partis typis, hactenus non prolatis, & Dacici totidem, ejuscemodi annorum notis insignes. Maximini, & Maximi singuli Antiocheni, aliique, quorum raritatem, ac pretium Eruditus Lector agnoscet.

Singulorum numorum utraque facies, æri incisa, adjungitur: in quibus, aliisque numorum iconismis exhibendis, fateor, plus fidei, ne quis in epigraphen, aut in figuram error irreperet, qui Rei Antiquariæ obesset, quam elegantiæ esse datum.

In tertio Tentamine, quod est Appendicula ad numos Augustorum, ab urbibus, Græce loquentibus, cusos, & a laudato VAILLANTIO vulgatos, plura producuntur, e numis veteribus hactenus, quod sciam, non detecta. Appendiculæ huic, quæ primum numis quinquaginta supra ducentos constabat, satis amplæ interea temporis, ut pro unico, privatoque Cimelio,

medio, opes accessere, quibus numismatum numerus, si Auctarium, sub finem adiectum, computem, ultra tercentesimum, ac tricesimum excrevit. Singulorum iconismi, quos aliqua varietas distinguit, expositioni sunt præfixi.

Videor mihi e pretiosis hisce Antiquitatis reliquiis nonnulla eruisse, quæ ad Historiam, Chronologiam, Geographiam veterem, Mythologiam, totiusque Rei Numariæ Veteris cognitionem illustrandam, & provehendam aliquid momenti habeant. Ex his namque proferuntur Urbium Nomina, & Magistratus, Epochæ, & Situs, variæque posticæ numorum partis Inscriptiones, & Figuræ: qualia apud VAILLANTIUM, & alios fortasse Antiquarios frustra quæras.

Ultimum denique Tentamen, nunc aliquod locis, & exemplis auctum, in Numos, Monetariorum Veterum culpa, vitiosos inquirit: atque illa potissimum vitia expendit, quæ turbarum aliquid invehere in Rem Literariam possent.

Est vero hæc materia haud levis in Re Antiquaria, & Historica momenti; qua caveri possit: ne quæ sunt reapse vitia, & Monetariorum errata, assumantur in Historiæ, & Chronologiæ instaurandæ, refingendæque instrumenta. Neque Auctorem quenquam mihi quidem videre licuit, qui hac de re ex professo scripsisset: paucos, qui, carptim, & velut aliud

agen-

agentes, de vitiosis ejusmodi veterum nümis mentionem iniecissent.

Si quando ab aliis Viris Doctissimis seorsum sentire me coëgit veritatis amor; id feci ea, qua me adversus tales Viros uti decuit, modestia, observantia, atque honorifica compellatione: quorum nempe ego Eruditionem, & illustria in Rem Literariam merita altum suspiciam.

Ego vero si quid peccavi, atque utinam raro! non animo malo, aut altercandi libidine (quæ duo a me procul arcere studeo) sed eruditionis, ac temporis defectu, benigne aut mone, aut indulge, Erudite Lector! ubi porro, quod non displiceat, quodque non inutile ad Rem Literariam putes, isthic forte aliquantulum repereris; una mecum DEO Optimo Maximo, bonorum omnium Fonti, grates, laudesque persolve, & Vale.





DISSERTATIO DE UTILITATE REI NUMARIÆ VETERIS.

CAPUT I.

De Numorum Veterum Ordine, & Utilitate ad Historiam.

NUmos veteres in quinque ordines dispescunt vetustatis periti. Primus Regum numos complectitur: Macedoniæ, Syriæ, Ægypti, Ponti, & aliorum. Alter Urbium, sive sui juris fuerint, sive Regibus, aut Augustis subjectæ. Tertius numismata exhibet, quæ Consularia vocant; quod ea etiam tempora comprehendant, quibus Consules Rempublicam Romanam obtinebant. Rectius tamen hæc familiarum Romanarum dicas, ad quarum seriem illustrandam plurimum conferunt. Quarta classis ex Augustorum, Augustarum, Cæsarum, & qui illos affinitate, aut sanguine attingerent, numis conficitur. Quinta denique est Heroum, Heroidum, Deorum, Dearumque, Conditorum urbis, atque aliorum, qui arte quapiam, aut meritis in patriam inclaruerunt. Quanquam numi isti referri etiam ad Regum, *Quinque Numorum ordines.*

Urbium, aut Augustorum ordinem possint; si alteram metalli faciem spectes. Utrimque enim signata sunt numismata; quorum facies *Adversa* ea dicitur, quæ caput, seu effigiem Regis, Augusti, Deive, aut illud denique ostendit, cujus seriem constituere tibi est in animo. Altera *Aversa* appellatur, in qua rerum, cum laude gestarum, atque alia sese symbola offerunt.

Metalli varietas. Metalli genus quod attinet, numi Regum, Urbium, Deorum æneí sunt fere, aut argentei: ex auro paucos reperias, præterquam, qui ad Macedoniæ Reges pertinent, & nonnullos alios. Consulares argento plurimi nitent: auro effulgent pauciores: ære Asses, atque Assis partes rigent, & alii subinde, Monetariorum nominibus insignes. Augustorum numismata auri, argenti, æris vim immensam conficiunt. Supersunt etiam numi vilioris metalli, quos argenti pellicula, seu crusta tenuissima, artificum ingeniosa fraus obduxit; hos *Subæratos*, *Pelliculatos*, aut *Incrustatos* dicas. *Serratos* porro argenteos vocant, quorum omnis circum limbus quasi serra incisus est, seu fraudis pelliculatorum detegendæ causa, seu potius ornatus; quando & æneos quosdam Syriacos simili incisura denticulatos tenemus. Rursum æneos alios argento tinxere duntaxat, *metallinas* nunc cum Italis nominant: id genus numi post Gallienum frequentes. Æris præterea flavescentis alios, alios rubro, quo Cyprium æs solet, colore videas, mixti metalli alios, quod Corinthiaci æris genus quoddam videri posset. Olim demum e ferro, plumbo, corio, atque aliis e rebus monetas confectas legimus; earum tamen, si qua superat, rara avis est.

Moduli ratio. Modulum, seu molem numorum si spectes, magni, mediocres, parvi secernuntur. Romanorum numi aurei, ac argentei parvi fere occurrunt: Græci, qui Regum, & Urbium sunt, magni etiam, & crassiusculi. Æneorum ex omni modulo copia est, quantam vix credas. Peculiaris

liaris item moduli, seu maxima numismata non pauca, Principum, ac eruditorum gazæ ostentant. Missilia hæc erant, non monetæ currentis genus: *Medaglioni* dicuntur Italis. Ex his ænea satis multa producuntur; minori numero aurea, & argentea itidem comparent: Regum tamen, ac Urbium ex argento satis frequentia sunt. Majorum numismatum genus aliud *contorniatos* compellant; quod eorum ora latior, tornatili velut limbo emineat, figuræ tamen mediæ humili sint cœlatura. Tertio Augustorum sæculo, circa Gallieni tempora numorum decor, ac modulus cum Imperii majestate imminui cœpit; atque adeo numorum moles non ad superiorum sæculorum modulum exigenda, sed isti temporum iniquitati contemperanda est. De Ordine Numorum, in quem ob typum, materiam, & modulum digeruntur, ad præviam tironum notitiam tantum.

De Numorum veterum utilitate ad Historiam, dum hic universe aliqua perstringam, ea nolim, de solis omnino numis, aut de pauculis, atque obiter inspectis, a me dicta quisquam existimet. Mutuas enim sibi operas numi & Historiarum scriptores præstant. Deinde, quomodo in Physicis, & Mathematicis una, & altera observatio ad formandum continuo systema non est satis; ita numos complures, ac probatæ vetustatis curate contemplari, quin & numum sæpe e multis unum nosse necesse est, atque sic demum Historiæ suppetias venire. Anselmum Bandurium audiamus, virum ab Historiæ, & antiquitatis peritia celebrem. Ita habet *præfat. tom. I. numismat. Imperat. a Decio ad Palæol. Movebat scilicet* (ad eam numorum seriem colligendam) *quod plurima in horum Cæsarum numis insignita erant, quorum ratio percipi non poterat, nisi inter se & cum Augustorum numis compararentur: veluti, quod in Constantii numis victoria Sarmatica commendaretur* &c. quæ *facile intelligebant, qui horum omnium numismata con-*

Quomodo numi prosint Historia.

 tresta-

trectaverant; alii ne conjectura quidem consequi poterant. Recto igitur numorum veterum usu, Historicos scriptores illustrari, conciliari, suppleri, atque emendari posse contendo.

Compensantur numis Historicorum defectus. Spissum illud FLAVII VOPISCI dictum est, *in Aureliano: Neminem scriptorum, quantum ad Historiam pertinet, non aliquid esse mentitum.* Ast illud verum, sed acerbum est: scriptores optimos magnam partem aut omnino non, aut mutilos, & lacunis intermissos ad nos pervenisse; aliorum opera, scribarum mendis obsita, vix medicam manum admittere: hos oscitantia, illos materiæ humilitate, alios privatis affectionibus labi potuisse; quin & sæpe lapsos fuisse, in aperto est, qui tot inter se pugnantia adferant. Malo huic mederi in primis numi veteres possunt. Nam quod ad ubertatem, ac magnitudinem rerum bello, ac pace gestarum spectat; in tot variorum numismatum acervis, quæ a tot Regibus, Urbibus, Populis, a gente Orbis Domina percussa sint, ultra dubitare, nugari est. Auctoritas porro, ac veritas ea constat, cui nec oscitantia, nec ignoratio, aut memoriæ lapsus offecerit. Signata quippe fuerant publica auctoritate, & Senatus Consulto: signata eodem, quo res gestæ sunt, tempore: signata singulari cum industria, quam admirandus artificum labor plerumque ipse testatam facit. Neque vero, privato affectu vitiatam hic gestorum veritatem fuisse, credibile est; ne de tam recentis, publicique mendacii impudentia totus orbis rideret.

Veterum & recentiorum sensus. Hæc talia cum secum reputaret R. P. JOANNES HARDUINUS S. J. *in Chronologia Vet. Test.* ita scribere non dubitavit: *Adjicimus subinde veteres numos, quorum testimonio afferri humanum certius nullum potest.* Idem veteribus sensus fuit. LIVIUS ipse *Lib. 4. C. 20.* & POLYBIUS *L. 3. C. 5.* dubiis in rebus, ad antiquas inscriptiones (quibus utique plenæ sunt veterum monetæ) se confugisse contestantur. Numos

vete-

veteres adhibuit Arrianus *in Periplo maris rubri;* ut verum erueret: utrum Barygazis ad Gangem usque Alexander M. penetrarit. Ita habet: Ἀφ᾽ οὗ μέχρι νῦν ἐν Βαρυγάζοις παλαιαὶ προχωροῦσι δραχμαὶ, γράμμασιν ἑλληνικοῖς ἐγκεχαραγμέναι. Ἐπίσημα τῶν μετ᾽ Ἀλέξανδρον βεβασιλευκότων Ἀπολλοδότου, καὶ Μενάνδρου. *Ex quo, ad hac usque tempora, in Barygazis antiqua Drachma reperiuntur, Graecis insculpta literis, cum insignibus Apollodoti, & Menandri, qui post Alexandri obitum illic regnarunt.* Mitto jam veteres; quando nostra etiam ætate viri, primi in Historia Ecclesiastica nominis, non defuerunt, qui antiquis e numis lucem, ac pondus suis scriptis arcesserent. Prætereo nunc alios; satis meam in rem argumenti habent ea, quæ incomparabilis Cardinalis Baronius in Annalibus, & in criticis ad eosdem animadversionibus doctissimus Pagius Historiæ subsidia e numis veterum non parce petierunt. Quid emolumenti ad Historiam antiqua numismata conferre possint, aliquid hactenus universe indicatum est: deinceps quid ad Romanæ historiæ utilitatem proprie e numis proveniat, bina capita ostendent.

Caput II.

Numorum Consularium, seu Familiarum Romanarum, ad Romanam Historiam Utilitas.

Romana inter numismata vetustissima habemus ex ære, quod, Servio Tullio Rege, teste Plinio *L. 33.* signari cœpit. *As* dicebatur libralis primum ex ære numus, cujus nota I vel ● cernitur: ea unam libram indicat. *As* duodecim unciis constabat; hinc *semis*, seu semi-as, sex uncias appendebat. *Triens* seu ⅓ assis, numus erat quatuor unciarum: *Quadrans* vero seu ¼ assis, qui tres uncias æquaret; unde & *Teruncius* dictus est. *Sextans*

De Asse & ejus partibus.

denique, numus, qui duas uncias seu ⅙ assis valeret. Igitur trientis signum ●●●●, quadrantis ●●●, sextantis ●● prisco in ære positum videmus. Æneis hisce numis primum pecudum formæ impressæ sunt, bovis, ovis, equi, suis, & rotæ currus; quasi testarentur primas opes, & pecuniæ vim, pecora, & agrorum culturam fuisse. Bello primo Punico, propter inopiam, As ad sextantem imminutus est, seu qui duas tantum uncias penderet. Hannibalis porro tempore uncialis numus pro asse erat, mox lege Papiria semiunciales Asses facti. Plura Harduinus *de Re monet. Vet. Rom.* Comparet in his deinde monetis prora navis, qua Saturnus in Italiam vectus est, item Caput Jani geminum: de his vide Ovidium *1. Fast. V. 229.* &c. tum in veteribus aliis Herculis clava, & cestus: alibi caput pileatum, aut Mercurii, aut Vindicii, qui Tarquinianam conjurationem detexit: alibi Delphinus Neptuno Sacer in ære exhibetur. Singularis vetustatis numum quinquessem, seu quinque librarum, oblongum, & bovis figura insignitum protulit *illustr.* Spanhemius *tom. 1. de præstantia & usu num. ant. dissert. 1.* quem ipse Parisiis in museo ad S. Genovesam vidisse se meminit.

Argentea moneta. Argentum Romæ signatum est quinque annis ante primum bellum Punicum Q. Ogulnio, & C. Fabio Consulibus anno V. C. 485. Fabii hujus numum Harduinus habuit ita inscriptum: C. FABI. C. F. EX A. PV. *Cajus Fabius Cai filius: ex argento publico.* Argentei numi alii Denarii dicti; quod decem asses valerent: eorum nota X vel ✳ decimum numerum denotat. Alii *Quinarii*, quia quinque assibus æstimati, litera Q, vel numerali nota V. signati sunt. *Sestertius*, quasi sesquitertius, numus dicitur, qui duos asses, cum semisse valet. Hinc ita notatur HS, vel H̶S vel IIS, id est: duo asses, & semis. Observatum illud est: cum sestertia neutro genere efferuntur, totidem millia indicari, quot numerus adjunctus

mo-

monades continet; ut Quina ſeſtertia; vel ſeſtertium, valent 5000. ſeſtertiorum. Dum vero numerus adverbio exprimitur; valet totidem centena millia. Sic decies ſeſtertium, conficit ſummam decies centenorum millium ſeſtertiorum; cujus rei exemplum in Auguſtorum numis afferetur. Reperiuntur etiam denarii notæ XVI. & quinarii VIII. qui tunc temporis totidem aſſibus, variato valore, mutati ſunt.

Argentei numi primum capite galeato Romæ, aut Caſtore & Polluce in equis, ſtella utriusque pileo imminente, ſignati ſunt; deinde bigis item, aut quadrigis: unde *bigati*, & *quadrigati* nominantur: *Victoriati*, quibus victoriæ ſimulacrum ineſſet; *Ratiti* vero apellati ſunt, qui ratem præ ſe ferrent, quales etiam æneï Quadrantes, & Trientes viſuntur. Subinde moneta argentea, pariterque aurea (quæ tertio decimo anno belli ſecundi Punici, qui fuit V. C. 547. percuſſa eſt) variarum rerum figuris, & Virorum illuſtrium nominibus, ac geſtis ſignatæ fulſerunt, præſertim inclinante Republica; quo tempore, & æneos complures Monetarii ſuis nominibus inſignivere, addito muneris indicio IIIVIR. A. A. A. F. F. *Triumvir auro, argento, ære flando, feriundo.* Paucula hæc præmonitum iſthic tironem oportuit; quæ tamen ipſa haud exiguum jam lumen ad Rei Romanæ notitiam affundunt. *Argenti & auri typus.*

Hiſtoriæ Romanæ, quæ ab exactis Regibus ad Auguſtos pertinet, invenuſta profecto ſors eſt; quippe cujus ſcriptores fere non novimus, niſi aut deperditos, aut mutilos. Mœſti inſpicimus Livii, ac Dionis hiatus: amiſſa, Attici, Hygini, Meſſalæ, Terentii Varronis, & commentariorum illorum, quorum Gellius *L. 10.* meminit, deſideramus monumenta; quando horum ope illuſtrari, & ordinata magis ſerie texi Romana poſſet hiſtoria: tot familiæ, tot virorum nomina, & facta egregia ab oblivione vindicari: Faſti denique Romani in meliorem formam redigi. *Hiſtoriographi numis ſuppleri debent.*

digi. Dolorem hunc magnam partem numiſmata antiqua, quæ Familiarum Romanarum dicimus, mitigarunt; his enim multa virorum, ac familiarum nomina, geſtos magiſtratus, & præclare patrata, memoriæ poſterorum adſerta, in acceptis referimus. De nominibus primum, tum de geſtis magiſtratibus, denique de factis illuſtribus e numis aliqua perſtringam.

Nominum Romanis uſitatorum diviſio. Tria fere Romanis, nobili genere oriundis, fuiſſe nomina conſtat. Primum *Prænomen*, quod habet quiddam affine illi, quod nos cum ſacro Baptiſmate ſortimur. Alterum *nomen* proprie dictum, quod gentem, ſeu familiam notat. Tertium *cognomen*, aut *agnomen*, quod variis ex eventibus, cauſisque deſumptum plures ejusdem familiæ, eodem etiam prænomine uſos, diſcerneret.

Prænomina. Prænomina cum alia multa e numis Familiarum condiſcimus, tum illa, quæ familiis nonnullis erant propria; atque adeo, ad ipſa eruenda nomina, facem præferre poſſunt; quandoquidem nec omnia tria nomina, nec eo, quomodo diximus, ordine in numis, librisque perpetuo comparent. Itaque e numis conſtat: gentem *Domitiam* Ænobarborum ſola prænomina CN. aut L. *Cnei.* aut *Lucii* uſurpaſſe: *Aquiliam*, ſeu *Aciliam* pronomine Ꟶ *Manii* gaviſam eſſe: *Sulpitiam*, SER. *Servii: Claudiam*, ſeu *Clodiam* AP. *Appii: Æmiliam* gentem MAM. *Mamerci* prænomen amaſſe; quod poſtremum etiam nominis loco deinde poſitum fuiſſe Æmiliorum numi oſtendunt. Prænomen N. *Numerius* Fabiæ genti familiare fuit, cujus e numo ita inſcripto: N. FABI. PICTOR. *Numerius Fabius Pictor.* Livii editiones *L. 37. c. 47. & 50.* corrigendas eſſe monuit Spanhemius; ubi habetur, *Q. Fabius Pictor*, nam in antiquioribus exemplaribus, loco Q. legebatur M.; ſed enim N. *Numerium* & non *Quinctum* vel *Marcum* ſcribi oportere numus evincit; cum alium hoc tempore Fabium Pictorem fingere non liceat. Id etiam numi nos monent:

ca-

eadem prænomina non raro ad filios, & nepotes transiisse: uti L. CAECILIVS. L. F. L. N. *Lucius Cæcilius Lucii filius, Lucii nepos.* AP. CLAVDIVS. AP. F. AP. N. Aliaque his similia.

Cognomina, ignota fere ante hac, ad quam familiam pertineant, numismata rursus commonstrant. Ita in Accoleja Familia Cognomen LARISCOLVS, in Canidia CRASSVS, in Considia PAETVS, detecta sunt &c. Sola etiam Cognomina nonnunquam in numis exprimuntur; ac tum ex aliis, ubi Familiæ nomen additur, dignoscuntur: ita TVRDVS ad Papiriam, BVRSIO ad Juliam, ACISCVLVS ad Valeriam gentem spectare animadversum est. Ipso etiam symbolo cognomina nonnunquam indicarunt: ita: Q. VOCONIVS. VITVLVS. cum vituli imagine; Valeriæ gentis, modo relatæ, inscriptio ACISCVLVS, cum acisculo comparet, quod est latomorum instrumentum, malleo simile. Ita Q. Pomponius Musa, Musam in numo exhibet: P. Accolejus Lariscolus, Phaëtontis sorores, in larices conversas: Poblicius Malleolus, malleum: L. Lucretius Trio, Septem stellas, Triones dictas: Furius Crassipes, pedem: Scarpus manum, quæ Græcis κάρπος: Florus florem: Acilius, Salutis simulacrum; quod *Acilius* ab ἀκέομαι, vel ἀκέομαι derivatum fuisse crederetur. Offerunt sese etiam bina Cognomina absque nomine, cum Prænomine tamen; ut Q. METEL. MACEDONIC. *Quinctus Metellus Macedonicus*, qui fuit de gente Cæcilia: L. PISO. FRVGI. de Calpurnia; atque alia similia. Id quidem eo factum, quod in eadem gente, quæ fecunditate accresceret, Cognomina varia, novas stirpes subnatas discernebant, atque ita, quæ Cognomina antea essent, in Nomina jam assumerentur. Talia in numismatis observantur ex Æmilia gente, PAVLLVS. LEPIDVS. REGILLVS. SCAVRVS. BVCA. e Sempronia, GRACCVS. e Claudia, NERO. PVLCHER. MARCELLVS. Cognomen.

LVS. e Cornelia, COSSVS. LENTVLVS. SVLLA. CETHEGVS. SCIPIO. &c. qui Scipiones e ſuis cognominibus honorum, aliisve, novas rurſum ſtirpes ſuffecere: AFRICANORVM. ASIAGENVM. HISPALORVM. NASICARVM. SERAPIONVM.

Idem etiam vocabulum alterius familiæ quandoque cognomen, alterius prænomen legitur. L. ÆMIL. M. F. PAVLLVS. *Lucius Æmilius Marci filius, Paullus.* Hic Paullus, Æmiliæ cognomen eſt. In alio PAVLLVS. LEPIDVS. Hic Paullus prænominis loco eſt. Tum hæc etiam: PRIMVS. SECVND. TERTIVS. QVARTVS. Q. QVINTVS. D. DECIMVS. prænominum alias, alias cognominum vicem ſubeunt. Dum vero e ſua, in aliam familiam quis adlectus eſt, nomen veteris familiæ ſuæ, ex qua adoptatus eſt, tanquam cognomen adjungebat, mutata fere terminatione ex *us* in *ianus;* Nomen vero familiæ, in quam adoptabatur, Nominis proprii loco ponebat. Ita e numis etiam, quam quis in familiam, & ex qua adlectus ſit, pateſcit; qui id genus vocabula integre etiam ſcripta referunt: A. LICINIVS. NERVA. SILIANVS. e Silia gente in Liciniam: CN. LENTVLVS. CLODIANVS. e Clodia in Corneliam Lentulorum adoptatus eſſe noſcitur. Vide etiam DIONEM *L. 46.*

Nomina propria. Nomina porro, ſeu propria gentium, aut familiarum vocabula non modo plurima e numis ſuppetunt; ſed, quod caput eſt, illa etiam, de quibus altum apud hiſtoricos ſilentium: & item illa, quæ, effigie addita, gentis originem produnt. In unica Fulvii Urſini numorum Conſularium collectione Familiæ Romanæ, quas in ſcriptoribus fruſtra quæras, detectæ ſunt: Cipia, Crepuſia, Durmia, Fabrinia, Sepulia. Patinus deinde Minciam, ac Trebaniam memoriæ poſterorum e numis reſtituit. Vaillantius è Coloniarum numis Alitiam, Aliariam, Aluſitiam, Braggiam, Lurinam, atque alias protulit. De Vatronia familia

milia, nostro in numo reperta, in Appendicula dicetur. Mitto quas antiquarii præterea, pene jam intermortuas, in lucem historiæ e prisco ære protraxerant; uti Accolejam, Calvisiam, Cordiam, Egnatulejam, Mœniam, Pinniam, atque alias. Originem autem gentis, quo pacto numorum effigies aperiant, e paucis conjice. In Pomponiæ gentis numis, Caput, & nomen NVMAE. POMPILI. legitur; nam teste PLUTARCHO *in Numa*, a Pomponio, Numæ filio, ea gens descendit. Ita in Tulliæ gentis numismate, SERVIVS. Tullius; in Marciæ, ANCVS Marcius, visuntur. Juliæ gentis moneta, Veneris, & item Æneæ, patrem tollentis, imagines exhibet, cujus filius Julus posteris nomen dedit. Priscorum vero Regum, aut Consulum capita hisce in numis expressa tiro cum viderit; caveat, eorundem tempore cusos ne credat: id seri nepotes pietatis, & memoriæ causa faciundum curaverunt.

Tandem e nominibus eluctamur. At enim, quando in eo pars Historiæ magna sita est: nosse, quinam, quo nomine, & quanam e gente fuerint, quorum præclare gesta enarrantur; temporis in nomina impensi minime pœnitet. Ad gestos magistratus gradum facio, quorum adeo longus ordo produci e numis posset; ut altero libello opus esset, si, quod quique, aut qua ex Familia, munus publicum administrarint, afferre vel præcipuos vellem. Brevitati cum studeam, enumerabo duntaxat magistratuum nomina; quæ tamen in numis, suis etiam honorum insignibus, armis, vestitu, præmiis, aut aliis denique symbolis egregie illustrantur. Objiciunt igitur hic sese Religionum antistites: PONTIFEX. MAXIMVS. AVGVR. cum suo lituo, qui baculus est, superne recurvus. QVINDECIMVIR. SACRIS. FACIVNDIS. FLAMEN. MARTIALIS. & QVIRINALIS. SEPTEMVIR. EPVLONVM. de quo alibi. Rursus Reipublicæ ordinarii Rectores intra urbem: CONSVL. cum lictorum fascige- *Magistratus gesti.*

 rorum,

rorum, aut ſolis faſcium iconibus. CENSOR. cum adducto ante tribunal equo. PRAETOR. AEDILIS. CVRVLIS. ſuis etiam ille faſcibus, hic Sella Curuli inſignes. Tum minores alii magiſtratus: AEDILIS.PLEBIS.QVAESTOR. VRBANVS. PRAEFECTVS.VRBIS.TRIVMVIR. & QVATVORVIR. A. A. A. F. F. PROTRIVMVIR. CVRATOR. DENARIORVM. FLANDORVM. Iterum magiſtratus extra Ordinem conſtituti: DICTATOR. TRIVMVIR. REIPVBLICAE CONSTITVENDAE. & AD. FRVMENTVM. EMVNDVM. Denique extra Urbem magiſtratus leguntur: IMPERATOR. PROCONSVL. PROPRAETOR. LEGATVS. AVGVSTI. LEGATVS. PROPRAETORE. QVAESTOR. PROCONSVL. PROQVAESTOR. TRIBVNVS. MILITVM. PRAEFECTVS. CLASSIS. ET. ORAE. MARITIMAE. TRIVMVIR. Coloniæ deducendæ, aut reficiendis Sacris ædibus. DVVMVIR. QVINQVENNALIS. qui Duumviri Cenſorum munere in Coloniis fungebantur.

Numi Hiſtorici. Verum non Magiſtratus tantum, alia etiam præclare geſta numi Familiarum ſuppeditant, quorum pauca quædam hic exempla adducam. Extat Æmiliæ gentis numiſma, in quo virilis perſona flectit genu, dextra oleæ ramum porrigit, ſiniſtra frænum adſtantis cameli moderatur. Inſcriptio: M. SCAVR. AED. CVR. EX. S. C. *Marcus Scaurus Ædilis Curulis, ex Senatus Conſulto.* Infra: REX. ARETAS. Scaurus nempe indicatur recepiſſe in fidem Populi Romani ſupplicem Aretam, Regem Arabiæ, cujus ſymbolum camelus eſt. Simili plane cum typo in alio numo occurrit BACCHIVS. IVDAEVS. Arabiæ item Regulus, aut Judææ Ethnarcha, de quo ſilent hiſtorici: nomen illius, cui ſe ſupplex Bacchius ſubmiſerat, altera ex parte legitur: A. PLAVTIVS. AED. CVR. S. C. *Aulus Plautius Ædilis Curulis, Senatus Conſulto.* Cornelii Sullæ numus, eundem in ſolio ſedentem exhibet, pone

Re-

Reges Numidiæ, & Mauritaniæ genua flectunt, nempe Bocchus, & Jugurtha; epigraphe: FELIX. quod cognomen ab Sulla assumptum esse, etiam veteres inscriptiones testantur. Aliud numisma nos intueri fingamus, in quo Victoria quadrigam urgens invehitur, quæ victoria fuerit, inscriptio clare docet: P. HVPSAEVS. AED. CVR. C. HVPSAE. COS. PREIVER. CAPTV. *Publius Hupsæus Ædilis Curulis, Cajo Hupsæo Consule Privernum Captum.* In Æmiliæ rursum gentis numo tres vincti propter tropæum adstant, ad quod vir togatus dextram extendit; inscriptio. PAVLLVS. TER. in alio simili L. PAVLLVS. Nempe Perseum Macedoniæ Regem cum duobus filiis ab Æmilio Paullo in triumphum abductos, atque ter triumphatum esse, numus ostendit; unde & Paullo huic Macedonici nomen accessit. Denique in Marci Lepidi numo, ipse repræsentatur, coronam imponens Ptolemæo Regi Ægypti, qui sceptrum cum insidente aquila gestat; epigraphe: TVTOR. REGIS. M. LEPIDVS. PONT. MAX. S. C. *Tutor Regis Marcus Lepidus, Pontifex Maximus, Senatus Consulto.*

Pauca hæc exempla, e nominibus familiarum, Magistratibus, aliisque gestis delibata indicium haud leve faciunt, quantum juvari Historia, ac Fasti Romani ex omni coævorum numismatum copia possint. Certe felix ille rerum Italicarum investigator Carolus Sigonius, & Onuphrius Panvinius, Fastorum veluti Pater, diserte professi sunt: ille Denariorum, iste omnis generis numorum ope, se plurimum profecisse. Iisdem usi sunt mediis, qui præterea ad Fastos, ac Historiam Romanam perpoliendos manus admoverunt: Hubertus Goltzius, Stephanus Vinandus Pighius, Eminentiss. Norisius in emendationibus ad Fastos, & in Epistola Consulari. Atque id causæ erat viris eruditissimis cur tanto studio numos familiarum conquirerent, ac eruditis animadversionibus ornatos, cum

Numorum familiarum collectores & interpretes.

literato orbe communicarent. Ingenti Historiæ emolumento Fulvii Ursini, Patini, Gorlæi, & Vaillantii Collectiones in lucem prodiere, Doctissimi Havercampii curis aliquantum auctæ. Neque defuere alii viri doctissimi, qui suam egregie symbolam huc conferrent: Antonius Augustinus, Spanhemius, Begerus, & nuper Liebeus in Gotha Numaria. Quid si Morellii collectionem integram mors viri solertissimi nobis non eripuisset? Quid si Christoph. Adamus Rupertus perficere potuisset opus, de cujus molitione ita ad Reinesium scripserat? *Et quantus numismatum numerus est, quæ nec ipsi* (Fulvio Ursino) *nec aliis tentata, spem certam mihi faciunt fore, ut in istis utiliter laborem, & in multis cibum sumam minime præmansum.* Nova nempe subsidia e numis adhuc Historia præstolatur, quorum ope illustratam eam esse, auctamque tum hactenus vidimus, tum ex Augustorum numis luculentius comprobabitur.

CAPUT III.

Ad Historiam Augustorum, eorundem numismata quid faciant?

Historia Augustorum numis adjuvanda.

COnsularia numismata numero perinde, atque typorum varietate, & majestate quadam longe inferiora sunt iis, quæ ad Augustorum seriem referuntur; adque idcirco Historiæ Augustæ uberior itidem isthinc utilitas provenit. Sane tot Orbis Dominatorum non jam sola nomina, titulosque, sed expressos ad vivum vultus, sed consignata gesta, honorum insignia, aliaque monumenta coram oculis usurpare; quantum jam sola hæc res ad figendam tot personarum, ac rerum illustrium memoriam habet momenti? Deinde recte coordinatam, & absolutam Augustorum, Augustarum, Cæsarum, atque his affi-

affinium seriem, historicorum veterum nemo est, qui æque præstare, ac veterum numismata, argentea præsertim, possint. Atque de illa quidem temporum conditione, qua sub tertii Augustorum sæculi medium Romana se haberet Historia, ita questus est R. P. BANDURIUS *loco supra citato: Sed cum plurima complectatur pene supra veri fidem, tum etiam destituta est historicis, aut scriptores plane nugaces, & imperitos nacta est, ex quibus nihil fere extundi potest, quo stirpium series illustretur, demonstreturve temporum ratio. Hoc incommodo maxime laborat Deciorum historia. Quæ Trajani Decii uxor fuerit, diu addubitatum est, nunc constat* (e Græcis numis, qui Herenniam cum Decio exhibent) *Herenniam Etruscillam fuisse, ex eoque matrimonio natum Herennium Etruscum.* Verum aliorum etiam temporum historicam seriem ex Augustorum prisco ære integrari posse, manifestius ut constet; argumenti loco quorundam nomina hic recensebo, quorum notitia veteribus numis, non historiographis debetur.

Vespasiani Aug. filius ΟΥΕΣΠΑΣΙΑΝΟΣ. ΝΕΩΤΕΡΟΣ. *Vespasianus Junior* e Smyrnæorum numismate ab Harduino prolatus est. Marcianam Trajani Sororem, ejusque filiam fuisse Matidiam, e numis, ac marmoribus innotuit. Antonino Pio binos filios tribuunt historici; sed quinam illi? alterum quidem numisma græcum nominat, in quo legitur: Μ. ΓΑΛΕΡΙΟΣ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΑΝΤΩΝ. ΥΙΟΣ. *Marcus Galerius Antoninus, Imperatoris Antonini filius.* Sallustiam Barbiam Orbianam Severi Alexandri uxorem fuisse, e similibus monumentis ostendit Vaillantius. Tranquillinam Gordiani Pii uxorem, *Furiam Sabiniam* compellatam esse: Hostilianum, hæc etiam habuisse nomina: *Cajus, Valens, Messius, Quintus*, e numis patuit; quorum ope itidem Decii filium fuisse Hostilianum, & cum Herennio fratre Cæsaris, ac Principis Juventutis titulo gavisum

Series Augustorum, numorum ope expleta.

visum esse, Bandurius demonstrare contendit. Gnea Cornelia Supera, non nisi e numis nota, a Vaillantio, & Comite Mediobarbo Valeriani junioris conjux declarata est; Posthumi vero, Junia Donata a Chifletio. Domitium Domitianum, quem ZOSIMUS *L. 1.* refert, in suspicionem rerum novarum cum aliis duobus ducibus Epitimio, & Urbano venisse, ac statim pœnas dedisse; numismata Augustum, & anno amplius imperium tenuisse, Patino, aliisque vadibus asserunt. Eadem instrumenta Marinianam Licinii Valeriani: Severinam Aureliani uxorem prodiderunt. Nimius ne sim, prætereo, quæ de Pacatiano Tyranno, de Severiano, Valerii Severi filio, de pluribus Constantinis, & Constantiis, de Constante Juniore, atque de Magnia Urbica, e numis antiquarii erudite eruerunt, aut probabili conjectura assecuti sunt.

De adversa facie numorum August.

Jam vero ad penitiorem Historiæ Augustæ notitiam, alia quædam, ex adversa, aversaque numorum parte decerpemus, quæ aut scitu magis necessaria, aut illustria occurrunt. Adversa igitur numorum istorum facies, Augustorum, Augustarum, Cæsarum, ac Tyrannorum caput, nomina, titulosque præ se fert, titulo etiam in alteram nonnunquam partem excurrente. Nomina quod attinet, nolo hic eorum Syllabum texere, qui prolixus nimium foret. Si rem compendio vis, GOLTZII *Thesaurum Rei Antiquariæ* consule. Ipsos etiam e numis expressos vultus, & brevem vitæ notitiam si præter nomina cupis, LAURENTII PATAROL præclarum opusculum adhibe, quod inscribitur: *Series Augustorum*, *Augustarum*, *Cæsarum*, *& Tyrannorum omnium* &c. Quod si præterea numorum latinorum (nam Græcos Vaillantius dederat) Augustam seriem, ordine chronologico digestam, quis petat; Comitis Mediobarbi opus, a Doctissimo Argelato auctum, & emendatum comparet. Raritatem porro docet Vaillantius

lantius in libro, cui titulus: *Numiſmata Imperatorum Romanorum præſtantiora.*

Tum ea, quæ de nominibus Romanorum in numis Familiarum dicta ſunt, huc etiam lumen aliquod adferre poſſunt. Id tamen hic monendus eſt tiro: quorundam Auguſtorum nomina, qualia vulgo circumferuntur, in veteri metallo nuſpiam deprehendi. Ita nunquam Caligula, ſed Cajus: nunquam Caracalla, aut Heliogabalus, ſeu rectius Elagabalus; ſed uterque: Marcus Aurelius Antoninus legitur. Nam altera illa, agnomina erant potius, quæ numorum majeſtas reſpuebat.

Ad Honorum titulos me converto, quorum præcipuos, qui in numis Auguſtorum reperiuntur, ipſorum fere numorum ope exponam; quandoquidem magnam Hiſtoriæ Auguſtæ, & Politici ſtatus partem horum cognitione illuſtrari exiſtimo.

De Titulis Auguſtorum &c.

IMP. *Imperator* in græcis ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Titulum hunc triplici notione ſumptum eſſe, numi etiam palam faciunt. Primo, cum quis belli gerendi Dux a Senatu renunciatus eſt ſemel, aut ſæpius; uti in familiarum numis legere eſt: ANTON. IMP. *Antonius Imperator.* SVLLA. IMPER. ITERVM. &c. ubi ipſa vox: ITERVM denotat, Imperium ſemel collatum abrogari, atque aliud conferri e Senatus arbitrio, dum Reſpublica valebat, potuiſſe. Deinde Imperatoris nomen, prænominis loco ab Auguſtis aſſumptum, perpetuum imperium ſignificat; uti frequentiſſime legere eſt: IMP. CAES. *Imperator Cæſar* &c. & quidem ſine ullo ITERVM, aut TERTIVM, quod perpetuitas has innovationes non recipit. Tertio cum τὸ Imperator præter prænominis locum etiam ad cognomina Auguſtorum adjungitur, uti: IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. IMP. XXI. *Imperator Cæſar, Divi filius, Auguſtus, Imperator viceſimum primum.* tum fere, addito etiam numero, denotat, quoties Auguſtus ille poſt victoriam ob-

tentam a militibus Imperator acclamatus, & ſalutatus ſit. Id quod declarat numorum talium typus averſus, ubi militum geſtientium figuræ, adſtante Auguſto, exhibentur; tum comprobat numerus ipſe ad IMP. adjectus: qui, cum etiam bellorum geſtorum, ac relatarum victoriarum quandoque numerum excedat, ad acclamationes iſtas referendus eſt. Ita in Valentiniani Tertii, itidem in Theodoſii numo legitur: IMPER. XXXXII. *Imperator quadrageſimum ſecundum* acclamatus.

CAES. vel C. *Cæſar.* ΚΑΙΣΑΡ. Ita ab Julio Cæſare (nam Juliæ gentis vetus id cognomen erat) dici deinceps Auguſti omnes voluerunt, etiam qui poſt Neronem ad alias familias pertinerent. In Auguſtorum numis plerumque nomini proprio præponitur IMP. CAES. aliquando vero ſubjungitur: CAES. AVG. Nomen Cæſaris item gerunt Auguſtorum Filii, Nepotes, Adoptati, & in Collegas deſignati, ſed præpoſitum nomini; uti GERMANICVS. CAESAR. qui erat Tiberii Auguſti ex fratre Druſo nepos, & a Tiberio adoptatus. Q. HER. ETR. MES. DECIVS. NOB. C. *Quintus Herennius Etruſcus Meſſius Decius Nobilis Cæſar.* Decii Auguſti filius &c. Titulus hic NOB. C. vel N. C. *nobilis*, vel *nobiliſſimus Cæſar*, a Philippo Juniore cœptus, tertio, & quarto ſæculo frequens occurrit. Cæſares, qui Auguſti non eſſent, nudo capite in numis fere exprimuntur: Auguſti lauro, aut corona radiata redimiti fere videntur. Primorum tamen Auguſtorum quidam, ut Octavianus Auguſtus, Tiberius, Otho, Hadrianus, & alii, capite nudo, aut, cum ſolo Cæſaris titulo, laureati comparent. Notio cognominis hujus CAESAR. aut ab aliquo ex matris utero cæſo, aut a cæſarie repetenda eſt, aut ab Elephante per quemdam Juliorum occiſo, tempore belli primi Punici. Numum affert ANTONIUS AUGUSTINUS *Dial. 3.* in quo Elephas anguem calcans, infra: CAESAR. quod vocabulum Punice ajunt elephantem ſignificare.

TRIB.

TRIB. POT. vel TR. POT. vel T. P. Tribunitia Potestate ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ. Ea potestas, cum sacrosancta haberetur, & legibus intercedendi jus daret, nunquam ab Augustis dimissa est. Attamen ut libertatis speciem omnem ne tollerent, eam quotannis sibimet innovabant; hinc crescentes Tribunitiæ Potestatis numeros, singulis imperii annis, numi exhibent. Collegam quoque Tribunitiæ Potestatis eum fere tantum sustinebant, quem sibi successorem designabant. Sic in Tiberii numo TRIB. POT. XXXIIX. legitur, cum tamen ipse annis non amplius viginti tribus rerum potitus fuerit. Nempe ab Octaviano Augusto jam antea in Collegam TRIB. POT. assumptus est. Quod & Hadriani numus apud Vaillantium repræsentat, in quo Trajanus, & Hadrianus dextras jungunt, cum epigraphe: TRIBVNITIA. POTESTAS. & in alterius simili typo. ADOPTIO. Unde a Trajano adoptatus, ac in consortium potestatis hujus adscitus Hadrianus colligitur. Titulus TRIB. POT. post Gallienum vix in numis amplius usurpatus est; atque in Constantino M. eundem expirasse putat Lipsius *de Mag. Vet. Pop. Rom. C. 15.*

COS. *Consul*. ΥΠΑΤΟΣ. vel ΟΥΠΑΤΟΣ. Notissimum hunc, & inter ordinarios magistratus supremum, Augusti continuum non gessere; quippe qui aliunde summam auctoritatem satis firmatam haberent. Numismata id etiam docent, in quibus nonnunquam idem gesti Consulatus numerus, cum accrescentibus usque Tribunitiæ Potestatis numeris adnotarur. Nam gesti Consulatus numerum tamdiu eundem, cum crescente singulis annis Trib. Pot. numero, adscribebant, donec rursum Consules fierent; quasi dicas: *Consul secundum, vel tertium &c. emeritus*: quod utique pluribus annis convenire potest. Ita exempli causa in Septimii Severi numis COS. III. *Consul tertium* conjungitur cum TRIB. POT. X. usque ad TR. POT. XVIII.

quod manifestat: eum interea temporis consulatu abstinuisse. Præterea cum consulatum Kalendis Januariis adire moris fuerit, Trib. Potestatem vero eo anni tempore sibi Principes innovarent, quo eam primum sumpsissent; potuit etiam hac de causa idem annus consulatus cum Trib. Potestatis diversis duobus conjungi.

PONT. MAX. vel P. M. *Pontifex Maximus*. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ. ΜΕΓΑΣ. vel ΜΕΓΙΣΤΟΣ. Religiosi hujus muneris erat, leges scriptas interpretari, ac cerimonias, & Sacra quæque supremo cum arbitrio moderari. Hunc magni momenti honorem, perpetuum retinuisse Augustos numismata etiam comprobant, in quibus PONT. MAX. titulus sine ullo iterationis numero consignatur. Sub tertii sæculi finem haud ita sæpe in ære adnotatus observatur; minime vero in Christianorum Cæsarum numis, qui eum detrectabant: uti peculiariter de Gratiano Aug. narrat Zosimus *L. 4.*

P. P. *Pater Patriæ* ΠΑΤΗΡ. ΠΑΤΡΙΔΟΣ. Titulo hoc se ornatum esse M. Tullius magnifice deprædicat. Eodem Julius Cæsar, ac post eum Augustus, tum reliqui in Imperio Successores ab Senatu compellati sunt. Ingentem hunc honorem, cui tamen nulla propria potestas adnexa erat, Tiberius initio pertinaciter recusavit, quod & numi commonstrant, qui eo titulo carent. Nero etiam primum abnuit, juvenilem ætatem causatus: mox tamen recepit, Suetonio teste. Vespasianum sero, Trajanum etiam invitum hunc titulum acceptasse, Suetonius, & Plinius in Panegyrico memorant. Sed numi hos redarguunt, qui Augustos illos primo, aut altero Imperii anno Patris Patriæ nomine insignes proponunt. Jam vero P. P. A. inferioribus sæculis legenda esse: *Perpetuus Augustus*, vel *Pius Perpetuus Augustus*, historicorum & veterum inscriptionum ope convenit.

PIVS. FEL. AVG. vel P. F. A. Pius, Felix, Augustus. ΕΥΣΕΒΗΣ. ΕΥΤΥΧΗΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. PIVS in nu-

numis Cæcilius Metellus, & Pompejus MAGNVS. PIVS. legitur. In Augustorum ære primum Antoninus PIVS appellatur; dein alii frequenter hoc cognomine usi sunt; quod utrum gentile nomen, an laudis titulus sit, variant sententiæ. FELIX. Sulla nominatus est, uti de ejus numo meminimus. Commodus Imperator, occiso Perenne, ut refert LAMPRIDIUS *in Com. C. 8.* ab Senatu Felix appellatus est; atque in ejusdem numis hic titulus primum, dein & in aliis Augustorum monetis legitur.

AVG. vel AV. vel A. *Augustus* ΣΕΒΑΣΤΟΣ. vel ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ. Commune hoc eorum cognomen esse novimus, qui post Octavianum Romæ principatum tenuere. Augusta vocabantur, teste OVIDIO 1. *Fast.* sacra quæque, & templa rite consecrata; hinc Augustos Sacros, & quasi viva templa dixeris. Titulus hic ab Octaviano primum, Romuli loco (quod nomen ei a Senatu offerebatur) susceptus, in reliquos manavit. Duos Augustos Collegas græci, ac latini numi primos sistunt M. Aurelium Antoninum, & L. Verum. Nam isthic utriusque Augusti aut caput, aut personas integras, additis etiam nominibus, ac titulis expressas, videre est. Augustorum denique Uxores, Matres, Sorores, ac Affines mulieres, Augustas etiam dictas esse e numis Marcianæ, Matidiæ, Juliæ Mamææ, atque uxorum copiosissimis aliis liquet.

AVG. etiam *Augur* legitur, sed raro. Id munus, ut in superstitioso populo, magni nominis fuisse Antonii numisma comprobat, in quo ipse jam IIIVIR. R. P. C. *Triumvir Rei Publicæ constituendæ*, tamen Auguris titulum fert; quin & in Julii Cæsaris jam consecrati numo lituus, Auguris ad auguria instituenda instrumentum, consignatus cernitur. In Augustorum ære signato Auguris nomen vix deprehendes, præterquam in Vespasiani, AVGVR. TRI. POT. & in græcis Titi, ac Domitiani ΟΙΩΝΙΣΤΗΣ. *Augur* legitur.

CENS. vel CE. *Censor.* ΤΕΙΜΗΤΗΣ. Magistratum hunc fastigium quoddam honorum Plutarchus nominat; nam censor, supremus vitæ, ac facultatum, cum ingenti potestate, inspector erat. Censoriam Potestatem quidem Augustus, & ejus in Imperio successores suscepere; Censoris titulum tamen non nisi Vespasianus, ejusque filii Titus, ac Domitianus in veteri metallo usurpasse animadvertuntur. Verum in specioso illo libertatis ludo Censoris personam sustinere alios etiam Augusti sinebant. Extat numisma L. Vitellii, qui erat Pater A. Vitellii, postea Augusti; in hoc caput laureatum Claudii Aug. refertur cum epigraphe: L. VITELLIVS. COS. III. CENS. S. C. *Lucius Vitellius, Consul tertium, Censor, Senatus Consulto.*

PROCOS. *Proconsul.* Id nomen olim summam belli potestatem, extra urbem, pro Consule administratam, notabat. Octavianus Aug. & successores, etsi re ipsa Proconsulis potestatem haberent, teste Dione *L. 58.*, aut Filiis, Collegisve Proconsulatum darent; is titulus tamen in Diocletiani numismate, nec ante comparet. Aliter ΑΝΘΥΠΑΤΟΣ. *Proconsul* Magistratum Provinciæ Proconsularis indicat, de quo alibi.

D. N. *Dominus noster.* Hic titulus circa Diocletiani tempora invaluit, uti e numis colligitur. Eundem Octavianus Aug. detestatus est; Cajus vero, & Domitianus ambivere quidem Domini appellationem; sed numis committere non sunt ausi. In Antiocheno Getæ numismate apud Vaillantium primum occurrit hic titulus: VICT. D. D. N. N. *Victoria Dominorum nostrorum:* videlicet Getæ, & Antonini Caracallæ. Dei denique titulum, cum illo *Domini* conjunctum (ut nunc Græcorum levitati suum ΘΕΟΣ. & ΗΡΩΣ conniveam) Aureliani, & Cari numis adulatio inscripsit: DEO. ET. DOMINO. NATO. AVRELIANO. in altero: DEO. ET. DOMINO. CARO. quas appellationes viventibus adhuc datas fuisse putat Spanhemius.

De

De DIVI. ΘΕΙΟΥ. titulo, post mortem dato, deque Apotheosi Augustorum alibi mentio fiet.

PRINC. IVVENT. *Princeps Juventutis.* Antiquum id, ac præcipuum Romanæ pueritiæ decus erat, quo ornabatur is, qui Trojam ludentibus nobilissimis pueris præerat. Is ludus ab ipso Ænea institutus, uti VIRG. *L. 5. Æn.* memorat, diutissime ab Romanis conservatus fuit. Augusti deinde filios, ac nepotes eo titulo cohonestarunt, quod ex istorum numis in promptu est: qui una declarant, eos ludos equestres fuisse; quoniam equestri statua plerumque Principes Juventutis effinguntur, uti: NERO. ET. DRVSVS. TITVS. DOMITIANVS. GETA. & alii. Quanquam aliquoties etiam inter militaria signa stantes exhibeantur, ut: COMMODVS. PHILIPPVS. VALERIANVS.

Cognomina honorum alia demum numaria penus subministrat, quæ cum totidem devictas gentes prædicent; historicam utilitatem per se ipsa eloquuntur. Hæc fere occurrunt: GERM. *Germanicus*, SARM. *Sarmaticus*, BRIT. *Britannicus*, DAC. *Dacicus*, ADIAB. *Adiabenicus*, ARM. *Armeniacus.* PERSICVS. GOTHICVS. nonnunquam adjecto: *Maximus*, ut PARTH. MAX. *Parthicus Maximus.* Peculiaria illa sunt, in græco, atque latino Volusiani numismate: IMP. C. C. VA. F. GAL. VEND. VOLVSIANO AVG. *Imperatori Cæsari Cajo, Vandalico, Finnico, Galendico, Vendenico Volusiano Augusto.* Hic nomina populorum indicantur, Sarmatiam incolentium; contra quos expeditionem sub Gallo, & Volusiano susceptam esse e ZOSIMO *L. 1.* colligitur. Illustrat & hic numus PTOLEMÆUM *L. 3. C. 7.* ubi similes Sarmatiæ populos enumerat. *Tituli a devictis gentibus.*

Jam titulorum satias tironem ceperit. Vertamus igitur numos, & quid ex aversa horum parte ad Historiam Augustam proveniat, tantisper indagemus. Verum id mihi etiam hic dolet, ob tantam materiæ ubertatem omit- *Pars aversa numorum Aug. quanta historia subministret.*

omittenda plura esse, quam vellem, & rei dignitas postularet. Quarum enim rerum hic non est consignata memoria, belli, an pacis tempore, domi, forisve, toto pene orbe gestarum? Magna illa licet, ast quoniam obvia in numis, & contrita sunt, silentio prætereo: Victorias, Triumphos, Sacrificia, Ludos, firmata Fœdera, Concordiam stabilitam, Pacem datam, aut partam: uti & frequentissima illa Neronis moneta Pacem totius Imperii egregie enarrat, in qua templum Jani clausum expressum est cum hac inscriptione: PACE. P. R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSIT. *Pace Populo Romano terra, marique parta, Janum clusit.* Neque de tot Exercituum, variis in terris militantium, numis, neque de aliis Legionum & Cohortium dicere hic vacat. Legionum certe in solis M. Antonii argenteis numis, viginti quatuor numerari solent; ac præterea sub Gallieno bene multæ suis etiam cum titulis, & insignibus non sine utili voluptate spectantur. De variis regionibus in potestatem Populi Rom. redactis, in Geographicis aliqua perstringam, & de Coloniis item, quarum plurima notitia numis debetur.

Hic igitur pauca carpam, quæ aut magnitudine se sua, aut peculiari ad historiam accessione commendant. Quid jam eo est illustrius, videre: queis gentibus Reges dederint Augusti? age sane videamus! In Trajani numismate, ipse sublimi in loco assidet, stante retro Præfecto Prætorii: Parthomaspaten, ad pedes suos assistentem, Trajanus protensa dextra Regem instituit, cum epigraphe: REX. PARTHIS. DATVS. In alio, Rex, genu flexo supplex comparet; pone legitur: REX. PARTHVS. Idem Trajanus alio in numo tres personas adstantes, e sublimi pegmate Reges renunciat; uti inscriptio fert: REGNA. ADSIGNATA. Simili in moneta Antoninus Pius effulget, ubi habetur: REX. ARMENIIS. DATVS. Illud porro Historicorum silentium egregie compensat, quod de

co-

eodem Antonino numisma prodidit, in quo Antoninus repræsentatur, barbaro adstanti dextram porrigens, cum epigraphe: REX. QVADIS. DATVS. Quadi populi Moraviam, & vicinam Austriæ partem incolebant.

Non vincere duntaxat populos, victisque adsignare Regna voluere Augusti; verum etiam parta tueri, ac detrimentum passa instaurare, iisdem curæ fuit. Tiberio imperante, multas Asiæ urbes terræ motu corruisse, Tacitus *L. 2. Ann. C. 47.* Strabo *L. 12.* aliique referunt. Eas urbes ab Tiberio instauratas, ejusdem numisma eloquitur, in quo Tiberius sedens, laureato capite exhibetur, dextra pateram, symbolum Pietatis tenens, sinistra hastam; cum epigraphe: CIVITATIBVS. ASIAE. RESTITVTIS.

Unius Hadriani numismata quot non id genus præconia afferunt? In his mulieris, uno genu nixæ, variæ occurrunt effigies; adstat Hadrianus, ac sublevandæ mulieri (quæ aliquam Provinciam, aut Urbem refert) dextram porrigit. Provincias porro inscriptio indicat: RESTITVTOR. ASIAE. item, AFRICAE. ARABIAE. ACHAIAE. GALLIAE. HISPANIAE. ITALIAE. MACEDONIAE. MAVRETANIAE. PHRYGIAE. SICILIAE. BITHYNIAE, & urbis NICOMEDIAE. quam etiam Eusebius *in Chronico* terræ motu collapsam, & ab Hadriano restitutam commemorat. His pariter e numis Hadriani profectiones colliguntur, quas plurimas ab Urbe instituit; quanquam eas alii numi expressis verbis referant: PROFECTIO AVG. & crebrius: ADVENT. AVG. *Adventus*, vel *Adventui Augusti*, addito etiam Provinciæ nomine, in quam advenerat, uti ARABIAE. ASIAE. &c. Post Hadrianum, M. Aurelius RESTITVTOR. ITALIAE. Lucius Verus ARMENIAE. & PARTHIAE. Gallienus, & Posthumus GALLIAE. in numis signati sunt: nec desunt, quibus RESTITVTOR. ORIENTIS. aut ORBIS. adscriptum reperias. Restitutoris titulus Augustis datus est; quod vel civilem

 disci-

disciplinam, vel leges, ac mores, vel splendorem Provinciæ, aliaque emolumenta in meliorem statum redegerint.

Munificentia Aug. exempla. Pacis fructus quam dulces Romanis Augusti nonnulli reddiderint, toties datum populo frumentum, aut tesseræ frumentariæ, aut pecuniæ distributæ, in numis declarant, in quibus typi fere modium, cum spicis, aut Imperatorem, e sublimi munera largientem, exhibent, aut figuram muliebrem stantem, quæ dextra tabellam attolit, in qua punctula aliquot videre est, tesserarum, aut munerum datorum valorem indicantia: est vero horum epigraphe: LIBERALITAS. AVG. vel PLEBEI. VRBANAE. FRVMENTO. CONSTITVTO. vel ABVNDANTIA. AVG. &c. In Elagabali numo, Sidone percusso, habetur modius, cum epigraphe: AETERNV. BENEFI. *Æternum beneficium.* nonnunquam numero addito, quoties repetita sit largitio, ut: LIB. III. *Liberalitas Tertia* &c. Peculiariter Donativa militum, aut populi, in numis, iisque rarioribus, CONGIARIVM inscripta cum elegantibus figuris occurrunt, etiam numero adjecto, uti CONG. II. DAT. POP. *Congiarium secundum datum populo.* CONG. AVG. VIIII. *Congiarium Augusti nonum*, & his similia.

Sed enim alia quædam, atque singularia illa munificentiæ Aug. exempla in veteri ære resplendent. Ab Cajo Augusto vectigal (quod *Ducentesima* dicebatur, aut a pecuniæ numero, aut a parte bonorum pendenda) benigne remissum esse, ejusdem Caji numus indicat; in cujus media area hæ notæ extant: R. CC. *Remissa Ducentesima.* Ducentesimam hanc a Tiberio impositam fuisse Tacitus *L. 2. Ann.* monuit. Similem Galbæ munificentiam bona historicorum pace nesciremus, nisi numismata ejusdem memoriam præstarent. In aversa horum parte arcus columnis ornatus assurgit, ad quem tres vincti debitores adstant, inscriptio: QVADRAGENSVMA. REMISSA. in

alio:

alio: XXXX. REMISSA. rursum in altero, in quo figura Romæ stantis: ROMA.R.XL. *Roma, remissa quadragesima*, seu *quadragensuma*.

E Nervæ numismate aliud beneficii genus, Augusta Justitia dignum, nobis innotuit. In eo palma arbor, Judææ symbolum, expressa cernitur, cum lemmate: FISCI. IVDAICI. CALVMNIA. SVBLATA. Domitianus, Nervæ decessor, acerbissime ab Judæis exegerat: ut didrachmum quotannis Jovi Capitolino singuli penderent, quem Titus gentis debellator pendi imperarat. Deferebantur tum, per Fiscalium exactorum calumniam, innocui multi alienigenæ, quasi, ne didrachmum solverent, Judaicam originem dissimularent. Eam calumniam igitur, moderatione adhibita, a Nerva sublatam fuisse, inscriptio innuit. Ea res a Dione Cassio *Lib. LXVIII. sub initium*, manifesto testimonio comprobatur.

Ejusdem Nervæ munificentia Italiæ incolæ magno onere absoluti sunt, numo iterum historici vicem subeunte. Signati in illo videntur muli duo soluti, inscriptio: VEHICVLATIONE. ITALIAE. REMISSA. Vehiculatio onus erat, quo ad promovenda suis jumentis vehicula publica Italiæ incolæ adstringebantur.

Hadriani denique singularis liberalitas minime tacita abibit. Hic fisco suo, aut ærario publico debita, quæ jam a sedecim annis solvenda restabant, simul omnia condonavit. Referunt id quidem historiographi; ast magnitudinem remissorum nominum exacte notatam numo debemus, in quo lictoris figura, læva fascem virgarum, dextra facem gestat, qua abjectam humi chartarum congeriem exurit. Explanatio circum oram inscripta est: RELIQVA. VETERA. HS. NOVIES. MILL. ABOLITA. *Reliqua vetera*, debita, *sestertium novies millies abolita*. Horum nominum, quæ ad solvendum reliqua fuerant, summa novies millies centena millia sestertiorum conficit;

cum *novies* adverbio expressum sit, uti supra diximus. Jam si sestertii unius pretium, grossum nostratem statuam, quod proximum vero esse puto; summa hæc conficit quadraginta quinque florenorum nostratium milliones: dignum Romano imperio debitum, & Imperatore donum. Atque vel idcirco aliud Hadriano numisma haud immerito inscriptum est: LOCVPLETATORI. ORBIS. TERRARVM. Finirem, nisi me Antonini Pii beneficentia, illustri Pietati conjuncta, moraretur, cujus testes sunt duo Faustinæ Senioris numi. Horum alter Antoninum in suggestu exhibet, adstante tritici modio: inferius puellæ circumstant, quas nempe Antoninus in honorem, ac memoriam Faustinæ uxoris suæ, jam inter Divas relatæ, munifice alebat; inscriptio: PVELLAE. FAVSTINIANAE. Altero in numo infans a muliere porrigitur alteri mulieri, in pegmate stanti; fortassis præsidi ejus parthenonis alumna offertur: inscriptio eadem.

Numismatum Aug. Collectores & interpretes.

Paucula hæc, e numis Augustorum decerpta, exempli, ac stimuli loco tironi sufficiant. Si vero (quod desidero ab eo, qui proficere cupit) his contentus minime sit; adeat eruditissimorum virorum elucubrationes, quæ post Æneæ Vici, Jacobi Stradæ, Sebastiani Erizzi, & Adolphi Occonis (qui integram Augustalium numorum seriem primus conscripsit) laudabiles conatus sese offerent. Offerent autem se opera, Augustorum ordinem numis, ac doctissimis interpretationibus illustrantia, Patini, Angeloni, Tristani, Mediobarbi, Begeri, Harduini, Vaillantii, Pedrusii cum continuatore suo Petro Piovene e S. J. Tum pro declinantis Imperii Augustis, Celeberrimi Du Cangii & Bandurii collectiones eruditam aviditatem explere poterunt. Si plures nosse desideras, qui sparsim, & quibusdam eruditis dissertationibus historiam Augustam e numis adjuverunt, Anselmi Bandurii Bibliothecam Numariam consule.

CAPUT

Caput IV.

Numismata Regum, & Urbium, atque alia, quid Chronologiæ serviant?

Veterum Regum historiam, & chronologicum, etiam Augustorum, ordinem non optime habuisse, ex ipsis scriptorum tenebris elucet. Ubi primum numorum veterum accessit studium, vidimus Regum series instauratas, & locupletiores, atque historias varias meliori temporum ordine digestas. Vaillantius certe Seleucidarum Imperium, seu Regum Syriæ historiam, pariterque Ægypti Regum, ad fidem numismatum accommodatam coordinavit. Quantos Chronologiæ nodos sagacissimus P. Harduinus in libro de numis Herodiadum, & de numis Populorum, & Urbium: item in Chronologia Veteris Testamenti dissuere agressus est? quot incerta Norisius in Epochis Syromacedonum, atque aliis in dissertationibus, numorum ope fecit, satis certa ut essent? Quid ad Regum collustrandos, & corrigendos ordines non præstiterunt, ut de aliis nunc sileam, eruditissimi viri Begerus, & Spanhemius? in quorum libris Regum numismata invenire est, non jam notiora illa Macedoniæ, Syriæ, Ægypti, Siciliæ; sed ista etiam: Regum Parthiæ, Edessæ, Thraciæ, Ponti, Bithyniæ, Cariæ, Cappadociæ &c. & quarundam Reginarum. In Begero præterea Pyrrhus Epirota, Nicoclia Heroina, Donnus alpium Regulus, Commius Atrebas, Indutiomarus Trevir, aliique suis quisque in numis conspiciuntur. Urbium deinde, græcarum inprimis, cum numerosissima jam habentur numismata, tum alia usque, aliaque inveniri compertum habeo. Vetera igitur tot instrumenta, qua ratione Chronologiæ subveniant, ut delibare quidpiam tiro possit, de

Chronologia numismatica illustratores.

numerorum notis præmittendum eſt aliquid, quibus anni in ære veteri ſignificantur.

Nota annorum in græcis numis. Græcis juxta, ac Hebræis in more eſſe ſcimus, ut numeros literis exprimant. Literis itaque, & majuſculis quidem græca numiſmata annos indicant, ita ut Α. valeat 1. Β. 2. Γ. 3. Δ. 4. Ε. 5. pro 6. ſingularis nota ϛ vel ϛ. aut, ut in Antiocheno ære ≃ interponitur. Deinde rurſum Ζ. valet 7. Η. 8. & Θ. 9. porro I. valet 10. K. 20. & ſic usque 90. cujus nota iterum inſititia eſt ϙ vel ϙ vel Ϥ vel ϛ, quæ formæ literam Koph, orientalibus populis familiarem, referunt. Pergitur denuo: Ρ. valet 100. Σ. 200. &c. litera Sigma poſt Domitianum fere perpetuo C. & non Σ. ſignata legitur; antea vero vix uno, alterove in numo C. ſed Σ. comparet. Synchronus Domitiano Martialis hujus Sigmatis C. meminit *L. 14. Epigr. 80. Lunata ſcriptum teſtudine ſigma.* Ipſum porro anni vocabulum, aut prorſus omittunt, poſitis tantum numerorum notis: ut ϛΜΡ. *anno* 146. aut litera L. indicant, quæ eſt initialis τῦ λυκάβαντος *anno.* ut: L. AI. λυκάβαντος ἑνδεκάτου, *anno undecimo.* De quo vocabulo Macrobius *L. 1. Saturn. Annum vetuſtiſſimi Græcorum λυκάβαντα appellant.* Litera L. potius quam Λ. (nam utraque græca eſt) uti voluerant; ne uſitatior jam illa Λ, quæ valet 30, cum numeris confunderetur. Idcirco etiam vocem ΕΤΟΥΣ *anno*, a multis loco λυκάβαντος uſurpatam, non ſola initiali litera E, quæ valet 5, conſignarunt; ſed ET. vel ETO. vel expreſſe ΕΤΟΥΣ. *Anno.* Literarum porro numeralium ordo, utcunque locentur, nihil turbat; non enim loco alligatus eſt valor, uti in Arabico-Indicis numeris, quibus hoc tempore utimur. Sic, ſeu ponas L. AI. ſeu L. IA. annus undecimus indicatur. Jam vero hi annorum numeri numis impreſſi aut indicant, quot annis quis regnum tenuerit; quod ad Regum ſeriem chronologicam conſtituendam plurimum confert: aut initium aliquod memoria dignum, quod Epocham, ſeu Æram dicunt, iisdem

dem notatur; unde deducere annorum computum Reges, aut Urbes cœperunt. De præcipuis numiſmatum epochis aliqua attingam.

Prima eſt Seleucidarum epocha, quæ anno ab Urbe condita Varroniano 442. ante æram Chriſtianam 312. incipit, quo Seleucus I. Syriæ Rex Media potitus eſt. Anteriorem hac æra numi certam non præſtant. Nam qui in Thraciæ Regum numis occurrunt numeri, in anteriora quidem tempora recedunt; aſt quorum incerta adhuc ratio. Aeram Perſicam vetuſtiſſimam in M. Aurelii numo, a Communi Lydiæ ſignato, quem in Appendicula expoſui, ſatis certo me deprehendiſſe exiſtimo. Pariter in eorum Regum ære, qui Alexandrum M. anteceſſerant, nec titulus ΒΑΣΙΛΕΥΣ. niſi in uno forte, alterove, nec numeri nota deprehenditur. Sic in vetuſtiſſimo Amyntæ Macedoniæ Regis numo, reperitur ΑΜΥΝΤΑ. cum figura equi, Theſſaliæ ſymbolo. In alio legitur: ΠΕΡΔΙΚΚΟΥ. etiam Macedonis ante Alexandrum M. In antiquiſſimo Samiorum numo: ΠΟΛΥΚΡΑ. Σ. Πολυκράτης Σαμίων. *Polycrates Samiorum* Tyrannus. Ipſius ſubinde Alexandri M. numiſmata literas quidem, quæ arithmologæ videntur, præ ſe ferunt; ſed quas ne Harduinus quidem, mirum illud, & perſpicax ingenium, interpretari eſt auſus.

Seleucidarum igitur æra occurrit in numis Regum Syriæ, in quibus a Seleuco Primo numeri, perpetuo in ſucceſſoribus accreſcentes, notantur. Eadem in numis Regum Arabiæ, & Parthiæ Adiabenicæ, ut Aretæ, ac Vologeſi, & Pharnacis adhibetur. Urbes etiam bene multæ, hiſce Regibus fere tum ſubditæ, hanc æram uſurparunt: Apamea, Damaſcus, Emiſa, Tripolis, Tyrus, Orthoſia Phœnicum, Edeſſa, Palmyra &c. Ponti Urbes, & Reges Harduinus annos ſuos ſupputaſſe putat ab eo tempore, quo primus ex iis Pharnaces cum Romanis ſocietatem inierit, eſtque annus V. C. 456. quod ex variis *Seleucidarum æra.*

Au-

Augustorum numis,in Ponto cusis, eruere satagit. Mithradatem tamen, *Magnum*, *& Eupatorem* cognomine, Seleucidarum æra usum esse, quippe qui Romanis infensus fuerit, numisma comprobat: ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ. ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ. ΒΙΣ. *Mithradatis Eupatoris*, *anno 212.* nam si 212. addas æræ Seleucidarum 442., conficitur annus V. C. 654., qui congruit cum temporibus hujus Mithradatis. Alius ejusdem Mithradatis numus, nota Δ insignis, annum ejus regni quartum indicat. Spanhemius æram Ponticam deducendam censet a Primo Mithradate κτίστῃ, *Conditore*, seu fundatore regni, quem Morellius ad annum V. C. 448. retulit.

Anni Regni aut Imperii. Ptolemæi, Ægypti Reges, annos adepti regni suis in numis consignarunt; quod inde colligitur, quia & parvi sunt numeri, & cum novis Regibus, ad numerorum initia reditur. Augustorum deinde etiam numi, in Ægypto percussi, annos Imperii adnotatos exhibent, quod & aliæ quædam in Asia urbes præstiterunt: Cæsarea Cappadociæ, Antiochia Syriæ, Metropolis, urbs Phrygiæ, Anemurium Ciliciæ. Nonnullæ & Imperii, & æræ suæ annos numis insculpserunt, cujus exemplum inferius afferetur.

Alia epocha. Æra celebrior altera, Pompejana ab anno V. C. 691. ducitur, dum Pompejus, in Syria inferiore victor, Romani Imperii fines protulit. Hanc monetis suis intulere Antiocheni ad Hippum, Dorenses, Gadarenses, Gazenses, Philadelpheni, Raphiotæ. Paullo post, nempe an. V.C.705. æra Cæsariana, seu Antoniana cœpit; dum pulsis e superiore Asia Parthis, CAESAR. DICTATOR, & ANTONIVS. IMPERATOR, uti numi loquuntur, id bellum confecerant. Eam epocham pecuniæ suæ insculpsere Botryeni, Laodiceni, Ptolemaitæ, Raphaneotæ, Sinopenses, &c.

Rur-

Rursus ab Actiaca victoria, devicto Antonio, & ÆGYPTO. CAPTA. uti habet numus Augusti, æram urbes quædam inchoarunt, quæ ad an. V.C. 723. statuitur, qui annus in numis græcis vocabulo: ΕΤΟΥΣ ΝΙΚΗΣ *anni victoriæ*, insignitus est. Harduinus tamen Actiacam æram ad a. V.C. 728. submovet, aliamque ab ASIA. RECEPTA. ut numisma Augusti indicat, ad a. V. C. 724. nempe incipiendo ab autumno anni V. C. 723. Augustanam appellatam, constituit; qua usæ fuerint urbes: Anthedon, Apamea, Laodicea ad Libanum, Leucadia Syriæ, & aliquamdiu Seleucia. Denique aliæ ab aliis annis sua tempora supputare urbes cœperunt, quibus aut conditæ, aut instauratæ, aut coloniæ jus, aliasve gratias adeptæ sunt, seu amicitiam, societatemve cum Romanis inierunt: quas epochas apud Vaillantium, Harduinum, Norisium, Goltzium, aliosque videre est. Nonnunquam eadem urbs varias successu temporum epochas adoptavit. Exemplo sit Antiochia Syriæ, quæ Seleucidarum æra primum usa, Pompejanam deinde suscepit; quod ei Pompejus Αὐτονομίαν, id est, *suis legibus uti* dedisset; eamque causam & numis simili vocabulo inscripserat. Actiacam etiam, seu Augustanam æram Antiochia adhibuit, in Augusti honorem: quam, etsi tempore esset posterior, prius tamen, ac Cæsarianam, in ære suo usurpavit. Denique eadem urbs in Tiberii primum numismatis Cæsarianam substituit, ob confirmatam, aut instauratam ab Cæsare Αὐτονομίαν, a. V. C. 707. Numeratum tamen est ab anno 705. quia isto anno lustrum cœperat.

Catalogus Epocharum, Regionum, & Urbium. Majori tironum commodo hic subjungo alphabetico ordine Regionum, & Urbium Epochas, ex Vaillantio, Harduino, & Norisio desumptas, ac studiose inter se collatas. Ubi controversia intercedit, adnotavi; uti & causam cœptæ æræ paucis indicavi. Initium istarum fere omnium Epocharum deducitur ab autumno ejus anni

Urbis Conditæ Varroniani, cujus numerus adſcribitur; niſi aliud admoneam. Adjunxi etiam Epochas a me primum, quod ſciam, in Græcis numis detectas, de quibus fuſius in Appendicula actum. Incerta, adjectione τȣ̃ *forte*, notavi.

ΑΒΩΝΟΤΕΙΧΙΤΩΝ. *Abonotichitarum.* Paphlagoniæ. *forte:* 803

ΑΔΡΑΜΝΩΝ. vel ΑΔΡΑΝΝΩΝ. *Adramnorum.* Cœleſyriæ. *Caſariana.* 705

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Ab anno XVI. Hadriani. In Thracia. *circiter.* 885

ΑΙΓΕΑΙΩΝ. *Ægeæorum.* Ciliciæ. In numis etiam ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥΠΟΛΙϹ. & ΜΑΚΡϾΙΝΟΥΠΟΛΙϹ. compellatur. Primo anno a Pharſalica pugna Julius Cæſar omnes Ciliciæ urbes Tarſum convocat, & Provinciæ res conſtituit. 707

ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ. ΚΑΤ. ΙΣΣΟΝ. *Alexandrinorum ad Iſſum.* Ciliciæ urbes multæ Romanis junguntur, aut ſubjiciuntur. 686

ΑΜΑϹΙΑϹ. *Amaſia.* Ponti ad Cappadociam. Harduinus ab an. 746

Noriſius, & Vaillantius ab an. *circiter.* 743

E numo noſtro Trajani in Appendicula colligitur: non cœpiſſe æram ante 744

ΑΜΙϹΟΥ. *Amiſi.* In Ponto Galatico. Urbs ſe liberat a Stratone Tyranno, qui eam Regibus eripuit. 721

ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. *Anazarbi.* Ciliciæ. Auguſtus in Ciliciam venit. 734

ΑΝΘΗΔΩΝΟΣ. *Anthedonis.* Syriæ. *Auguſtana.* *forte.* 723

ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ΙΠΠΟΝ. *Antiochenorum ad Hippum montem.* Cœleſyriæ. *Pompejana.* Pompejus Syriæ urbes a Judæis liberat. 691

ΑΝΤΙΟΧ. ΠΡ. ϹΑΡΟΝ. *Antiochenorum ad Sarum amnem.* Cappadociæ, vel Ciliciæ. Auguſtus in Cilices beneficus. Noriſius, & Vaillantius. 734

Hanc

A Pompejo e servitute Judæorum libertati redditur.
vel 694

ΓΑΔΑΡΕΩΝ. *Gadarensium Pompeitarum.* Syriæ. *Pompejana.* 691
vel 690

ΓΑΖΑ. *Gaza.* Syriæ Palæstinæ. a Pompejo liberata. 693
* Harduinus. 691

DACIA. PROVINCIA. Libertas a Philippo an. IV. concessa. 1000
Quo tempore anni cœperit æra, incertum est.

ΔΑΜΑΣΚΗΝΩΝ. *Damascenorum.* Decapolitanæ Syriæ. 442

ΔΙΟΣΠΟΛΙΣ. *Diospolis*, seu Jovis Urbs. Palæstinæ. Sub Domitiano aut condita, aut instaurata. *circiter.* 846

ΔΩΡΕΩΝ. *Dorensium.* in Cilicia. Cilicia filiis Ariarathis Regis a Senatu Romano concessa. Epocha hæc est a nobis eruta e numo M. Aurelii Cæsaris. *circiter.* 623

ΔΩΡΩΝ. vel ΔΩΡΙΕΩΝ. *Doriensium.* Phœnices. *Pompejana.* 691

ΕΙΡΗΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Irenopolitarum.* Ciliciæ. Sub Claudio. *circiter.* 805

ΕΜΙϹΩΝ. ΚΟΛΩΝ. *Emisenorum Colonia*, vel ΕΜΙΣΗΝΩΝ. In Phœnicia. *Seleucidarum.* 442

ΕΠΙΦΑΝΕΩΝ. *Epiphanensium.* Ciliciæ. Est tamen etiam Epiphania Cœlesyriæ, quam Norisius Pompejana æra usam putat. 690
Illius vero in Cilicia æram Harduinus statuit, a fœdere cum Romanis. 686
Denique aliam sub Cajo Aug. cœptam statuit Vaillantius. 791

ΖΗΛΙΤΩΝ. *Zelitarum.* In Ponto ad Cappadociam. Cæsar Pharnace victo Pontum recipit. 707
vel 708

ΙΕΡΟ-

ΙΕΡΟΚΑΙϹΑΡΕΩΝ. *Hierocæsariensium.* Lydiæ. Civitatibus Asiæ Restitutis ex terræ motu, sub Tiberio. Vaillant. 779
Harduinus æram incipit a Julio mense. 775

ΙΛΙЄΩΝ. *Iliensium.* Troadis. A Sulla beneficia accepit. Vaillant. 673
Harduinus vero. 686

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΗΣ. *Cæsarea Germanicia.* Palæstinæ ad mare. Antea *Turris Stratonis*, dein in honorem, & tempore Claudii Aug. Germanici, nomen novum accipit. Harduinus. 795
Norisius a Cajo Cæsare deducit: dum Antiocho, filio Antiochi, Commagenen, & Ciliciæ maritima dedit. 791
vel 792

Latinus numus COL. CAESAREA. L. IB. ΦΛΑ. an. 12. Flaviorum: a Vespasiano beneficiis aucta. 823

ΚΑΙΣΑΡΕΙΑΣ. ΣΕΒΑΣΤΗΣ. ΙΕΡ. ΑΣΥΛ. ΥΠ. ΠΑΝΕΙΩ. *Cæsarea Augusta, sacra, & inviolata sub Panio monte.* In Ituræa. Latine CAESAREA. PHILIPPI. A Philippo Zenodori filio condita, & dicata Cæsari Augusto, olim Lesen dicta. 751

ΚΑΝΩΘΑΙΩΝ. *Canothaeorum.* Decapolitanæ Palæstinæ. *Pompejana.* 691

ΚΑΠΙΤΟΛΙЄΩΝ. *Capitoliensium.* Cœlesyriæ. In memoriam Capitolii a Domitiano instaurati. 846
Harduinus Capitoliadem putat esse Æliam Capitolinam, seu Jerusalem.

ΚΥΡΡΗΣΤΩΝ. *Cyrrhestarum.* Cyrrhus, urbs Cyrrhesticæ Syriæ. 442
Æram Seleucidarum in numo Alexandri Syriæ Regis præ se fert.

ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΙΟΥΛΙΕΩΝ. *Juliensium Laodicenorum.* Syriæ.

ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ. ΣΥΡΙΑΣ. *Sebastenorum Syriæ.* Olim Samaria, ab Herode in honorem Augusti ita compellata, dum instauraretur. Vaillant. 729

Sed Harduinus. 727

ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΠΙΕΡΙΑΣ. *Seleucensium in Pieria*, regione Syriæ. 691

Usi sunt vero prius, usque ad Tiberium, *Augustana* æra. 723

Norisius tertiam dat, a pace inter Antiochos, Cyzicenum, & Grypum fratres. 645

ΣΙΔΩΝΙΩΝ. *Sidoniorum.* Phœnices. Ab Antiocho Cyziceno αὐτονομίαν. 643

vel 642. ex mente Harduini. Sub Elagabalo æram Græcorum recepit. 442

C. I. F. SINOPE. *Colonia Julia felix Sinope.* Ponti Galatici. A Lucullo libertate donata est; qua æra usa est sub Augusto, & resumpsit sub Alexandro, & reliquis, uti ostendemus in Appendicula. 684

Altera æra a deducta Colonia per Jul. Cæsarem. 705

CΚΗΨΙΩΝ. *Scepsiorum.* In Æolide. *Augustana.* 723

CΜΑΙΤΩΝ. *Smaitarum.* Ponti Asiatici. *forte.* 817

ΤΙΒΕΡ. ΚΛΑΥΔ. *Tiberiensium Claudianorum*, seu ΚΛΑΥΔΙΟ ΤΙΒΕΡΙΕΩΝ. In Judæa, vel Galilæa. Antea *Cheneret* dicta. Sub Tiberio instaurata. 770

Epochæ initium in vere statuit Norisius.

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Trallianorum.* Cariæ. Antoninus Pius collapsam restituit. Vaillant. 898

Ab anno secundo Antonini Pii supputat P. Harduinus. 892

ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ. *Trapezuntiorum.* Ponti Cappadociæ. Æra a nobis primum deprehensa in numo Septimii Severi. Pontus fit Provincia Romana a Nerone. 816

vel 815

ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tripolitarum.* Phoenices. *Pompejanam* primum adhibet. 691
deinde ab Augusto æram *Seleucidarum.* 442
Harduinus in Chronol. Vet. Testam. etiam *Cæsarianam* adfert. 705
ΤΥΡΟΥ. ΙΕΡΑΣ. ΜΗΤΡΟΠ. *Tyri sacræ Metropolis.* Phoeniciæ. *Græcorum*, seu *Seleucidarum.* 442
VIMINACIVM. P. M. S. COL. *Provincia Mœsiæ superioris Colonia Viminacium.* Ab anno tertio Gordiani Pii, in Aprili. 993
ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. ΚΟΙΛΗΣ. ΣΥΡΙΑΣ. *Philadelphiorum Cœlesyriæ.* 691
ΦΛΑΟΥΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Flaviopolitarum.* Ciliciæ. A Flavio Vespasiano condita, vel instaurata. 827
ΦΛΑ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. *Flaviorum Chalcidensium.* In Chalcidene Syriæ. Sub Flavio Domitiano Romanis accessit. 845

Cum pleræque Epochæ initium ab autumno ducant, atque adeo anno Romano, quod a Kal. Januariis cœpit, non integre respondeant; de hoc computo pauca monendus est tiro.

Primo: Si æræ initium certo jam sciatur, & occurrat in numis numerus æræ e. g. 8. quæ æra sciatur aliunde cœpisse autumno an. V. C. 798. tum adde 8. & erit 798 + 8 = 806. anno V. C. cujus autumno exiit annus octavus æræ. Si velis addere 7 = 8 − 1. habes an. 805. cujus autumno cœpit annus octavus æræ.

Secundo: Si æræ initium nescias, scias autem ex aliqua numi nota, quoto anno Imperatoris, & consequenter quoto V. C. anno ante autumnum is numus cusus sit; subtrahe numerum æræ signatum e. g. 8. ab anno isto V. C. e. g. 806. & erit 806 − 8 = 798. anno V. C. cujus autumno illa æra cœpit. Si subtrahas 8 − 1 = 7. habes 799. an.

 V. C.

V. C. cujus autumno exiit annus primus æræ. Hæc uno obtutu in adjuncta tabella conſpicies.

Tertio: Si æræ initium non dum ſcias: nec numus, qui numerum annorum exhibet, indicet, quo anno cuſus ſit; intra tot annos imperii, quot annis ille numus convenire poteſt, incerta interea fluctuabit epocha: niſi intra ſpatium illud, ſubtractione dicta ſupputatum, inſigne apud hiſtoricos meliores quiddam occurrat, quod ſuadeat, Urbis, aut Provinciæ, ab eo anno, æram eſſe inchoatam. In ſequente tabella anni ad libitum ſumuntur.

Anno V.C.		Annus Æræ Urbis,		aut Provinciæ.
798	- -	-	- -	Imus
799	- -	Imus	- -	II.
800	- -	II.	- -	III.
801	finitur - -	III.	incipit - -	IV.
802	in autumno -	IV.	in - -	V.
803	- -	V.	autumno - -	VI.
804	- -	VI.	- -	VII.
805	- -	VII.	- -	VIII.
806	- -	VIII.	- -	IX.

Exempla epocharum eruendarum.

Qua vero arte ſimiles Epochæ e numis certo comprobari, aut etiam erui queant; uno & altero exemplo, e Noriſio petito, inſinuabo. Epocham Seleucidarum, non in alium, atque dictum V. C. annum 442. incidere poſſe, duo numiſmata conficiunt; alterum Hadriani ita inſcriptum: ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΗΚΤ. *Tripolitanorum*, in Syria, anno 428. alterum Antonini Caracallæ: ΕΜΙCΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑC. ΗΚΦ. *Emiſenorum Coloniæ anno 528.* Ex priore Hadriani elicitur: Epocham Seleucidarum non potuiſſe incho-

choari ante annum V. C. 442. Nam cum ex hiſtoricis, & hac ipſa numeri magnitudine 428. conſtet, Tripolitanos Epocha Seleucidarum uſos eſſe; illud etiam ſciatur, Hadrianum imperium adiiſſe a. V. C. 870. die undecima Auguſti: ſi igitur ab 870. ſubtrahas 428. pervenies ad cœptum in autumno primum annum Seleucidarum a. 442. ab V. C. Jam ſi æra Seleucidarum ſtatuta fuiſſet a. V. C. 441. annus Tripolitanorum 428. cœpiſſet a. V. C. 868. in autumno, & exiiſſet anno 869. in autumno, a quo Græci annum inchoant; Verum anno 869. Hadrianus nondum Imperium adiit: non igitur in anteriorem annum, quam V. C. 442. Epocha Seleucidarum ſtatui poteſt. Sed neque in annum aliquem poſteriorem hanc æram removeri poſſe, dictus Caracallæ numus oſtendit, in quo Emiſeni (quos etiam Seleucidarum æra uſos conſtat) annum 528. adnotarunt. Nam Caracallam occiſum eſſe an. V. C. 970. 8. Aprilis, ſatis certum habetur. Si igitur a. 970. ſubducas 528. provenit primus annus Seleucidarum a. V. C. 442. Quare ſi æra Seleucidarum inchoaretur ſerius a. V. C. 443. annus 528. Emiſenorum, inchoaretur ab autumno anni V. C. 970. Caracalla jam in Aprili mortuo; quare non potuiſſet in Caracallæ viventis numo annus 528. conſignari.

Alterum exemplum Actiacam æram ad an. V. C. 723. ſtabilit duobus Tiberii Numis. Prior horum ita habet: Α. ΕΠΙ. ΣΙΛΑΝΟΥ. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΕΜ. *Anno primo Tiberii, ſub Silano, Antiochenorum, anno 45.* Alter ita inſcriptus eſt: Γ. ΕΠΙ ΣΙΛΑΝΟΥ. ΣΕΛΕΥΚΕΩΝ. ΖΜ. *Anno tertio Tiberii, ſub Silano, Seleucianorum, anno 47.* Convenit porro, annum primum Tiberii eſſe V. C. 768., a quo ſubducendo 45. remanet 723. Epocha Actiaca. Simili ratione alter numus, annum Tiberii tertium, & dictam æram comprobat.

Illud etiam tironibus observandum est: in græcis quibusdam Cæsarum, aut Augustarum numismatibus annum adscribi, non ejusdem Cæsaris, aut Augustæ, cujus imaginem æs repræsentat; sed ab Augusti tum imperantis, aut etiam jam demortui inito imperio numeratos annos signari. Id quod ex eo observatur, quod numeri majores fere sint, quam ut illorum annis applicentur, quorum æri insculpti sunt; sed dictorum Augustorum, Parentum, aut adoptantium annis probe conveniant. Ita in Titi numo ΕΤΟΥΣ. Η. *anno 8.* ad Vespasianum refertur. In Commodo ΚΑ. & ΚΒ. *anno 21.* & *22.* ad annos M. Aurelii pertinet: uti & Faustinæ numus cum a. 19. & 17. Ipsius Marci Aurelii numisma cum L. ΔΩΔΕΚΑΤΟΥ. *anno duodecimo*, Antonini Pii annos notat. Ita Alexandri Severi Cæs. numisma L. E. *anno 5.* Elagabali Augusti annum Imperii exhibet: pariter Neroni adsignatos legimus annos Claudii: Antonino Caracallæ, Septimii Severi.

Temporum nota in latinis numis.

Latinis in numis anni TRIBVNIT. POTESTATIS. multum ad Imperatorum annos constituendos habent momenti; cum continuato numerorum accremento ipsos imperii annos comitentur. Et licet aliqui antea Tribunitiam potestatem consecuti fuerint, quam Augusti fierent; ea res tamen facile Historicorum etiam ope coordinatur. Jure igitur Vaillantius, admodum optandum esse dicebat: ut numi omnes TRIB. POT. uniuscujusque Imperatoris exhiberent. Numeri gesti Consulatus plurimum huc faciunt; ii præsertim, quibus juncti sunt anni TRIB. POT. Numismata Coloniæ Viminacii, Sinopes, & Provinciæ Daciæ etiam suis annorum adnotationibus egregie Chronologiam juvant. Viminacium anno tertio Gordiani Pii Colonia facta, annos suos usque ad tertium Valeriani exhibet. Quintus hujus Coloniæ annus, tam in numis Gordiani tertii, quam Philippi Successoris legitur; hinc certo conficitur, Gordianum hoc, id est, septimo imperii

perii anno nondum expleto, e vita ſublatum eſſe. Viminacii, Sinopes & Daciæ numos novos in appendicula vide. Hadriani numiſma, quod ejus anno Imperii quinto, dum COS. III. notabatur, percuſſum eſt, egregie annum urbis conditæ illuſtrat, ita inſcriptum: ANNO. DCCC. LXXIIII. NAT. VRB. P. CIRC. CON. *Anno octingenteſimo ſeptuageſimo quarto, natali urbis, populo circenſes conſtituti.* Denique variæ numerorum notæ, quæ in monetis declinantis Imperii occurrunt, quid ſibi velint; cum res nondum omnino liquida ſit, nihil in hoc compendio afferendum putavi. Conſule P. Jobert S. J. laudatum ubique libellum: *La ſcience des medailles* &c. *capite, ſeu introductione undecima*, ubi probabilem has notas exponendi methodum reperies.

Hæc, aliaque Chronologiæ ſubſidia e numis petita, non profanæ modo, ſed ſacræ etiam Hiſtoriæ chronicum ordinem plurimum promoverunt. Sane Vaillantius ſingulari diſſertatione, & Noriſius, in Epiſtola ad Pagium, commonſtrarunt, e numis Antiochenorum, & Herodis Antipæ, annum Chriſti nati denique ſtabiliri poſſe. Sed hæc longiora ſunt, quam ut iſthic locum inveniant. Atque ego e confragoſis, ac impeditis Chronologiæ aviis, jam dudum eſt, cum tironem ad amœniora, planaque Geographiæ deducere deſidero.

CAPUT V.

Geographiæ Veteris emolumenta ex numis.

AD geographicam notitiam cum utilitate comparandam, hæc fere ſunt, quæ recte perſpecta plurimum habent momenti: Locorum Nomina, Situs, Origo, Conditores, & Viri illuſtres, Status Politicus, Fertilitas, Veſtitus incolarum, & Arma, Religiones, & Ritus. *Geographo ſcienda.*

Ubertim hæc omnia prisco in ære suppetunt; verum lætissimæ segetis spicas tantum aliquas hic carpere præfixa brevitas indulget.

Nomina Urbium. Ingentem nominum copiam, quibus olim urbes compellatæ sunt, numismatum ope erutam, & emendatam esse; dubitabit nemo, qui vel a longe aliquid de Goltzii, Parutæ, Norisii, Vaillantii, Harduini, & Begeri operibus audierit. Harduinus certe, solius Antonini Caracallæ numos profert, diversis omnes locorum nominibus insignes, octoginta aliquot supra centum; quantam in aliis Imperatoribus copiam, apud alios etiam Antiquarios invenire licebit? Horum instrumentorum utilitatem multo ante jam agnovit Abrahamus Ortelius, Geographiæ renascentis Pater, qui ad eruenda e tenebris urbium nomina, numismatum subsidio usus est. Cellarii de Antiqua Geographia eruditum opus, neque tantas auctori laudes, neque tantam utilitatem literatis attulisset; nisi numis veteribus constabilita illic plurima legerentur.

Situs. Situm porro urbium, cum omnium perspectum habere multum interest; tum earum præter cæteras, quæ eodem nomine compellatæ, e situs diversitate discerni debent. Illustre hujus rei exemplum e numis urbium ab Harduino collectis proferam. Antiochiæ nomen, scimus, urbes complures accepisse: eas ita adnotato situ numismata curate distinguunt. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΜΑΙΑΝΔΡΟC. *Antiochenorum*, *Mæander*. In Caria sitam esse hanc Antiochiam, notissimus Cariæ fluvius *Mæander* indicat, qui in numo, eleganti ponte constratus, exprimitur. In alio ita: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΠΡΟΣ. ΕΥΦΡΑΤΗΝ. *Antiochenorum ad Euphraten.* & quia illic Tauri montis pedem Euphrates alluit; sic etiam habetur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ. ΕΠΙ. ΤΑΥΡΟΥ. *Antiochenorum*, *qui ad Taurum sunt*. Urbem hanc in Commagene locat Stephanus: Ἀντιόχεια ἐπὶ τῷ Ταύρῳ ἐν Κομμαγήνῃ. *Antiochia ad Taurum*, *in Commagene*. Iterum ΑΝΤΙΟΧ. Π. CAPON.

'Αν-

Ἀντιόχεια πρὸς Σάρον. *Antiochia ad Sarum*, Cappadociæ urbem ſe prodit, ad Sarum, Cappadociæ flumen, poſitam. Antiochia Syriæ, *Metropolis* præ ſe fert titulum: ΤΗϹ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩϹ. aut ſic diſcernitur: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ ΠΡΟϹ. ΔΑΦΝΗΝ. *Antiochenorum ad Daphnen.* Daphne, celeberrimum ſuburbium, & lucus hujus Antiochiæ appellabatur, ubi fana Apollinis, & Dianæ. STRABO *L. 16.* & SOZOM. *L. 5. C. 19.* Edeſſa nota Syriæ urbs, olim Antiochia nominata eſt. En ejus diſcrimen ab aliis: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΚΑΛΛΙΡΟΗΝ. *Antiochenorum ad Callirhöen.* Audi PLINIUM *L. 5. Arabia* (latius ſumpta) *habet Edeſſam, qua quondam Antiochia dicebatur; Callirhöen* à fonte nominatam. Denique Antiochia Piſidiæ, teſte citato Plinio, *Cæſarea* nomen tulit; Hoc cognomine, & *Coloniæ* titulo, ac perpetua latina inſcriptione ſe ab aliis Antiochiis diſcernit: COL. CAES. ANTIOCH. *Colonia Cæſarea Antiochia*, adjecto S. R. *Senatus Romanus.*

Nonnunquam etiam ſimulacra montium, ut Argæi, Garizim, ſeptem collium Romæ, Acrocorinthi: aut alia fluviorum, virili forma, cum urna videas. Ita Commodi numiſma Laodiceam urbem muliebri habitu effictam exhibet, ſedentem in medio duorum fluviorum, quorum adſcripta nomina: ΛΥΚΟϹ. ΚΑΠΡΟϹ. Sunt hi Phrygiæ fluvii, qui Laodiceam hanc Phrygiæ, ab alia *in Libano monte* ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΕΝ. ΤΩ. ΛΙΒΑΝΩ. & ab alia in Syria diſtinguit, quæ ſignatur: ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. ΤΩΝ. ΠΡΟΣ. ΘΑΛΑΣΣΑΝ. *Laodicenorum, qui ad mare ſunt.* Quid elegantius illo Trajani numo, in quo nomen, & ſitum ſuum MESOPOTAMIA, *media inter fluvios* binos Tigrim nempe, & Euphraten, præclare exhibet? quæ regiò figura muliebri, duobus viris urnæ incumbentibus, ſtipata repræſentatur.

Origines urbium aut ad certos Conditores, aut ad alias veluti *Matres urbes* referuntur, quæ & hinc Μητρόπολεις dicuntur, ex quibus Coloniæ deductæ ſunt. Numus *Origines coloniarum.*

He-

Heracleæ in Ponto. ita habet : ΗΡΑΚΛΕΩΤΑΝ. ΜΑΤΡΟϹ. ΑΠΟΙΚΩΝ. ΠΟΛΙΩΝ. *Heracleotarum urbis, Matris deductarum urbium.* Urbium Coloniæ ſæpe Metropolis ſuæ inſignia in monetis expreſſerant, atque ita originem ſuam indicarant. Specimen aliquod Siciliæ numiſmata præbeant. Pegaſum, notiſſimum Corinthiorum inſigne, Syracuſarum, & Hennæ numiſmata oſtentant; Corinthiorum nempe hæ ſunt Coloniæ. Ita Megara Siciliæ urbs, & Camarina noctuam Athenarum, ſuæ quippe Metropolis, æri conſignarunt. Minotaurum, Cretæ inſulæ ſignum, exhibent numi Taurominii, Gelæ, Argyrinæ, Entellæ, quæ totidem ſunt Cretenſium in Sicilia Coloniæ.

Illæ porro urbes, quæ ſub Auguſtis Coloniæ factæ ſunt, præter frequentia iſta Coloniæ deductæ ſymbola: Jugum nempe boum, cum colono, aut ſolum bovem, aut lupam cum Romulo, & Remo, aut ſigna militaria, de quibus omnibus in Appendicula fiet expreſſior mentio; præter hæc inquam ſymbola, coloniæ iſtæ originem ſuam prænomine aliquo fere patefaciunt. Ita Coloniæ ab Julio Cæſ. aut ab Octaviano Auguſto deductæ, *Juliæ*, vel *Auguſtæ*, aut utroque titulo gaudent, ut: COL. IVL. VAL. *Colonia Julia Valentia.* COL. IVL. AVG. COR. *Colonia Julia Auguſta Corinthus* &c. Pariter ab Ælio Hadriano, *Æliæ:* a Commodo, *Commodianæ:* a Septimio Severo, *Septimiæ Severæ:* ab Antonino Caracalla, *Antoninianæ*, atque ab aliis aliter appellatæ leguntur. Cum duorum, aut plurium Imperatorum nomina Colonia jactat, tum primus horum fundator Coloniæ, reliqui benefactores cenſendi ſunt.

Conditores urbium. Priſcos autem urbium Conditores numi bene multos ſufficiunt. In Tomitarum numiſmate, ab Ovidii exilio celebrium, habetur: ΤΟΜΟΣ. ΚΤΙΣΤΗΣ. ΤΟΜΕΙΤΩΝ. *Tomus Conditor Tomitarum.* In Pergamenorum numo: ΠΕΡΓΑΜΟϹ. ΚΤΙΣΤΗΣ. *Pergamus Conditor.* In alio Nicopoleos,

leos, Epiri urbis: ΝΙΚΟΠΟΛΙΣ. ΣΕΒΑΣΤ. ΚΤΙΣΤ. Νικόπολις, Σέβαςος κτίςης. *Nicopolis. Augustus Conditor.* Ita Byzantiorum ΒΥΖΑC. Gortyniorum in Creta ΓΟΡΤΥC. Tarentinorum ΤΑΡΑΣ. Cyzicenorum ΚΥΖΙΚΟΣ. aliique e numis urbium Conditores noſcuntur. Neque fœminæ, quibus urbes originem debent, priſco in ære nullæ apparent. Amazones binæ ΣΜΥΡΝΑ.& ΜΥΡΙΝΑ. binis urbibus Smyrnæ,& Myrinæ, ab ſe conſtitutis, nomen dedere, & in numis recepere memoriam. Pariter ΑΒΔΗΡΑΣ. ΚΟΡΑΣ. *Abdera Puella*, in numo meminit Abdera Thraciæ: nomen ΚΟΡΑ honorificum eſt, cum id Proſerpinæ velut proprium, etiam numiſmata tribuant.

Inſtauratores, qui tanquam alterius Conditoris nomen merentur, monetæ Patrenſium (nunc Patraſſo) exprimunt. Horum urbs olim *Aroë*, dein *Patræ* dicta eſt, ab Ampliatoris nomine ΠΑΤΡΑΟΥ. *Patrai*, uti numus habet: & alius: ΑΡΟΗ ΠΑΤΡΕΩΝ. *Aröe Patrenſium.* Ipſa demum ab Auguſto Coloniæ honore aucta, auxit & titulos: COL. A. A. PATRENS. *Colonia Aröe Auguſta Patrenſis.*

Jam aliorum Virorum illuſtrium, Heroum, Ducum, ac bene de ſuis urbibus meritorum numiſmata, *a poſteris* cuſa, multa in Italiæ Cimeliarchiis ſe conſpexiſſe Spanhemius aſſerit, qualia erant: Theſei, Meleagri, Hectoris, Diomedis, Ajacis Locri, & Telamonii, ac aliorum complurium. Fœminarum porro, Reginarum, aut Amazonum: Phædræ, Nauſicaæ, Arſinöes, Philiſtidis &c. Neque viri literis inclyti nulli comparent: ut in numo Samiorum Pythagoras, Tarentinorum Architas, Syracuſanorum Archimedes, Megarenſium Euclides, Tejorum Anacreon, Homerus in ære Chiorum, Smyrnæorum, atque aliarum etiam urbium. *Viri illuſtres.*

De Statu Politico ea e numis proferam, quæ ad magiſtratus, jura, & fœdera pertinent. Magiſtratuum varietati, jura, & leges antea perſpecta lucem majorem af- *Jura, leges, & præcellentia tituli.*

G ful-

fulgebunt. Primum Coloniæ, Urbis Romæ legibus regebantur, duosque veluti Consules, quos Duumviros appellabant, Rei publicæ moderatores in singulos annos innovabant. Municipia propriis legibus utebantur, Duumviros tamen, magistratum etiam supremum, agnoscebant. In Coloniis, & Municipiis populus in decurias distributus est; decuriarum præfecti Decuriones, quorum prima post Duumviros auctoritas, in numis ita notatur: D.D. *Decreto Decurionum*, vel D. D. P. P. *Decuriones posuerunt.* Jus cudendæ monetæ quæ Coloniæ, aut aliæ urbes Augustorum tempore obtinuerint, ipsæ monetæ loquuntur. Singularem hanc fuisse gratiam numus Patrensium comprobat, inscriptus: INDVLGENTIAE. AVG. MONETA. IMPETRATA. & alii: PERMISSV. AVGVSTI. Atque intra Italiam certe vix ulla Colonia jure monetæ feriundæ gavisa est, cum paucissima compareant numismata; imo certæ vetustatis fortasse nulla. Hispaniæ Coloniæ, & Municipia frequentes usque ad Claudium percussere numos; sub Claudio, ac deinceps nulli comparent. Unde, aut Cajus sub imperii finem, aut sub initium Claudius hoc Monetæ cudendæ jus ipsis abrogasse censetur. Ægyptiacæ Coloniæ numus certus non dum prolatus est. In Galliis an præter Nemausum alia Colonia, aperto nomine, numos cuderit, ignoro. In Trivultiensium Commentariis, & a Cl. Bandurio singuli Postumi numi proferuntur, quos Lugduno attribuunt. Alterius epigraphe est: C. C. A. A. *Colonia Claudia Augusta Agrippinensis*; alter ita habet: COL. CLAVD. AGRIP.

Illis deinde in urbibus, quæ Romanis subjectæ, *suis tamen juribus, legibusque uti* permittebantur, titulus ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ adscriptus est: ΕΛΕΥΘΕΡΑΣ. *liberæ*, illis, quibus a vectigalibus quibusdam, aliisque oneribus immunitas data est. In latinis Coloniarum, & Municipiorum numis titulus IMMVNIS. eodem fere recidit. Præter ΜΗΤΡΟ-

ΠΟ-

ΠΟΛΕΩΣ. titulum, etiam alius Primatus honos tribuebatur, quo urbes alias, etiam metropoles, ejusdem regionis *Prima* illa excelleret. De hoc ipso tamen Primatu inter urbes aliquas contentionem fuisse numi palam faciunt. Nam & Ephesus, & Smyrna perinde ΠΡΩΤΗ. ACIAC. *Prima Asia* inscribitur. Sic Amasia ΠΡΩΤΗ.. ΠΟΝΤΟΥ. *Prima Ponti*, pariterque: Η. ΜΗΤΡΩΠΟΛΙC. ΝΙΚΟ. ΠΡΩΤΗ. ΠΟΝΤΟΥ. ΚΑΙ. ΒΕΙΘΥΝΙΑC. *Metropolis Nicomedia Prima Ponti, & Bithynia*, deprehenditur. Atque adeo trium regionum primam se jactat urbs Lydiæ Sardes: CΑΡΔΙC. ACIAC. ΛΥΔΙΑC. ЄΛΛΑΔΟC. Α. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙC. *Sardes Asia, Lydia, Helladis prima Metropolis.* Quin & inferioris ordinis urbes, metropoles tamen fuisse, Magnetum urbs declarat, quæ alio in numismate *Metropolis*, in alio rursum ita signata conspicitur: ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΕΒΔΟΜΗ. ΤΗC. ACIAC. *Magnetum urbs, septima Asia.* Is ordo inter complures urbes, & metropoles gentis ejusdem, aut idiomatis observabatur, quæ communitate quadam Sacrorum inter se nectebantur. Singularis Treboniani Galli numus id comprobat, in quo Sacellum Apollinis Clarii expressere Colophonii, cum ara in media numi facie; circum tredecim statuæ viriles erectis dextris, totidem Sociatas Urbes designant, inscriptio: ΕΠΙ. CΤΡΑ. ΚΛ. ΚΑΛΛΙCΤΟΥ. ΙΕΡΕΟC. ΙΩΝΩΝ. ΚΟΛΟΦΩΝΙΩΝ. in medio ΚΟΙΝΟΝ. ΙΩΝΩΝ. Ἐπὶ Στρατηγοῦ Κλαυδίου Καλλίστου &c. *Sub Pratore Claudio Callisto, Sacerdote Jonum, Colophoniorum, Commune Jonum.* Nempe Colophoniorum Prætor erat Callistus, & Sacerdos Communitatis Jonicarum urbium, Apollini devotarum. Tredecim Sociatas Urbes aliud numisma Rhodiorum numerato exhibet: ΚΟΙΝΟΝ. ΙΓ. ΠΟΛΙΩΝ. *Commune tredecim urbium* &c.

Alia dignitatum nomina, & jura ferebant urbes ab Deitatis cujusdam solemniori cultu, uti: ΙΕΡΑC. ΚΑΙ. ΑCΥΛΟΥ. *Sacra, & non violanda.* Asylum templorum causa dabatur; ita ut nemo ex iis locis peti ad deditio-

nem possset. NEOKOPOT. *Æditua* urbis titulus magni honoris habitus est, quo se cives Æditus Tutelaris Dei prædicabant: numerum etiam in ære adnotabant, quoties aut religiones instaurassent, aut novo Numini, Majestatique ejus se devovissent. Ita legitur: B. NEΩK. vel expresse ΔIC NEΩK. bis Æditui. Γ. vel TPIC. NE. *Ter Æditui.* ΕΦΕCΙΩΝ. ΜΟΝΩΝ. ΑΠΑCΩΝ. ΤΕΤΡΑΚΙ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Ephesiorum, qui uni omnium quater Æditui:* videlicet ante Caracallam, cujus hic numus est, nulla urbs alia hunc honorem obtinuit; at subinde Nicæa Bithyniæ, ac Hierapolis Syriæ se quater Neocoras in monetis jactavere. Maritimæ quædam urbes, NAT. NATAPXIΔOC. seu *Classica* urbis jura numis præferebant; quibus nempe præsidiariam classem, ejusdemque præfecturam habere concessum est. Denique peculiaria illa honorum potius, quam Jurium vocabula prætermitto, ut in numo Sidetum, in Pamphylia: CIΔHTΩN. ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗC. ΕΝΔΟΞΟΤ. *Sidetum urbis splendidissimæ, & illustris;* & in alio Smyrnæ: CEBACTΩN. ΚΑΛΛΕΙ. ΚΑΙ. ΜΕΓΕΘΕΙ. Smyrnæorum *Augustorum venustate, & magnitudine*, & alia similia.

Magistratus Romani. Post jura, & honorum titulos in vetusto urbium ære lustrata, Magistratuum ratio sese offert, quorum alii e Romanorum instituto compellati: alii Patriis variarum urbium moribus delecti, numis inserti cernuntur. De latinis vocabulis præter Duumviros, & Decuriones, de quibus dictum est, nihil memorandum occurrit, præterquam illud: IIVIRI. QVINQ. *Duumviri Quinquennales*, illi Duumviri vocabantur, qui quinto quoque anno electi, censuram una exercebant, & lustrum condebant in Coloniis, Urbem imitantibus. Iidem exacto hoc Duumviratus anno *Quinquennalitii*, honoris ergo, compellati sunt: uti *Consulares* Romæ appellabantur, qui Consulatu defuncti essent. Hic revocanda sunt in memoriam illa, quæ Capite II. & III. adducta sunt, & hoc etiam porro exponentur:

nentur: PROCOS. *Proconsul.* PROPR. *Propretor.* LEG. AVG. *Legatus Augusti.* Q. PR. *Quæstor Provinciæ;* is ærarium curabat. PROQ. P. *Proquæstor Provinciæ.* IIIVIR. vel PROIIIVIR. *Triumvir*, vel *Protriumvir* Coloniæ deducendæ.

Græcis porro vocabulis signati Romani magistratus hi fere sunt: ANΘ. vel ANΘΥΠ. Ἀνθύπατος. *Proconsul.* Gubernans pro Consule provinciam Populi Romani; nam eæ provinciæ, prioribus Augustorum temporibus, Proconsulares dicebantur, quæ Senatui Populoque Romano propriæ ab Augustis permissæ sunt. ANTICTP. Ἀντιςρατηγός, qui *Proprætor* redditur, Provinciis Prætoriis Præfectus, vel ΠΡΕC. ΚΑΙ. ΑΝΤΙ. ΤΟΥ. CΕΒΑCΤΟΥ. Πρεσβευτὴς &c. *Legatus, & Pro Prætore Augusti*, cui parebat Provincia Augustis, non Senatui subjecta, ac propria; quales etiam præter cæteras fuisse Daciam, & Arabiam, numi produnt, uti ille Trajani: ARABIA. AVGVSTI. PROVINCIA.

ΗΓ. ΗΓΕΜΟΝΟC. *Præsidis* titulus, eum fere denotat, qui minori cuidam Imperatorum Provinciæ præerat; quanquam Proconsulibus etiam, & Proprætoribus quandoque tribuatur. Denique ΤΑΜΙΑC. *Quæstor* is erat, cui ærarii cura crederetur. Lapsu temporum Provinciæ Populi Rom. Augustorum sub potestatem aliquæ translatæ sunt, atque vicissim aliæ ab Augustis Senatui, Populoque cedebantur.

Magistratus gentium exterarum sacri.

Patrii urbium Magistratus Sacri perinde, atque Profani in numis deteguntur; hi fere sunt: ΑΡΧΙΕΡΕΥC. Supremus in Asia Sacrorum Antistes, unde & ACIAΡΧΗC. dictus est; quemadmodum & in Rhodiorum numismatis juncta habentur: ACIAΡΧΟΥ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΩC. & *in Epistola Smyrnæorum de Martyrio S. Polycarpi*, eadem persona jam ΑΡΧΙΕΡΕΥC. jam ACIAΡΧΗC. compellatur. ΙΕΡΕΥC. ΔΙΑ. ΒΙΟΥ. *Sacerdos Perpetuus;* nam alii magistratus, etiam sacri, suis temporibus abdicabantur. CΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟC.

Sertiger, vel *Coronifer* latine reddi potest, qui ludorum Curator, & Præses erat; quin & ludi, & urbes ipsæ hoc nonnunquam cognomine honoratæ sunt. ΘΕΟΛΟΓΟΥ. *Theologi*, seu *Deiloqui* munus erat, Divina interpretari, ordinare, tueri. ΕΠΙΜΕΛΗΤΗC. *Procurator*, seu Curator ludorum, & etiam negotiorum, ad politicum statum æque, ac ad Religiones facientium.

Magistratus patrii profani. Profanorum deinde magistratuum nomina quædam ab Atheniensium veteri instituto urbes aliquæ accepisse videntur; non eodem tamen ordine, jure, ac temporis spatio aliis in locis hi magistratus administrati sunt. *Archontes* Athenis olim perpetui erant, deinde decennales; denique annui, iique proceres quingenti, qui rursum in decem quinquagenas divisi *Prytanes* alternatim dicebantur: nempe illis 5. hebdomadibus, quibus quinquaginta illi ordine suo actu Rempublicam regebant; ex Prytanibus istis in Decurias 5. coordinatis, rursum *Proëdri* πρόεδροι vocati sunt, qui decem sua quique septimana gubernabant; ex Proedris ἐπιςάτης, *Epistates* sortito electus est, qui diem unum non amplius præerat, & penes quem claves erant. In Urbium numis vero ΑΡΧ. ΑΡΧΟΝΤΟC. titulus variis non tam Romanis, quam patriis urbium, ac Provinciarum Rectoribus, etiam Pontificibus datus est. Eorum plures nonnunquam, etiam cum primatus Prærogativa uni concessa, constitutos fuisse, numismatum inscriptiones efficiunt, uti: ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΤΟ. Β. Ἄρχοντος πρώτου τὸ β. *Archonte primo* vel *primario iterum*. vel sic: ΑΡΧΟΝΤΟC. Α. ΤΟ. Β. *Archonte primo iterum*. Ubi τὸ *Iterum*, prodit, eum magistratum non fuisse perpetuum.

Π. vel ΠΡΥΤ. ΠΡΥΤΑΝΕΙΣ. *Prytanes*: in numis, aut urbium Rectores, aut ad negotia majoris momenti, etiam sacra curanda designatos Proceres denotat. ΕΠΙCΤΑΤΗC. *Epistates*, Supremus Præfectus, aut Inspector habetur. CΤ. vel CΤΡ. CΤΡΑΤΗΓΟC. *Prætor urbis*, nam τὸ ςρατὸς perinde

inde populum urbis, ac exercitum significat. ΓΡ. vel ΓΡΑ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΩΣ. *Scriba* titulus, & munus vilia Romæ, & Athenis habita sunt; Verum in urbibus Asiæ Γραμματεὺς *Scriba* secretorum omnium conscius, atque inter primos magistratus putabatur. Hinc eundem titulum honoris ergo suis in numis urbes Cariæ, Mysiæ, Lydiæ, Joniæ, & Phrygiæ expresserunt. ΣΟΦΙΣΤΟΥ. *Sophista* seu *Sapientis* appellatione viri docti, ac diserti se efferebant, quorum opera ad legationes, aliaque expedienda utebatur Patria. Sophistæ statuis donati, aliisve honoribus mactati sunt; aliquos etiam ex iis in numis videmus Archontes: quin & Romæ Consules factos esse legimus.

Alii præterea sunt, tum sacri, tum profani magistratus, qui rarius numis inscripti reperiuntur; eos tamen insinuandos putavi: ΑΓΩΝΟΘΕΤΗC. *Ludorum Constitutor*, vel *Præses*. ΕΦΟΡΟC. quasi *Tribunus plebis*, celebris Laconum magistratus. ΠΟΛΙΑΡΧΟC. *Urbis præfectus*. ΠΑΝΗΓΥΡΙΣΤΗΣ. *Panegyrista*, qui laudes Deorum diebus festis prædicabat, sacer magistratus. ΠΡΟΔΙΚΟΣ. *Curator*, *Defensor*, vel *Patronus*. ΠΑΡΟΧΟC. qui Romanis, in alienis terris degentibus hospitia præberet, *Præbitorem* dicere possumus. ΣΥΝΑΡΧΟΣ. *Principatus particeps*, vel *collega*. Multa magistratus vocabula cum particula ΕΠΙ. vel Υ. ΥΠ. ΥΠΟ. *sub*, efferuntur, uti: ΕΠΙ. ΓΡ. CΕΚΟΥΝΔΟΥ. *Sub Scriba Secundo*, Magnetum. ΕΠΙ. CΤ. ΡΟΥΦΙΝΟΥ. *Sub Prætore Ruffino*, Smyrnæorum. Sæpe subauditur nomen muneris gesti, ut ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. *Sub Pontiano*, Marcianopolitarum magistratu.

Fœdera, ac Societates hac voce ΟΜΟ. ΟΜΟΝΟΙΑ. *Concordia*, additis fœderatarum urbium nominibus, explicant numismata. Sic: ΟΜΟ. ΕΦΕCΙΩΝ. CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Concordia Ephesiorum, & Smyrnæorum &c.* aliquando vocabulo *concordia* omisso, sola urbium sociarum nomina cum particula Κ. ΚΑΙ. *&*, aut sine illa collocantur: ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. ΚΑΙ. ΠΕΡΓΑΜ. *Mytilenæorum, & Pergamenorum* con-

concordia; aut ΜΥΤΙΛΗΝΑΙΩΝ. ΠΕΡΓΑΙΩΝ. *Mytilenaeorum*, & *Pergaeorum*. Communitates variæ populorum, aut urbium e numis diſcuntur. Nam præter illud Commune Jonum, de quo dictum eſt, occurrunt: ΚΟΙΝΟΝ. ΚΡΗΤΩΝ. & ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. ΓΑΛΑΤΩΝ. ΒΕΙΘΥΝΙΑC. *Commune Cretenſium*, *Macedonum*, *Galatarum*, *Bithyniæ*. Item Κ. Κ. ΚΟΙΝΟΝ. ΚΙΛΙΚΙΑC. *Commune Ciliciæ*. ΚΟΙΝΟΝ. ΖΗΛΙΤΩΝ. ΚΟΙΝ. ΛΥΔΙΑC. & ΘΕΣΣΑΛΩΝ. ΛΕΣΒΙΩΝ. *Commune Zelitarum*, *Lydiæ*, *Theſſalorum*, *Lesbiorum*, atque etiam aliorum. ΚΟΙΝΟΝ. ΤΑΡCΟΥ. ΑΜ. Κ. Γ. Β. Κοινὸν Τάρσυ ἀμφοτέρας Κιλικίας. Γερυσίας βυλῇ. *Commune Tarſi utriusque Ciliciæ: Senatus Conſulto*. Alibi porro pro Γ. Β. legitur Γ. Π. Γερυσίας Προςάγματι. *Senatus Edicto*, adjecto ΔΗΜ. Δῆμος, *Populus*. Antiochiæ numi præter S. C. etiam græcis literis idem expreſſere Δ. Ε. Δόγματι Ἐπαρχίας. *Decreto Provinciæ*. In aliis ſimiles inſcriptiones occurrunt: Γ. Γ. Γράμματι Γερυσίας. *Reſcripto Senatus*. ΔΟΓΜΑΤΙ CΥΝΚΛΗΤΟΥ. *Senatus Conſulto &c*. Hæc de Nominibus, Situ, Origine, Conditoribus, Viris illuſtribus, ac Politico Regimine urbium, & regionum breviter oſtenſa potius, quam plene explicata ſunt. Quod ad Geographicam notitiam e numis hauriendam reliquum eſt, binis capitibus abſolvam.

CAPUT VI.

Utilitas numiſmatum ad ſcientiam naturalem: Ubi de fertilitate Regionum una agitur.

Fertilitatis ſigna magis nota.

UTile, ac jucundum ſcitu eſt: quid quæque ferat regio. Abunde ejuscemodi notitiam numaria penus ſubminiſtrat. Quæ arbores, plantæ, fruges, animalia, inſecta, piſces, aliaque aliis terris aut propria aut eximia ſint, iſthic intueri bene multa licet. Obvia illa non moror, cum Theſſalia, Hiſpania, Numidia, Maureta-

reta-

retania, numis suis equos insculpsere, quibus eæ regiones abundant: seu cum Ægyptus, ac in ea Alexandria, Italia, Africa, & præsertim Sicilia, spicis signatis, ubertatem tritici indicarunt. Sive cum vini generosi affluentiam uvæ symbolo jactavere Byzantii, Dacia, Cnidii, Maronitæ in Thracia, & plures ejus regionis urbes: Cassandrenses quoque in Macedonia, Perpereni Lydiæ, & Palæstini in numis, Samaritano charactere inscriptis. Notiora etiam illa feracitatis insignia sunt: Eubœæ Bos, Arabiæ Camelus, Africæ Elephanti exuviæ, & Scorpio, Ægypti Crocodilus; tum Alexandrina, Cretensia, ac de Judæa numismata Palmas ostentant, etiam trifidas, & Caryotas, quæ singularis saporis Dactylos, præsertim in valle Hierichuntina ferebant. Tyrii, Muricis sui, ex quo celeberrima illa Purpura confecta est, imaginem reliquerunt; Ægyptii item Ibidis avis, quam, quod serpentes exterminet, sacram habuere: ea non multum a Ciconiæ forma abludit. Hispaniæ Cuniculus adsidet, quorum illic mira copia; ut *Cuniculosa Celtiberia* a Catullo appellata sit.

Peculiaria nunc aliqua de arboribus, & plantis primum, tum de animalibus prisco ex ære adferam. Pretiosissimam Balsami arborem Samaritanorum numismata: Cretensia vero Cydæorum, & Elyriorum, Dictamnum repræsentant, herbam Cretæ propriam. Balaustium Rhodiorum in monetis frequens occurrit; flos mali Punici est, quo ad tingendas lanas utebantur. Ascalonitarum ΑΣΚΑΛ. ΑΣΚΑΛΟΝΙΤΩΝ. toties laudatas veteribus Cepas, unaque Columbas, aliquot eorum numi exhibent. Nobilissimam Ægypti plantam Lotum (unde populi Lotophagi nomen traxerunt) variis in numis ita videre datur; ut ejusdem folia, flores, & fructus, qui lilio non absimiles, caput instar papaveris efferunt, belle illic exprimantur. Lotum triumphali in curru sublimem Augusti numisma adducit, *Arbores, & plantæ.*

Ægypti captæ ſymbolum. Is honos in alio Auguſti numo etiam Strobilo nucis pineæ eſt habitus; inſigne id erat Auguſtæ Vindelicorum, quod Vindelicium harum arborum ferax eſſet: hodieque ea urbs eodem inſigni decoratur. Mamertini, & Syracuſii itidem Strobilum in numis, ob ſimilem feracitatem, oſtentant.

Illuſtre præ cæteris numiſmatum antiquorum decus Barce, urbs Pentapoleos Cyrenaicæ, protulit, in cujus ære adeo dilaudata apud veteres herba *Laſerpitium*, ſeu *Silphium Cyrenaicum* dicta, floret etiamnum, & ſui memoriam conſervat. Nuſpiam ea herba jam invenitur; ſi forte aliquando invenietur, id numis debebitur, ſine quibus ejus figura, variæque floris, ac fructus formæ omnino interiiſſent. Hujusmodi numos apud Antonium Auguſtinnm, & Spanhemium reperias, qui Silphium tam florens, quam etiam bulbiferum diſtincte exhibent, inſcripti vel: BAPKA. *Barce*, vel KYP. KOIN. Κυρηναίων Κοινόν. *Commune Cyrenaeorum*: quibus loca declarantur, ab herbæ tam pretioſæ ſingulari fertilitate celebrata. Nam Silphium aliis quidem etiam in terris, uti in Syria, Perſide, Parthia, Media creverat; ſed nullibi tanta virtute, quanta in Cyrenaica regione. Ejus rei teſtes Spanhemius Theophraſtum, Strabonem, Dioſcoridem, Galenum, Plinium, & Scribonium Largum adducit. Certe PLINIUS *L. 19.* refert, Neroni caulem unum hujus Laſerpitii Cyrenaici dono miſſum eſſe; adeo jam tum rarum, atque in pretio fuerat.

Ægypti fecunditas. A terrarum fertilitate priusquam ad alia convertar, cauſam ipſam fecunditatis, ab Ægyptiis Hadriani numis inſculptam, præterire non poſſum: quam, neſcio, utrum feliciori ingenio illi conſignaverint, an R. P. Harduinus expoſitionem ejus aſſecutus ſit. His in numis Nilus, viri ſpecie effictus, virgam, ſeu arundinem manu ſuſtinet, adjecto Cornu Copiæ: Inſcriptio annum imperii Hadriani ita refert: L. ΔΩΔΕΚ. Λυκάβαντος δωδεκάτου. *anno duodecimo*, in alio

alio etiam, *anno decimo tertio.* Sed aliæ adhuc numerorum notæ utrobique comparent, nempe Iϛ, quæ *sedecim* valent; quod ita accipiendum est: annum duodecimum Hadriani, aliosve, quibus dictæ notæ additæ sunt, maximæ fecunditatis in Ægypto fuisse. Cum enim Nilus quotannis Ægyptiorum terras inundet, hi longa experientia edocti, tum fertilissimum annum fore prænuntiabant; cum Nilus in locis certis *sedecim* cubitos altus mensoria arundine deprehenderetur: vide HERODOTUM *in Euterpe.* & PLIN. *L. 5.* Igitur mensoriam hujusmodi virgam his in numis Nilus ostentat; adpositus numerus Iϛ. seu 16. una cum Cornu Copiæ, ejus anni fertilitatem indicat.

Plantarum fere hactenus notitia e numis petita est; iidem de animalium historia quam bene meriti sint: cum initio obvia pauca attigerim, hic plusculum videamus. Elephantorum, etiam loricatorum bigas, aut quadrigas numismata non pauca producunt. Elephanti Λυχνέχε, seu Δαδέχε, id est, qui facem proboscide allucere doctus esset, formam conservat numus ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΑΝΤΙΟΧΟΥ.ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. *Regis Antiochi, Illustris, Bacchi*, Syriæ Regis. Ægyptiorum æri veteri præter Crocodilos, Hippopotamum insculptum cernimus, quem latine *fluviatilem equum* dicas, animal quadrupes, & amphibium. Ejusdem formam elegantius etiam Otaciliæ Severæ numus offert, cum epigraphe: SAECVLARES. AVGG. *Saeculares* ludi *Augustorum:* nempe Philippi Patris, & Filii. Ædilium id erat, vel Prætoris Urbani, & subinde Augustorum etiam studium, ut publicis in ludis, & spectaculis peregrinas belluas producerent. Ita Domitiani temporibus Rhinocerotem exhibitum fuisse, numi illius, minimi moduli, Rhinocerote signati testantur. Similibus ex instrumentis Aldrovandum, Pierium & Jonstonum corrigit Spanhemius, qui alterum Rhinoceroti cornu affinxerant; cum in nu-

Fera peregrina.

mismatibus apertum sit, unicum tantum cornu e belluæ hujus naribus prominere.

Alce etiam in Philippi filii, & in Philippi Patris numo Hyæna conspicitur, Sæculo Milliario exhibitæ. Caprini porro generis peregrina animalia, variata pelle, ac mirum in modum retortis cornibus: Pantheras, ac Tigrides: Cervos item peregrinos, & Mambrinas, id est, Capras Indicas varii Augustorum, Siciliæ, & aliarum regionum numi spectandas objicient. Serpentum deinde, ac Draconum varias species Asiæ præsertim, ac Thraciæ numismata promunt; quæ fere Æsculapii, & filiæ ejusdem Hygiæ, aut Glyconis (qui alterum se Æsculapium ferebat) honoribus percussa sunt, quorum cultus in illis regionibus vigebat.

Pisces. De piscibus denique mentio aliqua facienda est. Delphinorum quidem imagines obviæ sunt, seu Neptuno, seu Apollinis tripodi adjectæ. Nonnunquam puerum vehit Delphinus, qui aut Icadius est, Apollinis filius, Delphos Delphino delatus, ut Delphorum numus repræsentat: aut Palæmon; aut si alis instructus est, Cupidinem refert. Notum est Delphinorum ingenium, quod pueris innoxie colludere ament. Phocænam piscem a Delphino, teste Aristotele *L. 6. hist. animal.* non multum abludentem, Phocæensium numus proponit intuendum, cui lupus insultat, cum epigraphe: ΕΠ. CΤ. ΚΛ. CΚΡΕΙΒΟΝΙΑΝΟΥ. ΦΩΚΑΙΕΩΝ. Ἐπὶ Στρατηγοῦ Κλαυδίου Σκριβωνιάνου Φωκαιέων. *Sub Prætore Claudio Scriboniano, Phocaensium.* Phocæa Joniæ urbs, capturam uberem Phocænarum, & fors inde nomen habuerit. Lupus vero cur pisci insultans repræsentetur, e Plinio conjicere licet, *L. 10.: Simile quiddam lupi ad Mæotin paludem faciunt. Nam nisi partem a piscantibus suam accepere, extensa eorum retia lacerant.* Piscis, ad porci formam accedentis, effigiem ostentat moneta ΛΟΠΑΔΟΥΣΣΑΙΩΝ. *Lopadussaorum:* Lopadussa insula est in Africo mari.

Pe-

Pelamidum piscium capturam apud Byzantios copiosam fuisse, præter Aristotelem, & Strabonem PLINIUS *L.9.* memorat; qua autem forma fuerint, Byzantiorum complures numi ostendunt, binis, aut ternis Pelamidibus insignes. Neronis numisma unicum, quatuor piscium imagines ob oculos ponit: Polypum, Sepiam, Cammarum, & Pompilum. Pisces hos cum fecundissimos memorent rerum naturalium scriptores, ad Poppeæ fecunditatem, quæ Neronis uxor erat, refert Spanhemius: quam ultra mortale gaudium Nero accepisse, apud Tacitum perhibetur.

Hæc de utilitate ad scientiam naturalem e numis veteribus desumpta, monstrosis porro, ac fabulosis animalium figuris amplificari possent. Sed quoniam brevem esse, atque omnia explicare, in tanta rerum copia ejusdem esse non potest, & de fabulosis animantibus alibi mentio cursim incidet; hactenus dicta ad tironum animos, antiquariæ eruditionis amore inflammandos, satis esse reputavi.

CAPUT VII.

Vestes, Arma, Religiones, Ritus, Ædificia in numis expressa, Pictoribus, Architectis, Poëtis quid prosint?

VEteribus in numis exquisitam quandam cœlaturæ artem, tum in latinis, florente Imperio, cum in antiquioribus græcis, periti omnes admirantur. *Ars cælatura, eruditioni juncta.* Excellit porro artem eruditionis copia. Cœlaturæ artificium Pictoribus, Statuariis, Architectis plurimum adfert subsidii: eruditionis copiosa materies & his, & omnibus bonarum literarum studiosis, ac præsertim Poëtis plurimum prodest, quos inter, & Pictores multum convenit.

Agnovit id Zacharias Zachius, nobilis Statuarius, qui primus collecta veterum numismata, literarum, & artium commodo publici juris facere constituit; sed morte prohibitus est. Ex ejus manuscriptis Albertus Leander in descriptione Italiæ plurima se hausisse profitetur. Et certe cum pictorum, & poëtarum artis summa in eo fere vertatur, ut minutissimas quasque res, & lineamenta ad vivum, verumque exprimant; materies vero frequentissime ex historiis, fabulisque veterum deligatur: in confesso est, quantum utrosque juvent tam copiosæ, tamque fideliter effictæ imagines, vestituum, armorum, Deorum, rituum, ædificiorum; imo quam hæc illis omnino necessaria sint: ne delphinum silvis appingant, fluctibus aprum.

Vestes Romanorum. Vestimentorum, quæ Romanis, belli, ac pacis tempore, in usu erant, genera omnia numi veteres exhibent. Toga nihil frequentius; Togam, etiam Senatoriam prætextam, in eleganti Augusti numismate videre est: tum vestem Censoris, Sacerdotum, Pontificum, etiam Pontificis Maximi in Augusti numo: deinde militare Sagum, ac Paludamentum Imperatoris, ejusdemque Parazonium, quod lati, & sine cuspide cultri genus est, nodum pro manubrio habens; alii id instrumentum sceptrum dicunt: Baculus itidem Consularis eburneus, cui Aquila superposita est, non raro occurrit.

Capitis ornamenta. Capitis ornatus apud Augustos aut *Laurus* est, aut *Corona radiata*, quæ in ære medio frequenter Augustis imponitur. Labascente Imperio *Diademate* caput cincti comparent, quod fascia quædam est, tempora ambiens, & gemmis distincta; eam tamen prisci Reges fere puram in numis gestant. Aliæ item Coronæ, numismatum in typis offenduntur. *Querna* O. C. S. *Ob cives servatos:* in Augusti numis obvia. *Rostrata*, seu Navalis, quæ laurus erat, rostrorum navalium simulacris intertexta, data ob victoriam navalem. *Muralis*, & *Vallaris* sui item nominis effigies

in

in circulum contextas præ ſe ferunt. *Spicea*, procuratæ annonæ indicium. *Graminea* in Gallieni numo comparet, quam ſoli Principi dabat miles. *Pontificalis* e victimarum craniis, & pateris commiſſa, Auguſti numo impreſſa cernitur. De Coronis ludorum, & Deorum inferius aliqua afferentur. Singularis eſt in Hadriano, *Corona ex loto*, quam is in memoriam dilecti Antinoi, in *Ægypto* mortui, aſſumpſit, & ANTINOEIAN. appellavit. Auguſtarum porro ornamenta capitis (ut varium, ac mutabile ſemper, in veſtitu præſertim, eſt fæmina) mira varietate oculos paſcunt; atque modos hic aliquos videas, ab noſtræ ætatis capitis cultu, etiam virili, haud multum abludentes.

Porro Armorum, & Signorum Militarium omne genus hic emicat: Jacula, gladii, haſtæ, clavæ, clypei, parmæ, varia militaria ſigna, equitum vexilla, quæ ſubinde labara dicta ſunt, Aquilæ Triariorum, ſigna *Principum*, & *Haſtatorum*, etiam literis: P. & H. indicata: ſcuta, imagines, & manus dextræ, quæ manipulos indicant, longis perticis præfixæ; diverſæ formæ galeæ, loricæque, & quidquid demum ad bellum geſtabat, aut exportabat miles, in numis exercituum, cohortium, item in iis, ubi ADLOCVTIO. COHORTIVM. ab Auguſto facta, aut PROFECTIO. AVG. conſignata eſt, atque in aliis plurimis ſpectare vix oculus ſufficit. *Militaria arma.*

Exterarum deinde gentium amictus, & ornamentorum ratio, quam diverſa in tot Regum numis promicat! amœnum certe ſpectaculum Arſacidæ, Parthiæ Reges, præbent, queis caput mire comatum Cidaris, & humeros Candys, veſtis Regi propria contegit; neque minus Abgarorum Edeſſæ Regum, Tigranis Armeniæ Regis mitræ, ac veſtimenta eruditionis avidum oculum afficiunt, atque aliorum etiam Regum, Heroum &c. varia indumentorum genera. Tum autem plurimarum gentium veſtimenta, at- *Veſtimenta, & arma variarum gentium.*

atque arma, ea numismata frequentissime explicant, quæ easdem gentes ab Romanis victas, aut captas muliebri fere specie proponunt, aut vinctas sub tropæo stantes, aut genu flectentes, aut sedentes demisso vultu; uti ARABIA. ADQVISITA. DACIA. CAPTA. HISPANIA. RECEPTA. ARMENIA. ET. MESOPOTAMIA. IN. POTESTATEM. POP.R.REDACTAE. VICTORIA.CARPICA. & GOTHICA. Talia & in illis numis spectanda obveniunt, qui inscribuntur: DE. GERMANIS. DE. SARMATIS. DE. PARTHIS. item SIGNIS. RECEPTIS. ubi Parthus de genibus signum Romanum offert. In alio sedens sub tropæo effiicta est ALAMANNIA. in alio FRANCIA. Rursum alibi MAVRETANIA.PANNONIA.CAPPADOCIA. GALLIA. simul cum HISPANIA. quin & TRES. GALLIAE. adstantes conspiciuntur. Obruor jam illis, in quibus tot regionum Exercitus leguntur: EXERCITVS. NORICVS. CAPPADOCICVS. PERSICVS. SYRIACVS. RHAETICVS. MOESIACVS. aliique nonnulli. Taceo jam de illis numis, quos, aut RESTITVTORI, aut ADVENTVI. AVG. in tot provinciis inscriptos, superius adduxi. Quantam denique vestium, variorumque armorum notitiam illa numismata adferre poterunt, in quibus longissimus Virtutum ordo procedit, quarum suo quæque vestitu, armis, ac symbolis, summo cum ingenio, instructa apparet, incredibili Poëtarum, ac Pictorum utilitate? verum de his inferius.

De Diis, Deabusque.

Ad religiones, ac ritus transitum facio. Dii, Deæque, quorum nomina etiam Mythologiæ tirones norunt, in veterum numis omnes occurrunt: sed non vulgaribus sæpe cognominibus, symbolisque insignes. Ita Jovem, Apollinem, Dianam, Venerem, nec pueri ignorant; ast Jovem Casium, montis figura repræsentatum, aut Jovem Labradensem, securi armatum: Apollinem Actium togatum, aut Lycæum Apollinem cum lupo: Dianam Icariam,

seu

seu Tauropoliam, velatam, ac tauro vectam: Veneris Paphiæ simulacrum metam, seu conum esse, aliaque id genus, vix alii, præter numorum veterum interpretes norunt. Jam præter vulgaria illa Deorum signa, & instrumenta, ut Bacchi coronam ex hedera, aut pampinis, ejusque tigrides: Cereris spicas, & faces: leones, ac cymbala, seu tympana Cybeles: Chloridis flores, Neptuni tridentem, ac delphinos: laurum Apollinis, & lyram, aut arcum, & sagittas: Palladis noctuam, Veneris columbas, Mercurii alatum petasum, & arietem, vel canem, aliaque complura, quæ omnia numis insculpta occurrunt; præter hæc inquam, omittenda illa non sunt, quæ nomine quidem plerisque perspecta, imagine non item esse puto. Talia se spectanda offerunt Apis, seu Osiris, bovis simulacro effictus, inter cujus cornua lotus emicat: Isis cum sistro, & flore caput ornata: Harpocrates loto insidens: Telesphorus pallio, & peregrino pileo tectus: Æsculapius, Terminus, Silenus, Pan, Satyri, aliique suis cum symbolis. Tum muliebris formæ videntur Vesta, Lucina, tres Parcæ, Nemesis, Hygia, Nymphæ &c.

Monstra Fabulosa.

Fabulosa monstra longo hic itidem ordine procedunt: Hippocentauri, etiam currum trahentes: Scylla, canibus succincta: Hydra septiceps, ac trifaux Cerberus cum Hercule: cujus labores, duodenis plures, soli numi Græci, ac inprimis Nicæenses, repræsentant. Pegasus cum Perseo, Minotaurus Cretæ: Stymphalides aves, quarum formam, frustra hactenus quæsitam, ex Nicæno Maximi Cæsaris numo, absterfis fabulis, deteximus. Sphinges Ægypti, Gryphes, Phœnix radiatus: Tritones, Syrenes: Capricornus in piscem abiens, in Augusti numis frequens, qui eo sub sidere, felicitatis symbolo, natus est. Quin & omnia duodecim Zodiaci signa in eleganti Valeriani numismate resplendent: cum epigraphe loci:

ΑΙΓΕΩΝ. ΝΕ. ΝΑ. *Αἰγέων νεωκόρων ναυάρχιδος. Ægeorum, vel Ægaeorum aedituorum, Classicæ urbis*, in Cilicia.

Possem jam hic de magis reconditis Deorum nominibus, & figuris, quas numismata ostentant, aliqua disserere: uti de Cabiris fratribus, de Deo Luno, de Astarte, seu Dea Sidonia, de Sole Elagabalo, de Hyblæa in numo Hyblæ Siculæ, de Adrano, siculo itidem Deo: de Diana Leucophryne, & Pergæa: de Venere, & Baccho barbatis; de Derceto, Ascalonitarum Dea, in piscem desinente: de Coronide, Æsculapii Matre: de Alabando, Alabadensium Deo; de Jovis nominibus, ac figuris omnino multis, variisque, & mysteriorum gentilium plenis: de Canopi, & Anubis, Ægyptiacorum Numinum simulacris, atque aliis pluribus. Sed de quibusdam in utraque Appendicula sermo erit; cætera ad acuendum tironis gustum indicasse sufficiat.

Sacrificiorum apparatus. Ab Diis, Deabusque ad superstitiosum eorundem cultum delabimur. Vestium sacrarum, atque instrumentorum typos perpulchros numi commonstrant; hic mitra Pontificalis, seu albo-galerus cum infulis, tutulo & apice conspicitur, qui apex peculiare quoddam signum esse Flaminis Martialis, e numis discitur. Sacrorum deinde armorum apparatus hic omnis panditur: secespita, cultri genus est; securis, præferculum, seu urceolus, patera, simpulum, seu capeduncula, mero, vel sanguini capiendo apta, thuribula: item aræ, ac tripodes miræ varietatis. Præter lituum Auguralem, etiam in M. Antonii numo gallinæ pullus, ad vasculum quoddam avide tendens, exprimitur; quo, celebre illud Tripudii Solistimi augurium bono tunc omine processisse, notatur. Aspergillum item tum ordinarium, tum Lustralis ille Ramus, quo Censores ad lustrandum utebantur, in Augusti numis visitur.

Neque sola instrumenta, sed omnem Sacrificii pompam numi quidam ante oculos statuunt: Vittatos, & Corona-

ronatos Sacrificulos, ftantem fub ictu Infulatam Victimam, libantem ad aras Sacerdotem, Cornicines demum, aliosque miniftros, & affiftentes intueri licet. Sæcularium quidem certe Ludorum ritum omnem, e duodenis Domitiani numis feliciter eruit, ac erudite demonftravit exiguo, fed fucci pleno libello PETRUS RAINSANT, cui titulus: *Differtation fur douze Medailles de jeux féculaires de l'Empereur Domitien.*

Religiofos inter ritus, Ludi, atque Certamina, Diis quæque fuis confecrata, non poftremo loco funt. Urbium numifmata, quibus Certaminibus infignita habeantur, folemniora ex iis, ac frequentiora hic attingam. *Certaminum, & feftorum nomina, ac figna.* Alia a loco, in quo celebrari folerent, nomen accepere: ΗΛΙΑ, & ΟΛΥΜΠΙΑ. *Elia*, & *Olympia*, ab Elide, & Olympia, finitimis Peloponefi urbibus. Jovi hæc Certamina facra erant; & Olympia quidem ab Hercule inftituta: unde Olympiadum notiffima æra. ΝΕΜΕΑΙΑ. a regione ejusdem nominis, in Peloponefo, Herculi facra. ΙΣΘΜΙΑ. *Ifthmia*, in Ifthmo Corinthiaco, Neptuni, aut Melicertæ honoribus conftituta. ΑΚΤΙΑ. *Actia*, Apollini Actiaco facrata. ΠΥΘΙΑ. *Pythia*, Apollini Pythio, fic dicto, ob occifum Pythonem. Habentur quoque ΠΑΝΙΩΝΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Pythia, a Communi Jonum celebrata.* ΛΗΤΩΕΙΑ. *Latonæ facra.* ΔΗΜΗΤΡΙΑ. Matri Deum, Cereri dicata, *Cerealia.* ΚΕΝΔΡΕΙCΙΑ. id eft, κεντόρων δρόμῳ Ἴσια. *Stimulatorum curfu incitata Ifia*, uti exponit R. P. Harduinus, in honorem Deæ Iüs inftituta Certamina; cum Io etiam in Gazenfium numis fcripta fit ΕΙΩ. ΗΡΑΚΛΙΑ. *Heraclia*, ab Hercule Jovi Olympio inftituta. ΑCΚΛΗΠΙΑ. *Afclepia*, Æfculapio dedicata funt, quæ etiam CΩΤΗΡΙΑ. *Soteria*, id eft, *Salvatoria* nuncupantur; quod Æfculapius ægrotantes poffe falvos præftare crederetur. ΚΑΒΕΙΡΙΑ. *Cabiria*, a Diis Cabiris ita appellantur; qui tres fratres funt, Cabira, & Vulcano

geniti, & æris fabricam docuisse feruntur. CAPITOLINVM. Certamen, Jovi Capitolino consecratum erat.

Alia quædam certamina ab Augustis, & Cæsaribus, ut: CEBACMIA. vel AYΓOYCTEIA. *Augustalia*, & KAICAPEIA. *Cæsarea*, nomen traxerunt; ita etiam a nominibus privatis Imperatorum: TPAIANEIA. AΔPIANEIA. & EYCEBEIA. *Pia* ab Antonino Pio. KOMMOΔEIA. CEYEPEIA &c. a totidem Augustis compellata in numis leguntur. AΛEΞANΔPEIA. tamen ab Alexandro Magno potius, quam ab Alexandro Severo nomen obtinuere, aut fortasse diversis temporibus ab utroque. ATTAΛEIA. ΓOPΔIANEIA. Honoribus *Attali*, Pergami Regis, & *Gordiani Pii* Augusti instituta. ΦIΛAΔEΛΦEIA. *Fraterno Amori sacra*, qui inter Caracallam, & Getam optabatur. EΠINEIKIA. Quæ occasione *Victoriæ*, ab Augustorum aliquo relatæ, indicta fuerunt.

Alia Certaminum vocabula aut modum ipsum, aut habitos Victoribus honores indicant: SACRA. PER. OECVMENICA, seu OIKOYMENIKA. ad quæ convenire liceret omnibus, *ex omni terra habitata:* ἐξ οἰκουμένης. *Sacra* vero dicta sunt, quia Diis consecrata: aut quod Sacræ Coronæ eorum præmia essent. τὸ PER. alii legunt *Perpetua*, alii *Periodonica*, vel *Periodica:* ad quæ nempe invitarentur *Periodonicæ*, περιοδονῖκαι, qui *Periodum* vicissent. Id quod alii de illis dictum volunt, qui decies, vel decies, & septies Victores evasissent; aliis, cum Festo Pompejo, *Periodonicæ* sunt, qui Pythia, Isthmia, Nemea, & Olympia vicissent. ISELASTICA. IΣEΛAΣTIKA. ab εἰσελαύνειν, quia victores ingenti *cum plausu invehi* in urbem solebant; ab hac ingressus pompa, aut ab ipso decursionis modo EN. KOΔPEIΓAIC. *In quadrigis* Certamina appellata sunt. XPYΣANΘINA. dicuntur, quorum Victores Corona, *aureis floribus* contexta, donari constitutum esset. His porro Ludorum, ac Certaminum inscriptionibus numismata Deos Præsides, certantium currus, palmas, aliosque

ra-

ramos, & coronas præsertim adjungunt. Egregie cum numorum typis concordat LUCIANUS *in Anacharsi*, ubi Olympiis oleaginam coronam, Isthmiis pineam, Nemeis ex apio, Pythiis vero poma attribuit. Isthmiis tamen apium frequentius adjungitur, & Augustalibus quercus, ob memoriam Octaviani Aug. De alio Ludorum vocabulo, quod in Philippi numo ΔΟΥCΑΡΙΑ. inscribitur, quodque ab nemine, quod sciam, hactenus proditum est, in Appendicula agetur.

Judaicum adeo Tabernaculorum festum, Σκηνοπηγίαν græcis dictum, pulchre, expresso Tabernaculo, numisma ΒΑCΙΛΕΩC. ΑΓΡΙΠ. *Regis Agrippæ* Junioris indicat; atque in altera numismatis facie per Spicas, Pentecostes festum denotatur, quod & ab Hebræis קָצִיר & θερισμὸν, *messem* a græcis appellari, observavit Spanhemius.

Lectisternii, apud Romanos usitati, apparatum Cæliæ familiæ numus producit; ubi in ara, tropæis adstantibus ornata, Dei simulacrum recumbit; inscriptio L. CALDVS. VIIVR. EPVL. *Lucius Caldus Septemvir Epulonum*; ad quos Septemviros Lectisternii cura pertinebat.

Consecrationis porro ritum (quo Augusti inter *Divos* referebantur, postquam inter vivos esse desiissent) numismata Rogo quodam, multo ornamentorum, & imaginum suggestu insigni, exprimebant, cujus vertici quadrigarum, aut aquilæ simulacrum impositum cernitur. Similem funebrem structuram nunc vulgus Castrum Doloris vocat. Nonnunquam Apotheosis ista Stellam symbolum habet, quæ indicat, sideribus receptam esse illius Imperatoris animam; alias sola Aquila id denotat; vel quia Jovis ministra est, vel quia vivam aquilam e Rogo succenso, in quo clausa antea detinebantur, repente dimittebant, signum animæ Augusti, in cœlum evolantis. Augustarum CONSECRATIO aut Pavone, Junonia ave, significata comparet, aut Tensa, mulis juncta. Tensa *Consecratio Augustorum.*

currus erat, quo Deorum exuviæ ad pulvinar in circum vehebantur: id græcis in numis ΑΠΗΝΗ, ipſo hoc vocabulo tenſæ adſignato, compellatur. Cæterum Ludi, Venationes, variaque ſpectacula Romanorum, cum ipſo, res certe viſu jucundiſſima, Circo maximo, aut Hippodromo, aut Amphitheatro, eorumque acceſſoriis ſtructuris, metis, ſtatuis &c. priſco in ære repræſentantur.

Ædificia. Res ipſa me hic ad extantia hodieque in numis veterum Ædificia deducit, ex quibus originarias formas inſtauratæ jam ad priſtinam majeſtatem, ac perficiendæ Architectonices petere hujus artis ſtudioſus poterit. Nam præter modo relata publica illa, grandiaque ædificia, Templis quam plurimis numi reſplendent, quorum alia ingenti fornice faſtigiata, alia periſtyliis, aut longo præſtructorum graduum aſcenſu, alia ambulacris, columnis, ſtatuisque magnifice ornata: qualia ſunt, IOVI. VLTORI. aut IVNONI. MARTIALI. aut AETERNITATI. FLAVIORVM. aliisque inſcripta. Urbium numiſmata quot, & quam varia Delubra, ac Templa exhibeant, longum foret recenſere; unicum adeo numiſma non raro duas, aut tres etiam Deorum ædes miranti oculo objicit. Arcus triumphales, ſtatuis, ac columnis decoros, ingenti artis oſtentatione in numis cœlatos, ſola Neronis tempora quot non ſufficiunt? quam ſuperbi illi Arcus in numis Trajani cum epigraphe: FORVM. TRAIANI. & in altero BASILICA. VLPIA. Quæ jam alia memorem? tot Coloſſos ſumma arte, & ingenio deſignatos: Columnas, etiam Roſtratas, aut Pharo non abſimiles, Obeliſcos, Pontium ſtructuras miræ elegantiæ, ſeu quibus fluvii conſtrati, ſeu quibus VIAE MVNITAE SVNT. In tanta monumentorum veterum copia, ac venuſtate varii generis tectorum, graduum, trabeationum, ac baſium, atque aliorum decoraminum formas deprehendet Architectus: diverſos item columnarum ordines; uti inter cæ-

te-

teros, Corinthiorum numus, Getæ honoribus percussus, Capitellum unicum columnæ, Corinthiaci ordinis, cum parte scapi, omni studio expressum exhibet.

Mirum quantum Architecto, veterum rerum, uti oportet, studioso, arridebunt ista: coram in ære intueri Rostra, sedem illam Romanæ facundiæ, tum vetera, in numo Lolliæ familiæ, inscripto cognomine PALIKANVS. Cum nova etiam Rostra Julia, a Cæsare erecta, quæ in numismate Sulpiciæ familiæ extant, cum epigraphe: C. SVLPICIVS PLATORIN. *Cajus Sulpicius Platorinus.* Basilicam itidem, quam teste M. Tullio *ad Attic. L. 4. epist. 16.* Paullus, ex Æmilia gente, erexit, ita inscriptam numus proponit: AIMILIA. M. LEPIDVS. REF. S. C. *Æmilia* basilica: *Marcus Lepidus refecit, Senatus consulto.* Deinde VIL. PVB. *Villa publica* in Titi Didii numo, & in alio Scribonii Libonis, PVTEAL. SCRIBONI. visitur, quod ara quædam erat. Rursum alibi Comitium cum CLOACINA in oculos incurrit, ibidemque Togati, suffragia in urnam conjicientes: alibi Prætoris Tribunal spectatur, adjecta tabella, cui duæ Judiciariæ literæ inscriptæ leguntur. A. C. *Absolvo, Condemno.* Denique tot, ac tam varia opera minoris structuræ, quibus plena sunt numismata, vix attingere jam licet: Aras, Rogos, Sellas Curules, atque alias: Curruum diversa genera, itemque Navigiorum, & his plura, quæ veteri in ære mallem, quam hac in charta, ab antiquariæ rei tironibus legi.

Caput Ultimum.

Numorum Veterum Utilitas, ad conciliandum amorem Virtutum.

Numorum Veterum studium facilis via ad virtutem.

FUit id veteribus in more positum: ut non præceptis modo, ac legibus, sed fabulis etiam, symbolisque Virtutem animis instillarent. Ea ratio, propterea, quod

quod suavì illàpsu mentem occupat, & ipsa nonnunquam legum vi valet amplius, aut felicius durat. Jucundam ejuscemodi Virtutum Scholam, earum præsertim, quæ ad mores, ac civitatem pertinent, Romana nobis numismata recludunt; eorum plurimæ aversæ partes Virtute aliqua, personam lepide induta, insignes comparent, quæ præclara sui imagine oculos omnium, animosque advertat. Sane Paullo Pedrusio, e Societate Jesu, id studii genus appositum ad Virtutis amorem medium visum est: quippe numorum veterum, quæ Parmensis Gaza servat, explanationem omnem eo direxit; ut nobilium adolescentum, qui tum Parmæ Musis operam dabant, animos ad Virtutem inflammaret. Neque defuerunt alias, qui planiori hac via ad Virtutem a vitiis declinarent. Apud WAGENSEILIUM *dissert. de Re Monet. Vet. Rom.* Æneas Vicus refert: novisse se aliquos, quos unius rei numariæ studium, ad Virtutem a perdita luxuria traduxisset. Et certe ornatissimum illud virtutum agmen, quod Romano in ære identidem sese offert, pertinaces etiam animos in sui denique amorem abripiet.

Virtutum variarum simulacra.

Jam primum ob oculos sese sistunt HONOS. ET. VIRTVS. ut individuos comites noris: *Honos* laureatus, Cornu Copiæ sinistra sustinet, dextra hastam puram, id est, sine pilo, seu cuspide. *Virtus* galea, & sago, more militari tecta, dextra parazonium, læva hastam gerit; ea Martis etiam, aut Herculis sub symbolo effingitur, quæ tot monstra debellat, quot vitia. Mox huc se infert AEQVITAS. quæ præter Amaltheæ Cornu, ac hastam puram, bilance est instructa; quo signo etiam MONETA. quæ ad Æquitatis opera momenti plurimum habet, semper armata visitur; ea tribus personis expressa: Aurum, Argentum, Æs denotare solet. IVSTITIA. sella curuli, nempe pro tribunali assidet, hasta pura insignis, & porrecta patera, Religionem sibi curæ esse, ostendit.

FI-

FIDES. MILITVM. aut FIDES. EXERCITVVM. dextras jungit, aut militaribus in ſignis dextram erigit: iisdem implexis manibus Spicas, & Caduceum FIDES. PVBLICA. adjungit, ubertatis, ac felicitatis notas. CONCORDIA. qua etiam res parvæ creſcunt, pateram ad aras attinet; quod Religione firmetur: tum bina adeo Copiæ Cornua oſtentat, adpoſita quandoque ſtella, bono ſidere: & floribus bonæ ſpei ſignis. CONCORDIA. EXERCITVVM. Signa militaria, Victoriolæ ſimulacrum alatum, manu prætentum, aut junctas iterum dextras oſtentat. CONCORDIA. AVGVSTORVM. CONCORDIA. MILITVM. CONCORDIA. FELIX. CONCORDIA. AETERNA. atque ſimilia, ipſos Auguſtos, ut M. Aurelium, & L. Verum: aut Auguſtum cum Jove, vel Marte, vel Auguſta, vel Senatu Romano, dextram committentes exprimit.

PAX. PVBLICA. PAX. AETERNA. Oleæ ramum, Cornu Copiæ, Caduceum, haſtam puram, alias & facem offert, qua bellica arma exurit. Tiberii Claudii numus PACI. AVGVSTAE. inſcriptus, mythologico inſignitus eſt ſymbolo; ubi Pax alata, Caduceo ſerpentis capiti imminet. Fertur de Mercurio fabula: eum ſerpentes binos, hoſtiliter congreſſos, virga contigiſſe; mox, placatis odiis, eosdem circum virgam amice ſeſe amplexos pependiſſe. Inde Pacis, & Felicitatis ſymbolum habetur ea virga. Caduceum idcirco latino ſermone dictam putant; quod lites, ac contentiones cadere faciat. Græcis ΕΙΡΗΝΗ. *Pax*, ſpicis coronata, frugum terræ ubertatem, cum pace florentem, ſignificat.

Pacis fidæ Sociæ ſunt SECVRITAS. & TRANQVILLITAS. SECVRITAS. PVBLICA. vel PERPETVA. vel AVGG. vel ORBIS. alias ſtat, alias ſedet: nonnunquam ſemicincta, caput manu dextra fulcit, columnæ, aut

hastæ puræ innixa, aut sertum, aut crumenam gestans, cui etiam ara adstituta visitur. TRANQVILLITAS. stat, temone navis fulta, manibus hastam puram, aut spicas præfert: est & BEATA. TRANQVILLITAS. aræ inscripta. Deinde SPES. AVGG. vel PVBLICA. celeriter gradientem refert, ac dextra florem attollit. Est & MODERATIONI inscriptum numisma, & alterum CLEMENTIAE. parvula virtutum harum sigilla multo, varioque ornamentorum, ac sertorum decore isthic circumdata, quanto in pretio hæ virtutes fuerint, commonstrant. Est in Cimelio nostro Commodi numus, ex ære medii moduli, qui in aversa parte singularem hanc inscriptionem intra Coronam lauream offert: MAGNIFICENTIAE. AVG. COS. VI. De LIBERALITATE. ac MVNIFICENTIA. AVG. exempla, & symbola attulimus; quo & VBERTAS. & ABVNDANTIA. & PROVIDENTIA. AVG. & ANNONA. procurata, & FELICITAS. TEMPORVM. vel PVBLICA. vel SAECVLI. virtute parta pertinet. Hæ omnes, jam Cornu Copiæ, jam spicas, alias orbem, Caduceum, modium tritici, papaver, oleæ ramum, aram, Deos, Augustorum capita, aliaque præ se ferunt, facili omnium interpretatione.

Mulierum deinde propria virtus PVDICITIA. vultum obtegens, Augustarum in ære sæpius commendatur. DISCIPLINAM, & fortasse PATIENTIAM. Hadriani numismata prædicant. Quid jam de aliis Virtutum Comitibus, aut Filiabus dicam? quales occurrunt Victoria aligera sertum, & palmæ ramum offerens, vel tropæum struens, vel scuta inscripta obtendens, & centum denique modis variata; seu VICTORIA. AVG. seu VICTORIA. AETER. *Æterna*, aut aliter, compel-

pelletur. Dein pileo, aut rude, vel Cornu Copiæ insignita LIBERTAS. & virente cum olea, ac hasta pura LIBERTAS. PVBLICA. Tum HILARITAS. LAETITIA. FVNDATA. quæ serta, flores, ramos, anchoram etiam, & temonem ostentant; ut sua lætitiæ moderamina sint, & firmamenta. Virtutum denique omnium corona AETERNITAS. effulget; quæ jam stat ad aras expansis manibus, jam orbem pede premit, aut eidem, circulis astronomicis inscripto, insidet: alias, annulum sustinens, Leonibus vehitur, aut Elephantis, quos diutissime vitam protrahere perhibetur: nunc orbem, cui Phœnix insidet, nunc temonem, aut hastam puram manu fert: demum alibi una manu Solis radiatum, altera Lunæ cornigerum caput contollit, perpetuas alterni temporis mensuras.

At enim PIETAS. & RELIGIO. mihi intactæ ut abeant? quando harum testes numi fere decimo quovis forulo recurrunt. Næ tu mihi bellus homo es: injiciet fortasse aliquis, qui stimulari nos ad Pietatem, ac Religionem, munificis veterum superstitionibus posse arbitraris. Arbitror sane; nam veri Dei Cultor, ubi perpetuam illam Deorum, ac Religionum memoriam, tot concepta, ac soluta Vota, tanta solemnitate actas gratias: ubi contuitus fuerit tantis sumptibus excitata templa, delubra, statuas, aras, ubi PROVIDENTIA. DEORVM agnita: ubi SALVS. AVG. aris inscripta, ubi summa negotia, Religionibus cœpta, aut terminata, ob oculos observata fuerint; ubi vel uni Jovi, quæ laudes non adscriptæ sunt? I. O. M. *Jovi Optimo Maximo.* IOVI. SOSPITATORI. VLTORI. QVIETATORI. VICTORI. CONSERVATORI. AVGVSTI. &c. & illa IOVIS. STATOR. ubi Jovis in

Religio, & Pietas in Deos.

recto casu est; Stator, quod fugam stiterit: ita & IOVIS. CVSTOS. Tum persoluta & suscepta Vota. VOT. X. MVLT. XX. MVLT. XXX. Vota decennalia persoluta: & suscepta pro multis vicennalibus, multis tricennalibus: loco MVLT. alias SIC. legitur: SIC. XX. Sic Vicennalia &c. decurrant. Cum a victoribus CL. V. Clypeos Votivos poni, & mille alia Religionis curatissimæ testimonia deprehenderit. Hæc, inquam, omnia ubi Orthodoxus cum animo suo reputaverit; nulla ne mentem pulsabit cogitatio: Hem! malo Dæmoni tantum cæcæ gentes honoris, atque cultus impenderant; & ego Veri, & Unius Dei Cultor, num paria facio saltem, cum citra comparationem plura, ac majora deberem?

Pietas in Principes, Filios, Parentes.

Neque vero PIETAS in Principes, in bene meritos, in Patriam, aut Parentes, Liberosve peculiari symbolo caret; dum ei Ciconiam adstitutam cernimus, animal in parentes gratum, si aliud quodquam. Inde græcum *ἀντιπελαργεῖν*, *gratias reddere*, a voce πέλαργος, *Ciconia* deducitur; & vice versa apud Hebræos חסידה *Ciconia*, a חסד *beneficentia*, ortum trahit. Pietatem in Principes tot tituli, & honores, etiam nimii, post mortem habiti contestantur: illa etiam Græcorum: ΘΕΑ. ΡΩΜΗ. *Dea Roma.* ΙΕΡΑ. CΥΝΚΛΗΤΟC. aut ΙΕΡΑ. ΒΟΥΛΗ. *Sacer Senatus*, piam subditorum reverentiam luculenter commendant. Augustarum in liberos Pietas ipsarum personam exhibet, binos etiam infantes uberibus admoventem, cum epigraphe, vel SORS. REIPVBLICAE. vel PIETAS. AVGVSTAE. At hoc tempore sortem hanc, ac pietatem quæ detrectant Matres! quantum inferiores!

Sexti Pompeji numisma Antonius Augustinus felicissime exposuit; ubi duo filii, alter Patrem, Matrem al-

alter humeris susceptos asportant, in medio stat Neptunus. Inscriptio, incipiens a capite Cnei Pompeji Magni (qui Sexti Pater erat) & in alteram partem continuata, sic habet: MAG. PIVS. IMP. ITER. PRAEF. CLAS. ET. ORÆ. MARIT. EX. S. C. *Magnus Pius, Imperator iterum, Præfectus classis, & oræ maritimæ, ex Senatus Consulto.* Duo dicti Juvenes Catanæ, dum Ætna fureret, pii in Parentes, Æneæ æmuli extiterant, & eosdem flammis eripuerant. Hoc exemplo, tunc celeberrimo in Sicilia, Sextus Pompejus suam in Patrem Pietatem signaverat, cujus mortem ultor persequebatur, uti historiæ confirmant. Noluit vero Æneæ effigie uti; quod auctor esset familiæ Juliæ, cui inimici utique Pompeji erant. Neptunus, aut Præfecturam Classis notat, aut ipsum Sextum Pompejum, qui a militibus, vivo adhuc Patre, per adulationem Neptuni filius appellabatur.

A superstitiosa, aut naturæ ductu præstita Pietate, *Christianæ Pietatis monumenta.* ad monumenta Christianæ Pietatis lubens convertor, quibus numismata ab Constantini Magni temporibus consecrata videmus. Celebre illud Monogramma ☧ (quod literis X & P initialibus *Christi*, Χριστοῦ nomen indicat) in Placidiæ numo, lauro cinctum, in galea Constantini, & in signis militaribus frequentissime emicat, inscriptionibus variis: GLORIA. EXERCITVS. vel HOC. SIGNO. VICTOR. ERIS. vel GLORIA. ROMANORVM. Magnentii numisma ita profert: A. ☧. ω. SALVS. DD. NN. AVG. ET. CAES. *Alpha, & Omega Christus, Salus Dominorum nostrorum Augusti, & Cæsaris*, Magnentii videlicet, ac Decentii.

Præterire hic nolo: hoc ipsum monogramma, e Græcis elementis X. & P. compositum, jam antea in Pto-

lemæorum, Ægypti Regum, numis insculptum legi; id quod in uno ipse perspicue vidi. Ubi tamen Christi Servatoris nomen indicatum utique non fuit; verum aut initiales literæ urbis, aut Monetarii signum, aut aliud denique nobis ignotum illic expressa fuerant. Idem hoc monogramma Isidorus Hispalensis recenset inter notas, dispungendis sententias servientes, & exponit: χρήσιμον, quasi *Utile* ad omnia; quod nempe, ex mente Isidori: *Est nota ad voluntatem cujusque.* Eleganter tamen assumptum est ad χριςȣ̃ nomen indicandum; cum & Crucis figuram in litera χ, & initiales duas literas ejusdem sacri nominis complectatur, quod profecto universo hominum generi χρησιμώτατον fuisse, læti confitemur. Salutiferum itidem Crucis signum, jam lauro circumdatum, jam in Augustorum manibus, & capite, jam his literis inscriptum comparet: IC. XC. NIKA. *Jesus Christus Vincit.* Ipsa Servatoris effigies, radiato capite insignis, cernitur cum epigraphe: SALVS. REIPVBLICAE. aut IhS. XPS. REX. REGNANTIVM. aut græce idem: IS. XS. bASIL. bASIL. Ιησȣ̃ς Χριςὸς Βασιλεὺς Βασιλέων. Vetat me brevitas ad illa etiam divertere, quæ numorum veterum notitia ad exactam Sacrarum Literarum expositionem conferre possit. Id solum habeto: extare orationem, compositam a R. P. Ægidio Laccary, Soc. Jesu, qua interpreti Sacræ Scripturæ numismatum intelligentiam necessariam esse contendit. Mitius ea de re R. P. Grainville, ejusdem Societatis, qui dissertatione, inter suas octava, utilitatem numorum, ad S. Bibliorum interpretationem, exemplis ostendit, quam, si lubet, in Memoriis Trivultianis consule. Similia variis in operibus Doctissimus P. Harduinus quoque sufficiet.

Fi-

Finem dissertatiunculæ huic, de numorum veterum ad Virtutis studium utilitate, imponant verba FRANCISCI PETRARCHÆ, Bono Reipublicæ Literariæ Nati. Is cum Carolo IV. IMP. numos aliquot Augustorum, qui se Virtute, & Clementia commendarent, dono misisset, hisce verbis munus exornavit: *Ecce Cæsar, quibus successisti! Ecce quos imitari studeas, & mirari, ad quorum formulam, & imaginem te componas* &c. *Tuum est, non modo nosse, sed sequi; Tibi itaque debentur.* Hæc sibi, habita sui status ratione, dicta quilibet putet, qui veterum numismata tractaverit. Quod si, eadem perlustrando, quidpiam occurreret, quod ad Virtutem minus facere, aut adeo cum ea pugnare videretur: etsi in græcis vix, ac ne vix quidem in latinis id eveniat; tum illud Divi Basilii, ad adolescentes, de librorum lectione monitum, huc, velim, quisque accipiat: Ου πάντα ἐξῆς παραδεκτέον ἡμῖν, ἀλλ᾽ ὅσα χρήσιμα. *Non igitur omnia nobis recipienda sunt, sed utilia duntaxat.*




INDEX



INDEX CAPITUM Dissertationis De Utilitate Rei Monetariæ Veteris.

AP-



APPENDICULA
Ad
Numos Coloniarum Romanarum,
Per Cl. Vaillantium editos.



I.

AVGVSTVS. CORINTHI. Caput Augusti nudum.


C. HEIO. POLLIONE. ITER. C. MVSSID. PRISCO. IIVIR. *Cajo Hejo Pollione Iterum, Cajo Mussidio Prisco, Duumviris.* Corona ex apio.

NUmos Augusti bene multos, Corinthi signatos, Doctissimus Vaillantius producit; hic noster tamen in illius præclaro opere non extat. Quanquam Corin-

rinthiacos numos, cum hoc eodem averſæ partis typo, atque inſcriptione eadem, adferat in Agrippa Juniore, in Tiberio, & in Germanico. Cum igitur omnes hi numi eadem Duumvirum nomina, & quidem HEIO. ITERVM. præ ſe ferant: ac certum ſit, Duumviros Coloniis, ut Conſules Urbi, non ultra annum præfuiſſe; conſequens eſt, hos tres Vaillantii numos, una cum noſtro Octaviani Auguſti, eodem anno percuſſos fuiſſe. Cur vero his quatuor potiſſimum: Auguſto, Agrippæ, Tiberio Cæſari, & Germanico, uno eodemque anno numum Corinthii inſcripſerint, & quis ille annus fuerit, ſic habeto: Anno Æræ Chriſtianæ quarto, V. C. 757. S. Ælio Cato, & C. Sentio Saturnino Coſſ. Auguſtus, V. Kalendas Julias, adoptavit *Tiberium*, & eadem die *Agrippam*. Velleius *L. 1. c. 103.* Sueton. *Tib. c. 12. & 15.* Ne vero quid moveret Tiberius, juſſus eſt ab Auguſto Germanicum adoptare, antequam ipſe adoptaretur. Dio *L. 55.* Tacitus *L. 1. Annal. c. 13.* Sueton. *cit. l.* Subditque Vellejus: ea die inſolitis votis, ac plauſibus Romam omnem perſonuiſſe. Igitur & hoc eodem anno his quatuor de adoptione tam ſolemni gratulantur ſignatis numis Corinthii. Quare non recte videtur Vaillantius in Germanico, hunc ejusdem numum ad annum Æræ Chriſti 17. V. C. 770. referre, quo, aut ſequente, Tiberius III. & Germanicus II Conſulatum adierunt; præſertim, cum ipſemet in Agrippa inſinuet: Tiberii, & Agrippæ dictos numos intra annum adoptionis eorundem cuſos fuiſſe, quem annum Æræ Chriſt. 4. & V. C. 757. fuiſſe conſentiunt Calviſius, Petavius, Pagius, & Uſſerius, qui poſtremus tamen anno V. C. Fabiano utitur. Corona ex apio Iſthmia Certamina denotat; quod ex aliis numis Corinthiacis patet, ubi in medio coronæ ex apio legitur: ISTHMIA. Neptuno hæc ſacra erant, Iſthmi Corinthiaci Tutelari Deo. Hinc & Pindarus *in Nem. hymno 4.* Neptunum Corinthiaco

thiaco apio coronatum inducit: quod jam advertit Patinus, & Vaillantius.

Numus hic, ad dictos tres, simili inscriptione signatos, adjectus, atque ita ad Historiam illustrandam proficuus, ex ære parvo est.



II.

A. VATRONIO. *Aulo Vatronio.* Caput Augusti nudum.

L. FVRIO. LABEONE. IIVIR. COR. *Lucio Furio Labeone, Duumviris Corinthi.* Pegasus.

VAtroniam familiam, ex qua hic Aulus Duumvir erat, apud antiquos scriptores nuspiam reperio. Inscriptio tamen vetus apud Gruterum *pag. 1077.* tres Vatronios, Caji prænomine, & diversis cognominibus insignes exhibet, atque una primum detectam hanc in numo familiam comprobat. L. Furius Labeo, in alio Augusti numo apud Vaillantium cum L. Arrio Peregrino Duumvir Corinthi affertur. Igitur, aut bina Duumvirum paria, ob negotiorum accrementa, tum Corinthi erant: cujus rei exempla in aliis Augusti numis clara habentur; aut Furius, horum altero collega mortuo, alteroque suffecto, novum numum signari fecit. Nam si alio anno Furius

rurſum Duumvir fuiſſet, τὸ ITERVM. adjunctum eſſet; niſi vero & hoc quandoque neglectum eſt.


Pegaſus, notum Corinthi inſigne, a Bellerophontis fabula ortum habet. Eam inde natam putant, quod Bellerophon veloci, & præclaro equo in circo uſus; aut quod nave celeri, equi forte figuram præferente, vectus ſit. Utrumlibet ſtatuas, τὸ Πήγασος fortaſſe propius ad veritatem a Πηγὸς, *firmus, bene formatus*, quam a Πήγη, *fons*, quod is equus ad Prienen fontem captus ſit, derivari poterit. Πηγὸς enim tam navi bene compactæ convenit, uti per ſe patet; quam etiam præſtanti equo. HOMERUS *Il.i.v.123.*

— — — δώδεκα δ' ἵππους

Πηγοὺς ἀθλοφόρους.

Duodecim etiam equos, bene formatos, præmia certaminis ferentes. De Familia Furia, item de nominibus Duumvirum numi præcedentis, jam Vaillantius notatu digna attulit.

Numus hic ex ære parvo eſt.



III.

. . . . VDIVS . . . . COR. *Tiberius Claudius, Corinthi.* Caput laureatum Tiberii Claudii.

. . . . ONIO. FLAM. CN. . . . Duæ figuræ togatæ ſtantes, dextra pateram tenentes. *Parvi moduli.*

HIc numus a Doctiſſimo LIEBEO, *in Gotha Numaria*, vul-

vulgatus, mutilus pariter exhibetur. Hic noster tamen urbis nomen, COR. & cognomen Duumviri prioris, FLAM. quod *Flamine*, vel *Flaminiano* legendum puto, atque etiam alterius Duumviri prænomen, CN. *Cneo* aperit. Cætera in laudato Liebeo videri possunt.



IV.


NERO. CLAVD. CAES. AVG. *Nero Claudius Cæsar Augustus.* Caput Neronis laureatum.

M. AC. CANDIDO. IIVIR. GEN. COL. COR. *Marco Acilio Candido Duumviro. Genio Coloniæ Corinthi.* Figura muliebris stans, dextra pateram, sinistra Cornu Copiæ gestat.

APud Vaillantium hic, sub Nerone, Corinthi Duumvir non comparet; eum tamen ante nos protulit Liebeus, *in Gotha Numaria*, e simili numo. Acilia gens plebeja est: Candidus, cognomen a colore. Figura muliebris Genium urbis Corinthi repræsentat. Nam locis juxta, ac hominibus Genios Tutelares præesse, etiam Idololatræ crediderunt. Servii *Glossa in illud.* Virgilii *L. 5. Æneid. Incertus, geniumne loci* &c. ita habet: *Nullus locus sine Genio est.* Genius a prisco verbo *geno*, seu gigno di-

citur; hinc, cum rebus gignendis præsit, ubertatis signum Cornu Copiæ gerit: quam tamen ubertatem Religione quærendam esse, porrecta patera monet. Genios muliebri etiam forma effictos esse, hic, aliique numi veteres docent; quanquam virilis forma frequentior sit: qua forma etiam in Neronis alio numo Vaillantius Genium Coloniæ Corinthi sistit.

Numus hic æneus, pariter alii duo Neronis, qui sequentur, parvi moduli sunt.



V.

NERO. CLAVD. CAES. AVG. *Nero Claudius Cæsar Augustus.* Caput Neronis laureatum.

M. AC. CANDIDO. IIVIR. COR. *Marco Acilio Candido Duumviro Corinthi.* Neptunus vehitur duobus equis marinis.

NEptunus Tutelare Corinthiorum, & Isthmi numen est, uti ex PAUSANIA *in Corinth.* ex Pindaro citato ad numum I, atque ex multis Corinthiorum numis, Neptuno signatis, colligitur; rarius tamen illic equis marinis (qui ob flexam caudam Hippocampi, Ἱππόκαμποι, dicuntur) vectus exprimitur. Hac Neptuni figura ad Neronem ipsum

Co-

Corinthii, tanquam alterum Neptunum, & suum Tutelarem allusisse videntur. Nero enim Corinthi Isthmia, Neptuno sacra, ingenti cum solemnitate celebravit, ac deinde, velut novus maris Arbiter, ingenti apparatu, & admota ipsemet manu Isthmum perfodere, ac maria committere aggressus est: uti SUETONIUS refert *in Nerone c. 19.* & XIPHIL. *ex Dione L. 63.*



VI.

NERO.CAESAR. Caput Neronis laureatum.

TI. CLA. ANAXILAO. IIVIR. COR. *Tiberio Claudio Anaxilao Duumviro Corinthi.* Figura muliebris stans, dextra coronat Imperatorem togatum.

ITerum hujus Coloniæ Genius muliebri habitu comparet. De Nerone in Achaja versante narrat XIPHILINUS *ex Dione L. 63.* eundem omnibus in urbibus certasse, & victorem proclamatum esse his verbis: NERO. CAESAR. *Victor hujus certaminis coronat Populum Rom. & suum orbem terrarum.* Hoc tamen in numo Genius Coloniæ Neronem Victorem coronat.

Claudia gens, ex qua hic Duumvir, & in quam adoptatus ipse Nero erat, Patritia est, e Sabinis oriunda, cui prænomen Tiberius familiare. Anaxilaus superbum cognomen,

nomen, a Græcis sumptum, *Rex populi*, aut potius *Salvator populi*, latine reddi potest; nam juxta SCHOLIASTEN EURIPIDIS: Ἄναξ κυρίως Σωτὴρ, *Anax proprie salvator* dicitur.



VII.

NERO. CLAVD. CAES. AVG. ANNI. CII.

Nero Claudius Cæsar Augustus, anni 102.
Caput laureatum Neronis.

OCTAVIA. AVG. C. I. F. S. *Octavia Augusta: Colonia Julia Felix Sinope.* Caput Octaviæ, Uxoris Neronis.

SInope potens erat Paphlagoniæ urbs, teste DIODORO SIC. *Lib. 14.* Ἡ Σινώπη Μιλησίων ἦν ἄποικος, κειμένη ἐν τῇ Παφλαγονίᾳ, μέγιστον εἶχεν ἀξίωμα τῶν περὶ τοὺς τόπους. *Sinope Milesiorum erat Colonia, in Paphlagonia sita: Maximam habuit in illis locis auctoritatem.* Quare & a STEPHANO Διαφανεστάτη, *Illustrissima* compellatur. Eandem ad Euxini maris littus stetisse, pulcre FLACCUS *Lib. 2.* indicat:

Magnæ Pelago tremit umbra Sinopes.

Sinopensium numi admodum rari sunt: neque, cum Epochæ notis, tribus plures offendit Vaillantius. Duplicem tamen hujus urbis Epocham inde eruit ipse, & Eruditissimus P. Harduinus. Prior Epocha statuitur anno V. C. 684. in autumno cœpisse, quo Sinope a Lucullo liber-

bertate donata est. Alterius initium ducitur ab autumno anni V. C. 705. itaque primus annus maximam partem congruit cum anno V. C. Romano 706. quo Colonia per Julium Cæsarem Sinopen deducta fuit. Utramque hanc æram STRABO *Lib. 12.* testimonio suo confirmat.

Ad posteriorem æram pertinent numeri 102. in rarissimo hoc nostro, parvi moduli, numo signati. Nam si ad 705. addam 102. devenio ad an. V. C. 807. qui fuit Neronis primus: id quod ipsum, constitutum hactenus hujus æræ initium egregie confirmat.

Gratissimum hic me aliquid Erudito Lectori præstiturum existimavi; si Epistolæ partem retulero, quam ad me Belgrado anno 1733. dederat Collega meus; in qua, præter alios Græcos, & Coloniarum numos, ab se in Asia partem contrectatos, partem comparatos, ita ad extremum quosdam Sinopenses, epocha etiam insignes, recenset.

C. I. F. XXXI. *Puto ante numeros esse A.* Caput Augusti, sine Corona.

EX. D. D. Capita jugata M. Antonii, & Cleopatræ. *Ex ære medio.*

IMP. SEV. ALEXAND. . . . . Caput laureatum.

C. I. F. S. A. CCXCIIII. Figura cum hasta, confidens in lecto. Numus hic *ex ære magno est*, barbaræ manus fabrica.

IMP. MAXIMINVS. AVG. Caput laureatum.

C. R. I. ꟼ. Ƨ. AИ. ƆƆƆ. V. *sic.* Templum distylum, in quo, ut puto, Nemesis sin. elevans stat, dextra flagellum tenet, ad pedes rota. *Ex ære medio.*

TRANQVILLINA. AVG. Caput. Sed barbaræ manus opus, magis etiam, quam prior Maximini numus.

C. I. F. S. Templum distylum, in quo figura stans, præcedenti similis, sine rota. *Ex ære medio.*

M. IVL. PHILIPPVS. CAES. Caput sine corona.

C. I. F. S. AN. CCC. XIX. Templum diſtylon, in quo mulier ſtans, ſeu Dea dex. pomum tenet, ſin. flagellum, ad pedes rota. *Ex ære magno. Hactenus laudatæ Epiſtolæ verba.*

Rariſſimis his numis, à Viro antiquitatis egregie perito exacte deſcriptis, Epochæ anterioris Sinopenſium confirmationem debemus, quam ex unico Gordiani numo Vaillantius eruerat. Primus certe, ex hic propoſitis, Auguſti, & Antonii numus, anno 31. inſignis, ad poſteriorem Sinopenſium Epocham anni V. C. 705. revocari nequit; quando ultra Antonii interitum hi 31. anni excurrerent. At vero cum Æra altera anni V. C. 684. præclare congruit annus ille triceſimus primus. Adjectis enim 31. ad 684. conficitur annus 715. cujus autumno exiit annus Sinopenſium triceſimus primus, qui cœpit autumno anni 714. quo eodem anno, Pagio, & Noriſio calculum ſubducentibus, Antonius cum Auguſto pacem iniit, & Ovans urbem ingreſſus eſt; uti id quoque in Faſtis Capitolinis legitur. Recte igitur a Sinopenſibus percuſſus eſt eo anno numus, in quo Capiti Auguſti, Antonii vultus conſignaretur.

Ad eandem priorem æram illuſtrandam facit numus Alexandri; nam 294. adjectis 684. conficiunt annum V.C. 978. Alexandri Auguſti quartum. In Maximini numo eadem epocha adhibita, ſiſtit annum V. C. 989. Maximini Aug. ſecundum.

Numeri, in Philippi Junioris numo notati, 319. additi ejusdem æræ annis 684., dabunt an. V. C. 1003. cujus autumno exiit annus Sinopenſium tercenteſimus undeviceſimus, atque adeo incepit autumno anni V. C. 1002. qui fuit Philipporum poſtremus. Illud mirum eſt: Philippum filium, jam aliquot annis Auguſtalis tituli participem, nudo capite, & cum ſolo Cæſaris titulo exhiberi.

VIII.



VIII.

IMP. CAES. DOM. AVG. GERM. P. M. TR. P. V. COS. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus, Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate Quintum, Consul.* Caput laureatum.

COL. PATRAE. *Colonia Patra.* Romam, rupi insidentem, ac tenentem d. victoriolam, s. scutum, coronat Imperator, retro adstans, & hastam sin. sustinens. *Medii æris.*

RArior est hic aversæ partis typus, qualis posterius sub M. Aurelio, & Lucio Vero a Cl. Vaillantio exhibetur.



IX.

IMP. TRA. HADRIANVS. AVG. P. P. *Imperator Trajanus Hadrianus Augustus, Pater Patriæ.* Caput Hadriani laureatum.

COL. PTOL. DIVOS. CLA. *Colonia Ptolemais. Divos Claudius.* Colonus boves agens, cum quatuor vexillis.

COloniæ deductæ symbolum, jugum boum, cum colono erat; propterea, quod primos urbis condendæ limites aratro, bove, & vacca juncto, definirent. Vide ISIDORUM *L. 15. Origin.* ubi citat Catonis verba. Vexilla milites veteranos, in Coloniam missos, declarant. CICERO etiam, *in Philippica secunda*, agens de Colonia, Casilinum deducta, vexilli, & aratri meminit. Ptolemais alia Cyrenes, alia in Thebaide Ægypti, alia ad sinum Arabicum erat; nostra ad Phœniciam pertinet, olim Ace, teste Stephano, & Plinio, dicta.

Hanc Coloniam a Claudio Aug. factam esse PLINIUS *L. 5.* & numus noster comprobant, in quo *Divos Claudius* legitur. Hinc in simili Neronis numo, non tam ideo, uti censebat Cl. Vaillantius, *Divos Claudius*, adscriptum est; quod Nero a Claudio in Claudiam familiam adoptatus sit: quam idcirco, quod Divi Conditoris sui memoriam Colonia perennare in ære suo voluerit. Nam Hadrianus ad Claudiam familiam quidem certe non spectat. Sed enim e solo Neronis numo, ita inscripto, conjicere id Vaillantius poterat, hoc nostro, qui ex ære medio est, nondum cognito.



X.

T. AEL. ANTONINVS. AVG. PIVS. *Titus Ælius Antoninus Augustus Pius.* Caput laureatum Antonini Pii.

CO. AE. CA. *Colonia Ælia Capitolina.* Caput muliebre turritum, eleganti cum ornatu.

NUmum hunc, qui æneus mediæ magnitudinis est, jam ante nos vulgavit LIEBEUS *in Gotha Numaria*, sed absque inscriptione capiti adjuncta. Hierosolymam, sub Tito eversam, ab Hadriano instauratam, & Coloniam factam esse: ac eandem *Æliam*, ab Ælio Hadriano Conditore, *Capitolinam*, a templo Jovis Capitolini, illic erecto, appellatam fuisse, testantur XIPHIL. *ex Dione L. 69.* PTOLEM. *L. 5.* SPARTIANUS *in Hadriano.* EUSEB. *L. 4. hist. Eccl.* CEDRENUS ita de Hadriano: κτίζει νέαν Ἱερουσαλὴμ, ἣν καὶ Αἰλίαν προσηγόρευσε. *Condit novam Jerusalem, quam & Æliam appellavit.*



XI.

IMP. CAES. M. AVREL. ANTONINVS. AVG. P. M. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus, Pontifex Maximus.* Caput Marci Aurelii Antonini, Philosophi dicti, sine laurea.

COL. AEL. CAP. *Colonia Ælia Capitolina.* Colonus boves agit.

COlonia Ælia Capitolina Antonino Pio, & M. Aurelio numos inscripsit, etiam ob memoriam Conditoris sui Ælii Hadriani: a quo Antoninum Pium adoptatum esse (uti & eundem superior numus *Ælium* compellat) & in cujus gremio M. Aurelium educatum, refert Ælius Spartianus, *in Ælio Vero, & in M. Anton. Philos.* De Jerosolymæ, dein Æliæ urbis, nominibus ita S. Hieronymus, *Epist. ad Eustoch. Ingressa est Jerosolymam urbem trinominem: Jebus, Salem, Jerusalem; quæ Ælio postea Hadriano de ruinis, & cineribus in Æliam suscitata est.*

Hic numus ex ære magno est, atque adeo in rariorum numero habendus.

XII.



XII.

M. COMMO. ANT. P. FELIX. AVG. *Marcus Commodus Antoninus Pius Felix Augustus.*
Caput Commodi laureatum.

COL. IVL. AVG. PHILIP. in basi: DIVVS. AVG. *Colonia Julia Augusta Philippi. Divus Augustus.* Imperatorem, in basi stantem, coronat figura muliebris.

GEnius Coloniæ Philippensium coronat Augustum, Conditorem ejus Coloniæ, a quo Julia Augusta dicitur. Hunc typum in Philippensibus numis, sub omnibus Imperatoribus, quorum numi extant, perpetuum esse, adnotavit Vaillantius, excepto Commodo, cujus numum cum alia figura adfert. Sed Commodi etiam temporibus dictum typum Philippenses usurpasse, noster hic numus definit. Philippi (quæ a Plinio etiam *L. 4.* Colonia nominatur) olim Thraciæ urbs, deinde Macedoniæ adjecta, fuit Juris Italici, teste Celso *L. 50. Dig. T. 15. de Cens. Colonia Philippensis Juris Italici est.* Prope hanc Campi Philippici, ubi Pompejus a Julio Cæs. & deinde Brutus, & Cassius ab Augusto victi sunt. Virgil. *Georg. 1.*

Romanas acies iterum videre Philippi.

Hi

Hi Philippenses sunt, ad quos S. Paulus scripserat, & quorum mentio fit, *Act. 16. v. 12. Et inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ civitas; Colonia.*

Numus hic ex ære medio est.



XIII.

SEPT. SEV. PERT. AVG. *Septimius Severus Pertinax Augustus.* Caput Septimii, cum Corona radiata.

COLONIAE. CAES. ANTIOCH. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochiæ. Senatus Romanus.* Deus Lunus stans, caput pileo Phrygio tectus, dextra hastam tenet, sinistra Victoriolam: Gallus ad pedes adstat: a tergo Lunæ crescentis signum.

LUnum marem, non Lunam muliebri specie, Asiani colebant, ne uxoribus obnoxii essent: Vide Spartianum *in Caracalla.* Ab Orpheo *etiam hymno 8.* Lunaris Deitas: θῆλύστε, καὶ ἄρσην. *fæmina, & mas* nuncupatur. Gallus nocturna tempora, quibus Luna præest, cantu distinguit. Victoriæ signum captam a Septimio Antiochiam, & occisum rebellem Pescenium indicare potest. Vide Herodi. *L. 2.* & Spartian. *in Pescenio.* aut domitos Osroënos, Adiabenos, & Arabes; de quibus Xiphil. *ex Dione L. 75.*

An-

Antiochia, quæ hunc numum percussit, in Pisidia erat; Plinius *L. 5. Pisidæ, quorum Colonia Cæsarea, eadem Antiochia.* Hujus etiam mentio incidit *Act. 13. v. 14.*

Similem quidem huic numo jam produxit Vaillantius, sed in ære magno: noster autem parvi moduli est; ac præterea id diversi affert, quod nomen COLONIAE, integre scriptum, contineat.



XIV.

IVLIA. AVGVSTA. Caput Juliæ Piæ, seu Domnæ, quæ fuit uxor Septimii Severi.

COL. CAES. ANTIOCH. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochia. Senatus Romanus.* Deus Lunus stat, veste muliebri indutus, a tergo imago Lunæ crescentis: dextra hastam tenet, sinistra Victoriolam, quæ tropæum humeris impositum fert; columna etiam sinistram fulcit: Gallus humi adstat, & Lunus caput bovis pede premit: id quod in nullo Coloniarum numo apud Vaillantium observatur.

CAput bovis ad pedes Luni, in numo Nysæorum, Illustriss. Spanhemius primum Eubœam denotare conjecerat: deinde sententiam mutarat; Seguinus vero ad varias Lunæ cum tauro similitudines refert. Diodorus Siculus *Lib. 1.* hæc de Luna, Isidis nomine apud Ægyptios

culta, adnotavit: Κέρατα δ' αὐτῇ περιτιθέασιν, ἀπό τε τῆς ὄψεως, ἣν ἔχουσα φαίνεται, καθ' ὃν ἂν χρόνον ὑπάρχῃ μηνοειδής, καὶ ἀπὸ τῆς καθιερωμένης αὐτῇ βοὸς παρ' Αἰγυπτίοις. *Cornua autem ipsi apponunt, propter faciem, quam habere videtur eo tempore, quo crescit: tum propter vaccam, ab Ægyptiis ipsi consecratam.* Videor mihi hoc nostro in numo non solius Deitatis Lunaris, sed triformis Hecates simulacrum reperire, quæ eadem in cœlo Luna, in terris Diana, apud inferos Proserpina habetur. Nam signum Lunæ crescentis, prope caput, Lunam in cœlo fulgentem notat. Gallus humi adstans fecunditatis est symbolum; id ex Æliano constat, qui narrat: Gallum Latonæ in deliciis fuisse, quod ei parturienti affuerit. Diana vero, & Latonæ filia est, & ipsa Lucina vocatur, partuique præest. Tum fecunditatis, & ubertatis Deam Dianam esse, satis Dianæ Ephesiæ simulacrum ostendit, multis uberibus turgens: atque ab ORPHEO etiam Lunare numen, Φερέκαρπε, *o frugum ferax! hymno 8.* salutatur. Denique caput bovis resectum, sub pede, Proserpinam apud inferos indicat, de quo PRUDENTIUS *contra Symmach. L. 1.* in metro, cui titulus *de cultu Lunæ, quam & Dianam credunt*, ita canit:

Placatur vaccæ sterilis cervice resecta,
Et regnare simul Cœloque, Ereboque putatur.

VIRG. *Æn. 6.* & SIL. ITAL *L. 15.* similia adferunt. Denique Victoriæ simulacrum porrigi ab Hecate, convenit cum illis HESIODI verbis, *in Theogonia*, ubi de Hecate agit:


—Ἔνθα θεὰ παραγίνεται, οἷς κ' ἐθέλῃσι,
Νίκην προφρονέως ὀπάσαι.

Tum Dea adest, quibus voluerit,
Victoriam prompte ut præbeat.

Ad conjecturam hanc, si subrideat Lector; noverit, Appendiculam hanc ad Vaillantium esse. Quare licere mihi id, quod illi licuit, puto: dare nempe aliquid conjecturis, veritatis nonnunquam eruendæ prodromis.

Nu-

Numus hic, magni moduli ex ære, inter rariſſimos haud dubie locandus eſt; cum alium, ex ære parvo, noſtro aliquantum ſimilem, Vaillantius raris adnumeret.



XV.

IVLIA. AVGVST. *Julia Auguſta.* Caput Juliæ Domnæ.

COL. CAES. ANTIOCHIA. *Colonia Cæſarea Antiochia.* Mulier ſtans, dextra ramum, ſiniſtra Cornu Copiæ portat.

GEnius Coloniæ palmæ ramo victorias Septimii, aut filiorum Caracallæ, & Getæ indicat; de quibus vide in eorundem numis.

Hic numus eſt ex ære medio.



XVI.

IVLIA. AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.

MVNIC. STOBEN. *Municipium Stobense.* Victoria gradiens, dextra sertum, sinistra ramum præfert.

Victoriæ simulacrum, Septimii in Oriente felices expeditiones, de quibus in ejusdem numo, palmæ ramo indicat, & serto coronat. Stobensem urbem Macedoniæ STEPHANUS tribuit: Στόβος πόλις Μακεδονίας: & PLINIUS *L. 4.* in Macedonia: *Oppidum Stobi Civium Romanorum.* Municipium fuisse, e numis demum liquido constat. Municipes quid sint, AULUS GELLIUS *L. 16. c. 13.* docet: *Municipes sunt Cives Romani ex Municipiis, legibus suis, & suo jure utentes; muneris tamen cum Populo Romano honorarii participes, a quo Munere Capessendo appellati videntur.*



XVII.

IVL. DOMNA. AVG. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

GET. CAE. ANT. AVG. in medio: C. M. L. *Geta Cæsar, Antoninus Augustus*, nempe Caracalla. *Colonia Metropolis Laodicea.* Antoninus Caracalla, & Geta stantes, dextras jungunt.

HAec Laodicea Syriæ est, quæ adhæsit Septimio contra Pe-

Pescenium Nigrum; atque idcirco jura captæ Antiochiæ Syriæ, *Coloniæ*, & *Metropolis*, in Laodiceam translata sunt; quod Antiochia Pescenium recepisset. Hinc & Laodicea in numo Gazæ Regiæ Parisinæ SEP. *Septimia* a Septimio, novo veluti Fundatore, compellatur. Ulpianus *L. 50. Dig. T. 15. de Cens.: Est & Laodicea Colonia, in Syria Coele, cui Divus Severus jus Italicum, ob belli civilis merita, concessit.* Antiochiam Laodicenis etiam in servitutem datam esse, Herodianus *L. 3.* refert. Cur Caracalla, & Geta in numo Juliæ Matris dextras jungant; quos tamen usque discordes fuisse, ex Herodiano *L. 3.* constat; lucem idem Herodianus *L. 4.* afferet, ubi Juliam Matrem, quæ filios concordes apud se habere studuit, ita eos, cum Imperium divisissent, alloquentem inducit: Γῆν μὲν, ἔφη, καὶ θάλασσαν, ὦ τέκνα εὑρίσκετε, ὅπως νείμησθε &c. τὴν δὲ μητέρα, πῶς ἂν διέλοισθε; *Terram quidem, inquit, & mare invenistis o filii, quomodo divideretis; matrem autem qua ratione dividetis?* Tum igitur Matris gratia publicam concordiam aliquamdiu simulaverint. Id numus hic exhibet; & comprobat Xiphil. *ex Dione L. 77. in Caracalla.* Προσεποιοῦντο μὲν γὰρ καὶ φιλεῖν ἀλλήλους, καὶ ἐπαινεῖν. *Simulabant mutuum amorem, ac sese mutuum collaudabant.* Nisi quis malit, hunc numum cusum esse in memoriam ejus facti, quo Caracalla: *Antoninus, Augustus*, & *Geta*, *Cæsar* simul renunciati sunt; quod ita refert Spartianus *in Severo cap. 16. Filium ejus Bassianum Antoninum, qui Cæsar appellatus jam fuerat, annum decimum tertium agentem, participem Imperii dixerunt milites: Getam quoque, minorem filium, Cæsarem dixerunt.*

Hic numus ex ære medio est.



XVIII.

M. AVR. ANTONINVS. AV. *Marcus Aurelius Antoninus Augustus.* Caput laureatum Antonini Caracallæ.

MVNICI. STOBENS. *Municipium Stobense.* Victoria stans, dextra facem, cui serpens implexus est, sinistra Cornu Copiæ tenet.

NUllum similem Stobensem numum sub hoc M. Aurelio Vaillantius protulit; eundem tamen partis aversæ typum in alio Juliæ Domnæ, Stobis percusso, illic videre est. Rarior est hæc Victoriæ imago, qua Salus etiam per serpentem, & Genius loci per Cornu Copiæ indicari videntur.

Stobenses Victoriam consignarunt in Caracallæ numo; quod is Parthos a se victos esse gloriaretur, qui adveniente Romano exercitu in montes se receperant. Xiphil. *ex Dione L. 78.*

Hic, &, qui proxime sequentur, tres Caracallæ numi ad medii æris modulum pertinent.

XIX.



XIX.

M. AVREL. ANTONIN. *Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum.

COL. AVG. TROAD. *Colonia Augusta Troadensis.* Templum quatuor columnarum, in quo idolum Apollinis, arcum tenentis.

Multos Troadensium numos, Caracallæ dicatos, vulgavit Vaillantius, sed nullum, in quo templum extaret. Troas ex Ilii ruderibus ab Alexandro M. primum, deinde ab Antigono Rege instaurata est; atque idcirco etiam ALEXANDRIA. & ANTIGONIA, in numis compellata legitur. Eandem Immunem suis temporibus, id est, Augusto imperante, factam esse, STRABO *L. 13.* refert: quapropter etiam AVGVSTA, dicitur. Apollinem, Tutelare Trojæ Numen esse, vel ex OVIDIO *1. Trist. eleg. 2.* omnes norunt:

Jupiter in Trojam, pro Troja stabat Apollo.

Hoc in numo stat Apollo arcum tendens, aut pro Troja, aut in Pythonem, quem ubi sagittis confecerat, Pythius dictus est. Apollinis τοξοφόρε *Arcitenentis* apud PINDARUM etiam mentio fit, *in Olymp. ode. 6. v. 100.* & *ode. 14. v. 15.* ab eodem PINDARO *Pyth. ode. 9.* εὐρυφαρέτρας Ἀπόλλων,

la-

latum arcum gerens Apollo, nominatur. Diodorus etiam Apollinem εὑρετὴν τȣ̃ τόξȣ, *arcus inventorem*, & Cretensium hac in arte magistrum appellat.



XX.

IMP. M. AVR. ANTONINVS. *Imperator Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Antonini Caracallæ.

SEP. TYRVS. METRO. COLONI. *Septimia Tyrus, Metropolis, Colonia.* Templum plurium columnarum, infra quod Conchylium.

TYrum Phœniciæ metropolim fuisse, vetus ejus urbis numus apud Harduinum, cum aliis, demonstrat: ΤΥΡΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. ΚΟΙΝΟΝ. ΦΟΙΝΙΚΗΣ. ΑΚΤΙ. *Tyro Metropoli: Commune Phœniciæ, Actia* celebravit.

Templum, hic expressum, cum nullum in eo Idolum compareat, censetur esse Herculis, qui (teste Strabone *L. 16.* de Tyriis) Τιμᾶται δὲ καθ' ὑπερβολὴν Ἡρακλῆς ὑπ' αὐτῶν. *Colitur ab ipsis singulariter Hercules.* Adjicitur Conchylium, seu Murex, ex quo celebris illa Tyriorum Purpura conficiebatur. Plin. *L. 5. Nunc omnis ejus* (Tyri) *nobilitas Conchylio, atque Purpura constat.* Tyrus SEPTIMIA. compellatur in numo Caracallæ, ab ejusdem Patre Septimio Severo.



XXI.

M. AVRELIVS. ANTONINVS. AVG. *Marcus Aurelius Antoninus Augustus.* Caput Caracallæ laureatum, cum signo impresso, caput referente.

C. L. I. COR. *Colonia Laus Julia Corinthus.* Leo posterioribus pedibus subsidens.

Similem Leonis typum, in Corinthiaco itidem Lucii Veri numo, exhibuit Vaillantius, atque ad monumentum sepulchrale Laidis refert, quod Corinthi extitisse, eique simulacrum Leænæ impositum fuisse, PAUSANIAS *in Corinthiacis* narrat. Viro erudito ne hic assentiar, duo obstant. Primum, quod Leo bene jubatus in utroque numo effictus est; atque si ARISTOTELI credimus, *Lib. 6. Hist. anim. cap. 31.* Ὀυκ ἔχει δὲ λέαινα χαίτην, ἀλλ᾽ ὁ ἄῤῥην λέων. *Non habet leæna jubas, sed leo mas.* Neque quidquam hic obest: hisce nostris temporibus repertas esse in America Leænas, jubis horridas. Alterum est, ipse Pausaniæ locus, si integer, & non mutilus in considerationem veniat; qui ita habet: ᾧ δὴ λέαινα ἐπίθημά ἐςι, κριὸν ἔχουσα ἐν τοῖς προτέροις ποσίν. *Cui* (Sepulchro Laidis) *Leæna imposita est, arietem tenens prio-*

prioribus pedibus. Verum nihil ſimile in illo Vaillantii, aut noſtro hoc numo deprehenditur.

Quare aut aliud hoc monumentum Corinthi fuit; aut fortitudinem bellicam in Parthos indicat, cujus laudem Lucius Verus obtinuit, & ambivit Caracalla. Fortaſſe adulari etiam hoc ſymbolo Caracallæ voluerunt Corinthii, qui Alexandrum Magnum in ore ferre, & aſſimulare ſoleret, cujus inſigne Leo erat; Leonem in annulo ſignatum geſtabat Caracalla. Vide SPARTIAN. *in Carac.* HERODIAN. *L.4.* PLUTARCH.*in Alex.* Præterea, cum bellum Parthicum gereret Caracalla, ipſe ad Senatum ſcripſerat: Leonem, qui de improviſo de monte deſcenderat, pro ſe pugnaſſe: *teſte* XIPHILINO, *ex Dione L. 78.* Huc facit, quod apud Geſnerum habetur: Leonem quietum *reſidere*, cum adverſarius ſe aliquo ſigno victum fatetur; id quod hic ad fugientes Parthos pertinere poteſt. Ridicula de cicuratis Leonibus idem Xiphilinus narrat, quibus Caracalla familiariter utebatur.

Colonia Corinthus IVLIA. dicitur, a Julio Cæſare, a quo Coloniæ jura obtinuit: LAVS, cognomen honoris eſt, uti Laus Pompeja, urbs Italiæ, in honorem Pompeji compellata eſt.

Eſt hic numus ex ære medio.



XXII.

XXII.

M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. GERM.

Marcus Aurelius Antoninus Pius Augustus, Germanicus. Caput laureatum Caracallæ.

COL. A. A. PATR. *Colonia Augusta Aroë Patrensis.* Lupa cum Romulo, & Remo.

PAtræ, Achajæ urbs, hodie *Patrasso.* PLINIUS *L.4. Patræ Colonia.* Ἀρόη *Aroë*, teste PAUSANIA *L.7.* vetus ei nomen fuit, ab idonea ad *arandum* terra. Dein *Patræ* compellata est a Patrao, seu Patreo ampliatore, quem & numi exhibent. Ab Octaviano Augusto Colonia facta, *Augustæ* titulum adjecit. Lupa cum Romulo, & Remo, Civium Romanorum, in Coloniam missorum, symbolum est; quemadmodum vexilla, & alia militaria signa, milites, Coloniis adscriptos, indicare, dictum est.

Hic numus ex ære parvo est.



XXIII.

IM. C. P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. *Imperator Cæsar Publius Septimius Geta Pius Augustus.* Caput Getæ laureatum.

MVNICI. STOBEN. *Municipium Stobense.* Victoria gradiens, dextra lauream fert, sinistra palmæ ramum.

SPartianus de Geta, Septimii Severi filio, & Caracallæ fratre refert: eundem in Parthico, & Britannico bello ingenti gloria floruisse. Gratulari ergo hoc typo videntur Stobenses Getæ Augusto de obtentis victoriis. Hic numus medii inter æneos moduli est.



XXIV.

IMP. CAESAR. M. AVR. ANTONINVS. PIVS. AVG. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Pius Augustus.* Caput laureatum Antonini Elagabali.

TYRIORVM. Hercules stans inter tropæum, & columnam, cui insistit Victoriola: dextram extendit ad tropæum, sinistra clavam, & leonis exuvias gerit: ad pedes Palma arbor, & Conchylium.

HErcules peculiare Tyriorum numen, teste Justino L. 44.

L. 44. est habitus; atque idem florentibus ipsorum rebus, in Hispaniæ insulam Gades Coloniam deduxit, pulso ejus Rege Geryone, cum duobus fratribus. Hoc tamen in numo Hercules Tyrius cum Thebano illo idem esse repræsentatur; nam Thebani Herculis primum laborem fuisse Nemeæ leonem, a variis Poëtis, & a PHILIPPO BYZANTIO ita canitur:

Ὤλεσε τῆς Νεμέας θῆρ᾽ ἄπλετον.

Perdidit Nemeæ belluam insatiabilem.

Tropæum, & Victoriola columnæ insistens, aut ob Herculis victorias, in extremum occidentem prolatas, aut ob Colonias, a Tyriis in totum fere orbem dimissas, consignata videntur. Palma, græce φοίνιξ, Phœniciæ symbolum est, palmarum feracis. Conchylium proprium, uti dictum est, Tyriorum insigne.

Hic numus magni æris modulum attingit.



XXV.

M. AVREL. ANTONINVS. *Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

MVNICIP. STOBENVM. *Municipium Stobenum.* Coronam dextra, & palmam sinistra portat Athleta.

Athletam, hac figura expressum, in numis Coloniarum, a Vaillantio editis, non reperi. Indicat hæc

effigies, aut certamina quædam a Stobensibus celebrata esse, aut potius Stobensium Municipum aliquem in Olympicis ludis, aliisve, Victorem fuisse. Apposite plane ad numi nostri typum, & hanc conjecturam VITRUVIUS *L. 9. Athletis, qui Olympia, Pythia, Isthmia, Nemea vicissent, Græcorum majores ita magnos honores instituerunt; uti non modo in conventibus stantes cum palma, & corona ferant laudes* &c.

Quid, si celeberrimus ille, Elagabali temporibus, Athleta Aurelius Ælix hic exhiberi dicatur? sane de eo ita magnifice DIO CASSIUS *in fragmentis, per Carminium Falconem Romæ editis, an. 1724.* Ὁ δὲ Σαρδανάπαλος καὶ ἀγῶνας ἐποίει, καὶ θεὰς σύχνας, ἐν αἷς Αὐρήλιος Ἄιλιξ ὁ Ἀθλητὴς ἐυδοκίμησεν· ὃς τοσοῦτον τοὺς ἀνταγωνιστὰς ὑπῆρεν, ὥστε πάλην τε ἅμα, καὶ παγκράτιον ἐν τῇ Ὀλυμπίᾳ ἀγωνίσασθαι ἐθελῆσαι, κἀν τοῖς Καπιτωλίνοις καὶ ἄμφω νικῆσαι. *Sardanapalus* (Elagabalus) *certamina multa, & spectacula constituit, in quibus Aurelius Ælix Athleta magnam gloriam consecutus est. Is adeo certaminum æmulos superaverat; ut lucta simul, & pancratio certare in Olympiacis voluerit: & in Capitolinis etiam utroque certamine vicerit.* Deinde subnectitur: Eundem porro Romæ utroque certamine, quod alium neminem, Victorem extitisse.

Neque hoc primum exemplum est Athletæ, in numo conspicui. Neronis bini numi apud TRISTANUM *Tom. 1.* Athletam in curru sublimem, palma, laureaque decoratum exhibent, quorum alter EVTYMIVS. alter STEFANAS. inscriptus legitur.

Hic, & sequens Elagabali numus ex ære medio est.

XXVI.



XXVI.

IMP. C. M. AVR. ANTONIN. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Elagabali laureatum.

MVNICIP. STOBENIVM. *Municipium Stobenium.* Jupiter ſedens, dextra Victoriolam, ſiniſtra haſtam tenet.

HAec Jovis effigies in Stobenſium numis apud Vaillantium non habetur. Victoriæ ſigillum Jupiter attinet, Νικηφόρος dictus, in memoriam victoriæ, adverſus Titanes relatæ: haſta pura Divinæ poteſtatis indicium habetur.

Cl. Patinus in numo Juliæ Domnæ: MVNICIPIVM STOBENSIVM inſcriptum cum deprehendiſſet, orthographiam nominis hujus urbis illo e numo petendam monuit. Verum variis modis illud recte ſcribi, vel noſtri, hic adducti numi conficiunt, in quibus tum STOBENS. id eſt STOBENSIVM. vel STOBENSE. tum STOBENVM. & STOBENIVM. integre expreſſum vidimus.

XXVII.



XXVII.

IVL. AQVILIA. SEVERA. AVG. *Julia Aquilia Severa Augusta.* Caput Aquiliæ, uxoris Elagabali, cum signo incuso, caput laureatum Elagabali referente.

TYRIORVM. Dea Astarte, tutulato capite, stans inter tropæum, & columnam, cui insistit Victoriola: dextram ad tropæum extendit, sinistra tenet baculum: ad pedes Palma, & Conchylium.

ASTARTE, quæ & Ὀυρανίη, *Uranie*, seu Venus Cœlestis, & Quarta Venus, item Hebræis עשתרות *Astaroth* appellatur, eadem cum Luna esse censetur. Eam LUCIANUS *de Dea Syria*, describens, turrim capiti, & baculum manui attribuit. Phœnices eam in primis coluere, & horum coloni Carthaginienses; uti SALVIANUS *L. 8. de gubern.* suo etiam tum tempore, ejus cultum Carthagine familiarem fuisse deplorat. Caput Elagabali, qui Deo Elagabalo, seu Soli devotissimus erat, junctum in hoc numo capiti Aquiliæ uxoris, suspicionem mihi injecit: Tyrios allusisse ad id Elagabali factum, quo Deo suo Elagabalo, repudiata Pallade, Astartes simulacrum in uxorem Romam deferri*, atque idcirco festos dies tota Italia celebrari jussit.

Rem

Rem narrat Herodianus *L.* 5. quem, ne longior sim, latine loquentem inducam: *Negans autem cordi esse suo Deo* (Elagabalo) *uxorem, atque armatam* (Palladem) *simulacrum Uranies jussit adferri, quod scilicet Carthaginiensibus, omnique Africæ incredibilem in modum venerabile positum esse a Phœnissa Didone, creditur* &c. *hanc Afri Uranien vocant, Phœnices Astroarchen, Lunam esse, affirmantes. Congruere igitur ajebat Antoninus matrimonium Solis, & Lunæ.*

Est hic numus ex ære medio.



XXVIII.

IVL. AQVILIA. SEVERA. AVG. *Julia Aquilia Severa Augusta.* Caput Juliæ Aquiliæ.

TYRIORVM. Urna, ex qua prodit ramus oleæ, infra illam Conchylium: eidem urnæ inverso literarum ordine inscriptum legitur sic: ΑΙΛΚΑΡΗ. ΑΙΠΜΥΛΟ. id est: ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. *Heraclia, Olympia.*

OLympica certamina a Tyriis celebrata esse, hic numus indicat, quæ eadem Heraclia dicuntur ab Hercule, a quo in Olympia urbe, quæ olim Pisa dicta est, in

honorem Jovis Olympii instituta sunt. PINDARUS *Olymp. ode. 3.*

> Ἦτοι Πίσα μὲν Διός.
> Ὀλυμπιάδα δὲ ἔστα-
> σεν Ἡρακλέης.
> *Sane Pisa quidem Jovis est;*
> *Olympicum autem certamen*
> *instituit Hercules.*

Ipse etiam typus numi indicat, distincta non esse certamina; cum unica tantum urna, unicusque ramus proponantur. Oleam, & Oleastrum Olympicis ARTEMIDORUS *L. 4. c. 54.* attribuit. PINDARUS *Olymp. ode 4. de Psaumide Olympionice* ita canit: ὃς ἐλαίᾳ στεφανοθείς, *qui olea coronatus est:* Et LUCIANUS *in Anacharsi:* Ὀλυμπιάσι μὲν στέφανος ἐκ κοτίνου. *Olympiis corona est ex oleastro.*

Numus hic est ex ære medio, cujus formam Syrogræculus artifex sculpsisse videtur; cum literas græcas orientalium more collocarit.



XXIX.

XXIX.

M. OPEL. ANTONINVS. DIADV. C. *Marcus Opelius Antoninus Diadumenianus Cæsar.* Caput nudum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deultum.* Figura sedens, d. pateram, s. hastam. *Medii moduli.*

PRæstantioribus, ac rarioribus accenset Vaillantius omnes Diadumeniani numos, in Coloniis cusos: præterquam, quod hoc numi nostri iconium in Deultanorum numis insolitum sit.



XXX.

IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXANDER. AVG. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus.* Caput Alexandri laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton.* Mulier stans, dextra serpentem, sinistra pateram tenet.

SImilis figura muliebris cum serpente, & patera, in Romanis numis SALVS inscribitur: græcis Ὑγίεια, vel

Ὑγεία appellatur, & Æsculapii medici filia fuisse perhibetur. Serpentem, salutis symbolum, jam inde ab æneo illo Moysis Serpente didicerint gentiles. Patera indicat, Religione quærendam esse salutem. Severo Alexandro optimo jure Hygia adsignata est; quando de eo hæc illustria narrat ÆLIUS LAMPRIDIUS: *Ægrotantes ipse visitavit per tentoria milites, etiam ultimos, & carpentis vexit, & omnibus necessariis adjuvit.* Deulton Thraciæ urbs est. EUSEBIUS *L. 5. hist. c. 19.* Δέβελτος κολωνία τῆς Θράκης. *Deuelton Colonia Thraciæ.*

Hic numus medii æris modulum non excedit.



XXXI.

IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG.

Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus. Caput laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. Mercurius stans, d. crumenam, sin. caduceum, cum strophio. *Medii æris.*

XXXII.





XXXII.

IVLIA. MAMAEA. AVG. *Julia Mamaa Augusta.* Caput ejusdem.

COL. FL. PAC. DEVLT. Aquila rostro sertum gestans, aræ insistit, sine basi; utrimque vexillum erigitur, in quorum altero astrum. *Medii moduli.*





XXXIII.

IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG. *Imperator Maximinus Pius Augustus.* Caput Maximini laureatum.

COL. AVG. TROA. *Colonia Augusta Troas.* Apollo nudus stans, dextra lauri ramum gerit: pedem cippo imponit.

APollo, Troadis Tutelaris Deus, hic vaticinantis gestu, rituque repræsentatur. Lauri ramum gerit; quia laurus, teste Hesiodi Scholiaste, multum facit ad vaticinantium furorem. Ad somnia etiam interpretanda valere laurum Hyginus fabulatur. Apud DIODORUM SIC. *Lib.* 1. Apollo lauri inventor habetur.

Hic numus ex ære medio est.



XXXIV.

IVL. V. MAXIMVS. C. *Julius Verus Maximus Cæsar.* Caput nudum Maximi, filii Maximini.

COL. AVG. TRO. *Colonia Augusta Troas.* Templum cum Idolo Apollinis, arcum gerentis.

QUantæ raritatis hic, mediæ formæ, numus sit, ex eo

eo liquet: quod Vaillantius Troadensem Maximi numum, ex ære parvo, & obvia alias figura signatum, rarissimis tamen accenseat. Quin omnes Maximini, & Maximi numi, in Coloniis cusi, egregiæ raritatis sint, oportet; cum Vaillantius quatuor duntaxat in Maximino, & in Maximo totidem adferat.

Templum Apollinis est, non Tutelaris tantum, sed & Conditoris Trojæ, VIRGIL. *3. Georg. Troja Cynthius author.*



XXXV.

IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG.

Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus. Caput Gordiani Pii laureatum.

ANTIOCHIA. S. R. *Antiochia. Senatus Romanus.* Gordianus curru triumphali, quadriga equorum juncto, vehitur, dextra Scipionem Consularem cum Aquila gerens, sinistra lauri ramum: a tergo adsistens Victoria Gordianum coronat: miles anteambulo equos ducit: tres alii ad latus dextrum, palmam singuli præferentes, dignoscuntur.

HIc numus, qui ex ære magno est, ad Antiochiam Pisidiæ pertinet, quam adsignatæ literæ S. R. ab Antiochia Syriæ distinguunt. Videntur hunc numi typum ex Romano ære Antiocheni desumpsisse; quando & inter nu-

numos maximi moduli Musei Farnesiani, & inter alios, mediæ formæ, Gordiano a Romanis percussos reperire est, qui similem aversam partem exhibeant cum inscriptione: TRIB. POT. III.COS. II. Unde conficitur, numum hunc cusum esse, circa annum V.C.993. Gordiani Pii tertium: Atque adeo Victoria de Persis, eorumque Rege Sapore, eodem, aut superiore anno relata est, quam hic triumphalis typus indicat. De victoria hac Julius Capitolinus scribens, epistolam Gordiani refert, in qua, ad Senatum data, expressa mentio fit trium urbium receptarum: Antiochiæ Syriæ, Carrharum, & Nisibis; quippe quas Colonias fuisse, ac Metropoles, superstites earundem numi testantur. Quare apposite omnino tres milites, totidem palmas præferunt, quibus hæ tres receptæ urbes denotari videntur.

Fortasse hic simul Processus Consularis Gordiani indicatur.



XXXVI.

IMP. GORDIANVS. PIVS. AVG. *Imperator Gordianus Pius Augustus.* Caput Gordiani laureatum.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton.* Nemesis stans, dextra flagellum, sinistra bilancem tenet; ad pedes rota.

NEmesis Dea scelerum ultrix est, & nocentes punit, teste Pom-

Pomponio Læto *de Nemesi;* idcirco flagello instructa est. Nomen obtinuit, aut a Νεμεσάω *succenseo;* aut juxta Aristotelem ἀπὸ τῆς διανεμήσεως *a distributione*, cuique pro meritis facienda: hinc bilancem ostentat, Justitiæ propriam.

Plato *de legibus* Nemesin: δίκης ἄγγελον, *ablegatum Justitiæ Genium* nominat; & Pomponius Lætus ita apertius de ea: *Rebus humanis trutinam adhibens.* Rota cur adjecta sit, idem Pomponius declarat: *Nemesis, quam plerique existimavere vim Fortunæ* &c. cui Claudianus concinit, *de bello Getico:*

Sed Dea, quæ nimiis obstat Rhamnusia votis,
Ingemuit, flexitque rotam.

Gordianus hoc in numo tanquam placator vindictæ cœlestis, quæ in terras tum desævierat, commendari videtur. Ita de eo Jul. Capitol. *in Gordiano tertio* refert: *Fuit terræ motus eo usque gravis imperante Gordiano, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent; ob quæ sacrificia per totum urbem, totumque orbem ingentia celebrata sunt.* Nisi hunc Nemesis typum eo referre malis: Gordianum, ad bellum Persicum profecturum, Nemesi sacrificasse; quod Romanis in more fuisse, cum ad bellum procederent, testatur Pomponius Lætus *loco citato.*

Hic numus ex ære medio est, uti & sequens.



XXXVII.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FE. AVG. *Imperator Gordianus Pius Felix Augustus.* Caput cum corona radiata.

COL. FL. PAC. DEVLT. *Colonia Flavia Pacensis Deulton.* Lupa cum Romulo, & Remo.

DEulti etiam PTOLEMÆUS *in Thracia* meminit *L. 3. c. 13.* Δέουελτος κολωνία. & PLINIUS *L. 4. Develton cum stagno, quod nunc Deultum vocatur, Veteranorum.* Verum præter Veteranos Milites, etiam Togatos Cives in Coloniam hanc missos esse, horum symbolum, Lupa cum Romulo, & Remo indicat.



XXXVIII.

IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AV. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum Gordiani Pii.

P. M. S. COL. VIM. AN. I. *Provinciæ Mœsiæ superioris Colonia Viminacium: anno primo.* Muliebris figura expansis manibus stans inter Leonem, & Taurum.

QUanquam Cl. Vaillantius hujus Coloniæ numum, anno

anno primo inſcriptum, & ſolito Viminacenſium iconio ſignatum, ſub Gordiano Pio protulerit; hunc noſtrum tamen, qui ex ære magno eſt, propterea proponendum putavi: quod Leonis, ac Tauri forma, iſthic expreſſa, abludat a forma aliorum omnium hujus urbis numorum, quos inſpicere mihi, aliisque hic loci, ubi perfrequentes habentur, contigerit. Nam in reliquis omnibus, quod meminerim, Leo, ac Taurus integro corpore, & alter ad alterum Mulieris ſtantis latus velut accedens effictus eſt. In noſtro vero, dimidio tantum corpore Leo, ac Taurus prominent, ac velut a tergo figuræ ſtantis digrediuntur.

Fuerit hoc primum fortaſſe Monetæ Viminacenſis typarium; quando & primum Coloniæ annum præ ſe fert, & reliqui hujus Coloniæ numi tum hujus, cum conſequentium annorum omnes (qui Mulierem, inter Leonem, ac Taurum ſtantem, referunt) altero illo iconio ſignati comparent, quod haud dubie præ primo iſto Monetæ Præfectis magis arriſerit.



XXXIX.

IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Imperator Gordianus Pius Felix Augustus.* Caput ejusdem cum corona radiata.

P. M. S. COL. VIM. AN. IIII. *Provincia Mœsiæ Superioris Colonia Viminacium : anno quarto.* Mulier stans inter Taurum, & Leonem, utraque manu vexillum tenet, quorum alteri VII. alteri IIII. inscriptum est: Vexillis imposita sunt capita Gordiani, & Tranquillinæ.

Viminacium, nunc Widin in Servia, Colonia facta est a Gordiano Pio anno ejus Imperii tertio, V. C. 993. quo anno Gordianus, teste Capitolino: *fecit iter in Mœsiam, atque in ipso procinctu, quidquid hostium in Thraciis fuit, delevit.* Ab hoc anno, Coloniæ hujus anni, numis inditi, supputandi sunt. Numeri VII. & IIII. in vexillis notati, Veteranos Septimæ Claudianæ, & Quartæ Legionum, Viminacium deductos docent. De Septima certe Legione id confirmat *Notitia Imperii Sect. 30.* ubi ita habetur: *Præfectura Legionis Septimæ Claudianæ, Viminacio.* In numis Gallieni Aug. hæc eadem Legio Septima Claudiana cum *Tauri* insigni, & Legio Quarta Flavia cum *Leonis* symbolo leguntur: unde patet, cur muliebris Coloniæ effigies media inter Leonem, & Taurum adstet. Quare, cum adscriptarum Legionum insignia adeo manifeste hic deprehendamus, nihil opus est, cum Patino, & Vaillantio ad moralem interpretationem confugere; aut cum R. P. Harduino Leones in Macedonia quærere.

Similem huic nostro, qui æris medii est, Viminacii numum jam vulgavit Vaillantius; nisi quod illic capita Gordiani, & Tranquillinæ uxoris, vexillis imposita non compareant, quæ in nostro perspicue extant. Milites igitur dictarum Legionum, iidemque Coloni capitum Gordiani

diani Conditoris, atque ejus uxoris simulacra vexillis præfixerunt, honoris significatione, Romanæ militiæ non inusitata. Nam simile quid Juliano Augusto a militibus exhibitum HERODIANUS *L. 2.* narrat: Τὰ δὲ σημεῖα ἄραντες, καὶ τὰς ἐκείνου εἰκόνας ἀποκαταστήσαντες προπέμπειν ἐπειρῶντο. *Sublatis signis, impositisque illius iconibus, deducere eum tendunt.* Id genus alia SVETONIUS, *in Tiberio, & Calig.* & de Vitellio XIPHILINUS *L. 65.* referunt, ac TACITUS variis in locis.



XL.


IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Imperator Gordianus Pius Felix Augustus.* Caput Gordiani cum corona radiata.

P. M. S. COL. VIM. AN. IIII. *Provinciæ Mœsiæ superioris Colonia Viminacium: anno quarto.* Mulier stans, dextra stringit posteriores pedes Cervi, aut Capreoli, capite deorsum pendentis, sinistra vexillum tenet.

PEculiaris hic, & elegans numi Viminacensis typus, quem hactenus repertum esse, mihi non constat, facit, ut deleri jam possint illa Vaillantii verba, a Cl. P. BANDURIO *in notis ad numum Decii, tom. 1. pag. 14.* repetita:

In Viminacii Coloniæ numis perpetuus eſt mulieris, inter bovem, & leonem ſtantis, typus. Si vexillum, quod ſiniſtra tenet mulier, non ita attritum eſſet, ut numerus diſcerni poſſet; fortaſſe, animal illud ad Legionis cujusdam ſymbolum ſpectare, alicunde exſculperemus, quæ hoc anno Viminacii, aut hibernaverit, aut alio movens diverterit. Quod ſi Cervum id animal dicamus; dicere autem poſſumus, etſi minor Cervo fera, cùm muliere ſtante comparata, videatur; nam alii Viminacenſes numi ſimili proportione Leonem, & Taurum exprimunt: Cervum, inquam, ſi manu ſtringat Coloniæ figura, id celebrem in Mœſia Cervorum venationem ſignificare poteſt, quos tam diu in equis perſequebantur, dum fatigati Cervi manibus capi poſſent. ARRIANUS *de Venatione cap. 23.* hæc habet: *ἀλλὰ τὺς ἐλάφυς ἔνθα τὰ πεδία εὐήλατα, ἐν μὲν Μυσαῖς, καὶ ἐν Γέταις, καὶ ἐν Σκυθία, καὶ ἀνὰ τὴν Ἰλλυρίδα ἀφ' ἵππων τῶν Σκυθικῶν καὶ Ἰλλυρικῶν διώκυσιν* &c. *Verum Cervos, ubi plani ſe campi explicant, apud Myſos* (ſeu Mœſos) *& Getas, & in Scythia, ac circa Illyricum, equis Scythicis, aut Illyricis inſidentes perſequuntur &c.*

Hic numus ex ære medio eſt.



XLI.

XLI.

IMP. - - - - - - HILIPPS *sic.* *Imperator Marcus Julius Philippus.* Caput Philippi Senioris, cum corona radiata.

. . . CASSANDR. . . . *Colonia Cassandrensis.* Muliebris figura capite tutulato stans, d. botrum attollit; f. Cornu Copiæ, & aliquid, masculo sedenti simile, sustinet.

CAssandria, Macedoniæ urbs, in Pallenensi isthmo, antea Potidea dicta est: deinde a Cassandro Rege instaurata, nomen mutavit, teste PAUSANIA *Lib. 5. cap. 23.* consentiente Plinio, & Stephano. In ære veteri *Julia*, & *Augusta* compellata legitur. Numus noster, qui parvi moduli est, insolita hac icone aut Bacchum Muliebrem, aut Genium Coloniæ potius indicat, qui solum, vini generosi ferax, sublato botro denotat. Quid exigua illa figura prope Cornu Copiæ, manui insidens, sibi velit, nihil appositi occurrit. Cl. Vaillantius Cassandrenses numos non nisi usque ad Septimii Severi tempora detexit.



XLII.

XLII.

MARC. IVL. PHILLIPOS. CESAR. *Marcus Julius Philippus Cæsar.* Caput Philippi Senioris cum corona radiata.

COL. METROPOLIS. BOSTRA. *Colonia Metropolis Bostra.* In corona legitur AKTIA. ΔΟΥCAPIA. *Actia, Dusaria.*

Actia certamina, in honorem Apollinis Actii, ab Augusto instaurata fuisse, e STRABONE *L. 7.* notum est. Sed ΔΟΥCAPIA quid sibi velint, quæve Certamina, aut Ludi sint, nemo, quod sciam, hactenus exposuit. Dusaria ego audenter *Bacchanalia* interpretor. Nam primum Dusares Deus, seu aliis Dysares, ab Arabibus peculiariter colebatur. Docet id TERTULLIANUS *in Apolog. c. 24. Unicuique etiam Provinciæ, & Civitati suus Deus est, ut Syriæ Astarte, Arabiæ Dysares.* Et STEPHANUS BYZANTIUS scopulum Arabiæ altissimum Δουσαρὴν dictum esse testatur ἀπὸ τοῦ Δουσάρου *a Dusare:* Θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Ἄραψι, καὶ Δαχαρήνοις τιμώμενος. *Deus autem hic ab Arabibus, & Dacharenis colitur.* Igitur & Bostræ Dusaris cultus floruit, quam Arabiæ Petrææ PTOLEM. *Lib. 5.* attribuit. Porro eandem fuisse Metropolim, & antiqua Notitia Ecclesiastica, & numus hic ipse prodit, titulo Metropolis addito.

Accedit, quod SUIDAS Dusaris cultum in altera Arabiæ Petreææ urbe Petra viguisse memoret; quanquam non recte SUIDAS Θεὸς Ἄρης, quasi *Deus Ares*, scripserit, & Martem interpretatus sit. Nam aperte ex STRABONE *L. 16.* & HESYCHIO corrigitur. Strabo Ναβαταίαν πέτραν, *Petram Nabatæorum urbem* nominat; Hesychius porro a Nabatæis non *Deum Aren*, seu Martem, sed *Dusaren* cultum esse, eumque eundem esse cum Baccho declarat: Δουσάρην τὸν Διόνυσον· οἱ Ναβαταῖοι ὀνομάζουσιν. *Dusaren Nabatæi Bacchum nominant.*

minant. Ex his manifesto jam constat, ΔΟΥCAPIA. nostro in numo nihil aliud denotare, quam præter Actiacos Ludos, alios etiam in Dusaris, seu Bacchi honorem, id est, *Bacchanalia* Bostræ celebrata fuisse. Porro nomen Dusaris, Arabice *Dominum solutionis* significare, atque adeo cum Græcis Bacchi cognominibus, dum Λυαῖος, *solutor*, & Λυσιμέριμνος *solutor curarum*, vocitatur, egregie convenire, atque alia plura apud BOCHARTUM *in Phaleg. L. 2. c. 19.* legere est, & apud DAPPERUM *in Arabia.* De Idolo, templo, & cultu Dusaris Suidas consulendus est; neque enim hic longior esse, quam res postulet, volo.

Numus hic ex ære magno est, probe conservatus, ita, ut inscriptionum verba, græca præsertim, facile, ac distincte legi possint.



XLIII.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Imperator Marcus Julius Philippus Augustus.* Caput Philippi laureatum.

P. M. S. COL. VIM. *Provinciæ Mæsiæ Superioris Colonia Viminacium.* Annus, infra scribi solitus, legi non potest. Vir paludatus, stans inter Taurum, & Leonem: dextra globum cum victoriola, sinistra hastam tenet.

INsolitus hic iterum numi Viminacensis typus figura vi-

virili, ac paludata comparet; ex quo, aliisque tum jam prolatis, tum infra producendis numis manifestum: nondum omnem numorum veterum, & cum iisdem erutæ eruditionis Thesaurum exhaustum esse. Ea victoriolæ effigie, globo insistente, quem figura Imperatoria sustinet, videntur Viminacenses gratulari Philippo, ac sibimet victoriam, qua Dacia, Mœsiæ contermina, a Carpis liberata est. Vide ZOSIM. *L. 1.*

Hic numus magni æris modulum implet.



XLIV.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. P. F. AVG. P. M. *Imperator Marcus Julius Philippus Pius Felix Augustus, Pontifex Maximus.* Caput Philippi cum corona radiata.

CL. CAES. ANTIOCH. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochia. Senatus Romanus.* Vexillum cum Aquila, inter duo signa militaria.

EXhibet quidem Vaillantius similem numum, sed *Cæsareæ* cognomen illic adjectum non habetur. Signa militaria cum Vexillo, & Aquila vix unquam antehac in hujus Coloniæ numis conspiciuntur, sub hoc vero, & sequentibus Augustis frequentia occurrunt. Philippus, teste

teste Zosimo *L. 1.* occiso Gordiano, pacem cum Persis, & fœdus cum Carpis iniit. Igitur, bello sopito, complures Veterani in Colonias, atque etiam Antiochiam Pisidiæ dimissi videntur, qui numos, militaribus signis ornatos, percuti fecerint.

Numus hic est ex ære medio, uti & sequens.



XLV.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Imperator Marcus Julius Philippus Augustus.* Caput ejusdem Philippi Senioris cum corona radiata.

CL. CAES. ANTI. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochia. Senatus Romanus.* Vexillum cum Aquila, inter duo signa militaria.

Hic numus ab superiore diversus est, quod in adversa parte titulos: P. F. *Pius Felix*, & P. M. *Pontifex Maximus*, non exhibeat, & in aversa parte solum ANTI. non ANTIOCH. scribatur.

Ex titulorum hac ad eundem Augustum positione, aut omissione conficitur: non continuo de nova systematis Historici fabrica argutius cogitandum esse, cum alius alio numus plura, aut paullum diversa exhibet.

Aquilam, & signa militaria, sæpius hic occurrentia, ad deductos in Coloniam milites pertinere illa Hygini verba confirmant: *Multis Legionibus contigit, bellum feliciter transigere, & ad laboriosam agriculturæ requiem primo tirocinii gradu pervenire; nam cum Signis, & Aquilis, & primis ordinibus, ac Tribunis deducebantur.*



XLVI.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. *Imperator Marcus Julius Philippus.* Caput Philippi Junioris cum corona radiata.

CAES. ANTIOCH. S. R. *Cæsarea Antiochia. Senatus Romanus.* Vexillum cum Aquila, inter duo signa militaria.

NUllum hujus Antiochiæ numum, cum capite Philippi Junioris, Vaillantius nancisci potuit; nostri bini ex ære medio sunt. Solum *Cæsareæ* titulum hic præfert Antiochia, quem cum pluribus aliis urbibus tempore Octaviani Cæsaris Augusti eam accepisse existimo. Nam id in honorem Cæsaris Augusti factitatum esse, Suetonius *in ejus vita* refert: *Reges amici, atque Socii, & singuli in suo quisque regno Cæsareas urbes condiderunt.* Similia, ob amorem in Cæsarem Augustum præstita, narrat Eutropius, *in*

in breviario, addens: Ὅθεν ἔτι καὶ νῦν εἰσὶν αἱ Καισάρειαι. *Ex quo & moderno tempore Cæsareæ urbes dicuntur.*



XLVII.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS. *Imperator Marcus Julius Philippus.* Caput Philippi Junioris cum corona radiata.

COL. ANTIOCHI. S. R. *Colonia Antiochia. Senatus Romanus.* Vexillum cum Aquila, inter duo ſigna militaria.

NUmus iſte nomini urbis Antiochiæ ſolum COLONIAE titulum adjecit; præcedens vero ſolum CAESAREAE, ſine expreſſo Coloniæ vocabulo; hi tamen ambo numi citra controverſiam ad Antiochiam Piſidiæ ſpectant. Quo iterum commonemur: eandem etiam urbem, non eosdem, aut omnes ſemper titulos ſuo in ære adnotaſſe. In hoc, aliisque, qui præceſſerant, numis, illud notatu dignum eſt: non unam tantum medio vexillo, ſed utrique etiam militari ſigno ſuam impoſitam eſſe Aquilam. Notum eſt, unicam cuivis Legioni fuiſſe Aquilam; quod & illud Hirtii confirmat, *de bello Hiſpan. Erat Pompeji acies tredecim Aquilis conſtituta.* Ubi, velut uſitata phraſi, pro Legionibus Aquilas nominat. Verum

Antiochiam Pisidiæ tres Legiones deductas esse, vix credibile videtur; cum binis Legionibus plures Coloniis adsignatas non reperiamus. Fortassis e tribus Legionibus Veterani in Colonos delecti sunt, qui suam, sub qua meruere, Aquilam, seorsim expressam voluerint; quos inter & Equites fuisse, vexillum denotat, Equitatui proprium.



XLVIII.

IMP. CAES. G. MESS. Q. DECIO. TRAI. AVG. *Imperatori Cæsari Gneo Messio Quinto Decio Trajano Augusto.* Caput Decii cum corona radiata.

COL. CA. ANTIOCHI. S. R. *Colonia Cæsarea Antiochia. Senatus Romanus.* Mulier stans, capite tutulato, dextra Caduceum, hastæ præfixum, tenet, sinistra Cornu Copiæ.

UNicum Decii numum, Antiochiæ Pisidiæ signatum, adfert Cl. Vaillantius, eumque frequentiori illa signorum militarium imagine cœlatum. Nostrum hujus numi typum, cum hac Caducei forma, in nullo hactenus Antiochensium numo deprehendi. Extant tamen apud Cl. P. Bandurium Romani numi, maximi moduli, ejusdem Decii, qui eundem typum, (si caput tutulatum Genii

Genii urbis Antiochiæ excipias) præ se ferunt, cum epigraphe: FELICITAS. SAECVLI. Igitur hic Genius Coloniæ Antiochensis Caduceo, & Copiæ Cornu indicat: *Pacem*, & cum ea *Felicitatem Sæculi*, Decii virtute partam esse. Pacavit autem Imperium Decius, tum quod tyrannos sustulit: Julium Valentem in Illyrico, Priscum, Gothis conjunctum, Jotapianum in Syria, teste ZOSIMO *L. 1.* & S. AUREL. VICT. tum quod hostes exteros arcuit, aut profligavit; quod complures Decii numi contestantur, inscripti: DACIA. CAPTA. DACIA. FELIX. VICTORIA. GERMANICA. RESTITVTOR. ILLYRICI. VICTORIAE. CARPICAE.

Hic numus est ex ære medio.



XLIX.

HER. ETRVSCILLA. AVG. *Herennia Etruscilla Augusta.* Caput Herenniæ, uxoris Decii.

PROVINCIA. DACIA. Mulier stans, patrio vestitu ornata, dextra ramum, sinistra baculum gestat: ad pedes a dextris Aquila, sertum rostro attollens, a sinistris Leo; inferius AN. V. *Anno quinto.*

Nullum Daciæ numum in Herennia Etruscilla neque Vaillantius, neque Bandurius deprompsit. Daciam jam

jam a Trajano in formam provinciæ, Augustis obnoxiæ, redactam esse, ejusdem Trajani numus ex museo nostro eloquitur: DACIA. AVGVSTI. PROVINCIA. Anni vero, Provinciæ Daciæ numis, his temporibus inscripti, a Philippi Senioris anno Imperii quarto initium sumunt, quo eundem, uti supra insinuavimus, Daciam a Carpis liberasse, e ZOSIMO *L. 1.* colligitur; ac præterea liberam tunc, ac immunem factam esse a Philippo Daciam, existimat Vaillantius.

Hic numus magni æris modulum attingit.



L.

IMP. C. VIB. TREB. GALLVS. AVG. *Imperator Cajus Vibius Trebonianus Gallus Augustus.* Caput Treboniani Galli laureatum.

COL. AVG. TRO. *Colonia Augusta Troas.* Equus liber pascens.

ADjecimus hunc numum, ex ære medio, quia in Vaillantio non reperitur; quanquam similem Bandurius jam attulerat, in quo tamen inscriptio tam adversæ, quam aversæ partis paullum diversi quiddam a nostra exhibet. Equus, libere pascens, Immunitatis symbolum ha-

habetur; qui typus in Coloniæ hujus numis sub aliis compluribus Augustis frequentior occurrit.



LI.

IMP. C. C. VIB. VOLVSIANVS. AVG. *Imperator Cæsar Cajus Vibius Volusianus Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

PROVINCIA. DACIA. AN. V. *Provincia Dacia: anno Quinto.* Figura muliebris, patrio ritu induta, utraque manu vexillum sustinet, quorum alteri V. alteri XIII. inscriptum visitur: ad pedes a dextris Aquila, sertum rostro gerens, a sinistris Leo. *Magni moduli.*

PRæstans est hic numus, ob annum V. Daciæ, qui hactenus in solis Decii numis repertus est. Hic annus Daciæ quintus, cum sub Decio postremum, & idem primum sub Volusiano compareat, Galli Collega, cujus itidem numum, anno V. Daciæ insignem, Cimelium nostrum servat; confirmatur, ipso hoc anno, qui est V. C. 1004. Decio successisse Gallum, & Volusianum: id quod etiam e Viminacensibus numis constabiliri potest; cum hujus Coloniæ annus duodecimus in Decio postremum, & primum in Gallo habeatur: qui respondet eidem V. C. anno 1004.

S CI.

Cl. Vaillantius, nullo inſpecto Voluſiani, aut Galli nummo, cum anno V. Daciæ, ſed deprehenſo ſolum anno VI. Daciæ in Galli numiſmatis, inde collegerat: ſextum illum Daciæ provinciæ annum reſpondere primo anno Imperii Galli. Verum id V. potius Daciæ anno deberi, uterque numus noſter conficit, Gallo alter, alter Voluſiano inſcriptus.



LII.

IMP. VALERIANVS. P. F. AVG. *Imperator Valerianus Pius Felix Auguſtus.* Caput laureatum Valeriani Senioris.

PROVINCIA.DACIA. Mulier ſtans, patrio veſtitu ornata, dextra vexillum tenet, ſiniſtra cultrum, ſeu gladium Dacicum: pro pedibus a dextris Aquila, roſtro ſertum geſtans, a ſiniſtris Leo: Inferius AN. VIIII. *Anno nono.*

VAillantius nullum Daciæ numum, Valeriano dicatum, profert. Bandurius unicum adducit, eumque, licet annus illic adnotatus non legatur, ſingularem tamen appellat. Annus hic Daciæ nonus in annum Imperii Valeriani, & Gallieni tertium incidit. Gladium Da-

Dacicum recurvum, ἅρπην, *falcem* e Clemente Alexandrino *L. 1. Strom.* appellant, quo Thraces primum usos esse, idem Auctor tradidit.

Est hic numus, uti & sequens ejusdem Valeriani, ex ære medio.



LIII.

IMP. C. P. LIC. VALERIANVS. AVG. *Imperator Cæsar Publius Licinius Valerianus Augustus.* Caput Valeriani cum corona radiata.

COL. TYRO. MET. *Colonia Tyros Metropolis.* Templum plurium columnarum, infra quod Conchylium.

NUmum Valeriani Senioris, cum templi typo a Tyriis percussum, nec Vaillantius, nec Bandurius adduxit. De templo in numo Tyriorum vide dicta de numo Tyrio Caracallæ.



LIV.

IMP. GALLIENVS. P. F. AVG. *Imperator Gallienus Pius Felix Augustus.* Caput laureatum Gallieni.

PROVINCIA. DACIA. Mulier ſtans, patrio cultu induta, utraque manu vexillum attinet, quorum dextro V. & ſiniſtro XIII. inſcribitur: ad pedes a dextris Aquila ſertum roſtro geſtans, a ſiniſtris Leo adſtat: Infra AN. X. *Anno decimo.*

DAciæ numi cum Anno ſeptimo apud Vaillantium, & Bandurium poſtremi comparent; nos nonum in Valeriano, & modo decimum Daciæ annum, qui Gallieni quartus eſt, Chronologiæ ſubſidio patefacimus.

Vexilla duo cum numeris V. XIII. inſcribi ſolitis, Legionem Quintam, & Decimam Tertiam in Dacia conſtitutam demonſtrant. Id quod rurſum ſupra relatam Viminacenſis numi interpretationem egregie confirmat: ubi Taurum, & Leonem Legionum, Viminacii collocatarum, inſignia eſſe aſſeruimus. Nam hic ad vexillum Legionis

gionis Quintæ Aquila, ad alterum Legionis Decimæ Tertiæ Leo adpositus est. Iterum vero in Gallieni numis Legio Quinta Macedonica cum Aquila, & Legio Tertia Decima Gemella cum Leone exhibetur. Easdem porro Legiones Quintam Macedonicam, & Decimam Tertiam Gemellam Dio *etiam L. 55.* in Dacia constitutas fuisse meminit. Neque igitur Cl. Bandurio, & ante eum Harduino, aliisque assentior, qui Aquilam Romani Imperii symbolum, & Daciæ insigne Leonem hic denotare putabant; cum tamen ipse Bandurius Daciæ insigne, caput Asini, hastæ præfixum, in Treboniano asserat. Neque illud nostræ explicationi obest: Aquilam in numo Legionis Quintæ coronam rostro non gerere, quod tamen in Daciæ numis observatur; in illo siquidem Gallieni numo Victoria ipsa, cui adjuncta est Aquila, coronam dextra gerit, quam Aquilæ etiam attribuere, tum quidem superfluum, & parum conveniens erat.

Numi hujus, qui mediæ formæ est, cœlatura omnino inelegans, & inertis sculptoris opus, prolabentes hoc tempore bonas artes, cum aliis pluribus subsequentium temporum numis manifestat.



LV.

IMP. P. LIC. GALLIENVS. AVG. *Imperator Publius Licinius Gallienus Augustus.* Caput Gallieni laureatum.

COL. IVL. AVG. FEL. BER. *Colonia Julia Augusta Felix Berytus.* Caput, & pectus Astartes super ara; utrinque Vexillum adstitutum est.

Berytus, in Phœnice sita, a Julio Cæsare, Conditore Coloniæ Julia dicta est. De ea Plinius *L. 5. Berytus Colonia, quæ Felix Julia appellatur.* Augusta cur dicta sit, Ulpianus *L. 50. Dig. tit. 15. de cens.* aperuit: *Berytensis Colonia, Augusti beneficiis gratiosa, & ut Divus Hadrianus in quadam oratione ait: Augustana Colonia.* Agrippa etiam, teste Strabone *L. 16.* sub Augusto duas Legiones Beryti collocarat; quas numus Augusti, & Claudii adsignato numero V. & VIII. *Quintam*, & *Octavam* tum fuisse, produnt.

Duo Vexilla, in numo nostro exhibita, aut illas duas Legiones, aut alias substitutas denotant. Ad aram Vexilla adstituta nemo mirabitur, qui, quam religiose signa militaria Romani coluerint, perspectum habuerit. Tertullianus *in Apolog. c. 16 Religio Romanorum tota castrensis, signa veneratur, signa jurat, signa omnibus Diis præponit.* Et Dionysius Halic. *L. 10.* de Quintio ita refert: ἐκέλευσεν ἐκ τῶν ἱερῶν τὰ σημεῖα καταφέρειν. *Jussit e templis signa deferri.*

Hic numus medii æris modulo congruit.

LVI.



LVI.

IMP. C. P. LIC. GALLIENVS. P. F. A. *Imperator Cæſar Publius Licinius Gallienus Pius Felix Auguſtus.* Caput Gallieni cum corona radiata.

ICONIENSIVM. CO. *Iconienſium Colonia.* Roma galeata ſedens, Victoriolam dextra, ſiniſtra haſtam tenet. Infra S. R. *Senatus Romanus.*

SIngularis hic, & optime conſervatus mediæ formæ numus, Coloniarum Romanarum numerum auget. Nam Iconium Coloniam fuiſſe, neque e ſcriptoribus, neque ex numis hactenus, quod ſciam, conſtabat. Iconium, hodie Cogni, in Lycaonia locat STRABO *Lib. 12.* Et M. TULLIUS *L. 15. Epiſt. Fam. Ep. 4. Ut Caſtra in Lycaonia apud Iconium faceret.* STEPHANUS hanc in Lycaonia ur-

urbem Enocho, quem Ἄνvακον nominat, attribuit; Sed MICHAEL GLYCAS *annal. part.* 2. a Perseo, Sardanapali successore, Lycaonibus devictis, conditam narrat, atque a posita illic imagine sua, ἐκ τοῦ ἰδίου ἀπεικονίσματος, dictam esse Ἰκόνιον; seu Εἰκόνιον, uti habet CEDRENUS, idem referens. PLINIUS *tamen L.* 5. in Cilicia Iconium nominat, quod alius codex MS. Riconium scribit; ac mox Iconium in Lycaonia Plinius ipse constituit. AMMIANUS MARCELLINUS *L.* 14. Pisidiæ, FIRMILIANUS *Epist. ad Cyprian.* Phrygiæ Iconium adscribunt. Sed hæc aut ob vicinam, majoremve Lycaonia provinciam, aut idiomatis communionem, aliave de causa latius, ac minus proprie dicta existimare malim, quam præter Lycaoniæ Iconium, aliud alibi statuere. Metropolin adeo Lycaoniæ fuisse Iconium, ex *Notitia Ecclesiastica vetere*, ubi primo loco Iconium ponitur, colligi potest; & item ex THEODORETO, *L.* 4. ubi de Amphilochio Iconiensi: *Laudatissimus Amphilochius, cui Lycaonum Metropolis regenda commissa est.*

Iconii cum Antiochia Pisidiæ nexus quidam, ex eodem, has literas S. R. *Senatus Romanus*, numis inserendi more indicatur. Videtur his notis utraque Colonia profiteri se Senatui, Populoque Romano obnoxiam esse; atque adeo Lycaoniam, & Pisidiam hoc tempore Provinciæ alicui adscriptam fuisse, quæ ad Populum, non ad Augustos pertineret. Eam provinciam Asiaticam fuisse, e PLINIO *L.* 5. conjicio, atque una nexum illum Iconii cum Antiochia Pisidiæ confirmo; ita habet: *Insident verticem Pisidæ* &c. & mox: *Hos includit Lycaonia, in Asiaticam Jurisdictionem versa.*

LVII.



LVII.


CORNELIA. SALONA (ſic) AVG. *Cornelia Salona*, ſeu Salonina *Auguſta*. Caput Saloninæ, uxoris Gallieni Auguſti.

CL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damaſcus Metropolis*. Menſa, ſuper qua vas, ſeu urna cum ramo palmæ.

NUmum Corneliæ Saloninæ, Damaſci percuſſum, neque Vaillantius, neque Bandurius ullum exhibuit. Urna cum ramo palmæ certamina, Damaſci habita, deſignat, quæ, credibile eſt, CEBACMIA. *Auguſtalia* fuiſſe, in Auguſti honorem inſtituta; cum in Damaſcenis Treboniani Galli, & Voluſiani numis hæc eadem, in quercea corona inſcripta, legantur.

Damascum olim Arabiæ attributam fuisse, ex TERTULLIANO *adverſ. Marcionem L. 3.* & ex *Dialogo Juſtini cum Tryphone* ostendit SPANHEMIUS; deinde vero sub Hadriano Phœnices Metropolin factam esse, e SPARTIANO collegit NORISIUS. De ea S. HIERONYMUS *in Eſaiæ cap. 17.* ita habet: *Ad Damaſcum, id eſt, Aram, ſermo convertitur, quæ & ipſa Regalis quondam civitas fuit, & in omni Syria tenuit Principatum.* Et alibi, de posterioribus Damasci temporibus: *Phœniciæ maritimæ Metropolis Tyrus, mediterranea Damaſcus.*

Medii inter æneos moduli hic numus est.



LVIII.

LVIII.

Caput Juvenile nudum, cujus inscriptio, vetustate vitiata, legi non potest.

COL. ΔΑΜΑ METRO. *Colonia Damascus Metropolis.* Mensa, super qua vas, seu urna cum ramo palmæ.

IN adversa hujus numi facie inscriptio capitis discerni quidem non potest; sed cum totus numi typus eandem prorsus artificis manum præ se ferat, quæ modo relatum Saloninæ numum efformaverat: ac præterea caput Juvenile nudum compareat; dubium vix est reliquum, numum hunc, qui ex ære medio est, ad Publium Licinium Cornelium Saloninum Valerianum, Gallieni, & Corneliæ Saloninæ filium pertinere.

Viri Cl. Vaillantius, ac Bandurius postremos Coloniarum numos in Cornelia Salonina attulerunt; nos alium adhuc Cornelii Salonini, & denique Claudii Gothici postremum exhibere possumus.



LIX.


sic.
IMP. CAES. P. ΛIC. CORN. GALLIENO.
Imperatori Cæsari Publio Licinio Cornelio Gallieno.
Caput Juvenile radiatum Cornelii Salonini.

CL. ANTIOCHI. S. R. *Colonia Antiochia. Senatus Romanus.* Aquila, vexillo imposita, inter duo signa militaria.

HUnc Publium Licinium Cornelium Gallienum non alium esse, atque ipsum Publium Licinium Cornelium Saloninum Valerianum, Publii Licinii Gallieni, & Corneliæ Saloninæ filium, tum ipsa adolescentis facies, ad lineamenta Cornelii Salonini, in Romanis numis expressa, plane accedens; tum inprimis *Cornelii* nomen, huic

huic Salonino proprium, evincit. Trebellii Pollionis narratio huc egregie facit, qua refert, *in Gallienis duobus*: Ad arcum Fabianum ſtatuam erectam eſſe, cum inſcriptione: GALLIENO. IVNIORI. SALONINO. quamquam ipſe Pollio hæſitet: Saloninum illum, an Gallienum nominet? ac affirmet, multos in hiſtoriis eum Gallienum, multos Saloninum prodidiſſe. Eundem igitur hunc Publium Licinium Cornelium Valerianum, tam Saloninum, quam Gallienum dici, hic noſter, parvi moduli, numus, cum reliquis collatus, oſtendit. Hoc numo refellitur R. P. Harduini Liciniorum Genealogia. Nam ſi ejus axiomati credimus: *Non habent in numis Romanis Cæſares, vel Auguſti nomina, niſi ex Patre, vel Matre, vel Conjuge.* Unde igitur Publius Licinius Cornelius Gallienus, nomen *Gallieni*, niſi a Patre? unde *Cornelii*, niſi a Matre, atque adeo Gallieni Senioris conjuge, Cornelia Salonina, accepit? Neque hic illa valet Cl. Harduini exceptio, adverſus numum græcum, a Vaillantio relatum, quem negat, ita inſcriptum fuiſſe: Π. ΛΙΚΙΝ. ΚΟΡΝΗΛΙΟϹ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ΚΑΙϹ. Sed eundem, in ſchedis Vaillantii extantem, male lectum fuiſſe contendit; nempe ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. loco ΒΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. *Ut in numis omnibus aliis* (inquit) *Valerianus ſemper eſt, nunquam Gallienus.* Nihil, inquam, hæc iſthic exceptio valoris habet; cum numus noſter in ære certæ vetuſtatis, non in charta tantum extet: neque propterea, quod Licinius Cornelius cum *Gallieni* nomine repertus hactenus non fuerit, reperiri etiam ſubinde non potuit. Unicum hic objici poſſet: non videri *Imperatoris* titulum, Licinio Cornelio Salonino *Cæſari* convenire. Rarum eſſe id quidem fateor; ut, qui tantum *Cæſares* fuerint, *Imperatoris* titulum in numis præfixum habeant. Sed enim extant

hujus rei exempla tum in aliis latinis, tum in ipsis Cornelii Salonini numis, latino uno, ac binis græcis apud BANDURIUM *Tom. 1. pag. 261. & 262.* Satis igitur Cæsarem, ab Augusto, prætermissus *Augusti* titulus discernit. Neque aliæ rationes desunt, quæ Imperatoris titulum Cornelio Salonino asserant; quando ex historicis notum est: eundem a Patre adversus barbaros Germanos in Galliam missum esse; & porro numus Salonini, a Bandurio relatus, Victoriam exhibet, quæ stans, lauream porrigit Imperatori, cum epigraphe: VICTORIA GERMAN.



LX.

LX.

IMP. CAES. M. AVR. CLAVDIO. A. *Imperatori Caesari Marco Aurelio Claudio Augusto.* Caput Claudii Secundi, seu Gothici cum corona radiata.

ANTIOSHI. (sic) S. R. *Antiochia. Senatus Romanus.* Vexillum inter duo signa militaria, quibus parva Sacella imposita videntur.

SImilem Claudii numum primus quidem vulgavit CL. HAYM *in Thesauro Britannico*, sed signa militaria alio modo illic exhibentur. Videtur Vir eruditus hunc numum non satis conservato typo nactus esse, cum loco S. R. legerit, S. P. quanquam ipsemet deinde animadverterit: literas S. R. Antiochiae huic usitatas, exprimi oportuisse, quae in nostro numo distincte leguntur. Praeterea in numo Cl. Haymii, nomini Antiochiae CL. praemissum comparet; quas ille literas, *Claudia*, posse legi, non dubitavit; atque, Antiochiam a Claudio *Claudiam* dictam fuisse, conjecit. Verum prolati a nobis Antiochiae istius numi, easdem literas jam sub Philippo exhibent; ubi sane CL. non *Claudia*, sed *Colonia*, legendum esse, in aperto est. Id quod paullo ante propositi Damasceni numi luculenter comprobant, quorum alter CL. ΔΑΜΑ METRO. utique legi debet, quemadmodum alter ejus-

dem

dem temporis: COL. ΔAMA. METRO. *Colonia Damascus Metropolis.*

Capsulæ, seu ædiculæ, signis militaribus impositæ, videntur mihi parvula illa Sacella esse, quibus Aquilas militarium signorum tegebant Romani; nam Dio *L. 40.* de Legionum Aquilis ita habet: ἐςὶ νεὼς μικρὸς, καὶ ἐν αὐτῷ ἀετὸς χρυσοῦς ἐνίδρυται. *Est Sacellum exiguum, in quo aquila aurea collocatur.* Accedit, quod in supra exhibitis hujus Antiochiæ numis, similia signa militaria Aquilam prætulerint.


Est hic numus ex ære medio.



APPEN-

APPENDICULA AD NUMOS URBIUM,

Græce loquentium, Sub Augustis percussos, A. Cl. Vaillantio editos.



I.

M. ANT. ΑΡΜΕΝΙΑΝ. ΚΑΤΑΔΟ . . ΩΣ. Μάρκος Ἀντώνιος, Ἀρμενίαν καταδȣλώσας. *Marcus Antonius, qui Armeniam subegit.* Caput nudum Marci Antonii.

ΚΛΕΟΓΑΤΡΑ (*sic.*) ΑΙΓΙΓΤΟΙ (*sic.*) ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ. *Cleopatra Ægypti Regina.* Caput Cleopatræ.

RAriſſimum hunc numum, etſi urbis, in qua cuſus eſſet, nomine deſtitutum, adferendum putavi, Cl. Vaillantii exemplo inductus. Numum ſimilem, ſed ex argento (cum noſter ex ære ſit, medii moduli) ante nos ex Gorlæo alterum, alterum ex Gaza Medicea

U pro-

produxerat R. P. Harduinus *in præclaro opere de Numis Populorum, & Urbium, edit. Amstelodamensis, pag. 28.* In Mediceo numismate nomen Ægypti desideratur: in altero vero Gorlæi, ΑΙΓΥΠ. tantum legitur. In nostro autem ΑΙΓΙΠΤΟΙ. integre expressum habetur, binis locis Ι posito pro Υ.

Similem elementi permutationem præ se ferunt Numi Syracusarum, & Beryti, a Doctissimo Spanhemio adducti, in quibus legitur: ΣΙΡΑ. pro ΣΥΡΑ*κοσίων*. & ΒΗΡΙΤΙΩΝ. pro ΒΗΡΥΤΙΩΝ. Qua in re, aut lapsi sunt, ob similitudinem soni, minus periti typariorum Sculptores: aut longe remotam vetustatem affectarunt; cum sint nonnulli, qui literam Υ inter primos Græcorum characteres non fuisse usitatam existiment.

M. Antonius, cum Armeniam invaderet, primum repulsus est. Subinde Artavasden Regem dolo cepit, atque mox omnem *Armeniam subegit.* Artavasden cum liberis, aureis vinculis constrictum, Alexandriam in triumphum duxit, & *Cleopatræ* suæ, in medio populi, dono obtulit; tum jussit *Cleopatram Reginam Regum* appellari. Narrant ista Dio Cass. *Lib. 49.* Plutarchus *in Antonio*, & Fl. Joseph. *L. 15. Antiquit. c. 5.* Atque horum ita gestorum memoriam, eleganter sane hoc numi typo expressere veteres, dum Capiti *Antonii Armeniæ debellatoris* adsignarunt Caput *Cleopatræ Ægypti Reginæ:* quæ etiam in latinis numis, *Regina Regum, Mater Filiorum Regum*, compellata legitur.





II.

II.

ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Καῖσαρ Σεβαςὸς. *Cæsar Augustus.* Caput laureatum Augusti, cum incuso signo Monetarii, cui inscriptæ literæ discerni non possunt.

ΤΙΒ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΡ. ΤΟ. Β. ΝΥΣΑΕΩΝ. Τιϐέριος Καῖσαρ, Γραμματεὺς τὸ β' Νυσαέων. *Tiberius Cæsar, Scriba iterum Nysæorum.* Intra coronam lauream.

NUmum hunc, parvi moduli, ad Nysam Cariæ pertinere, adsignatus magistratus *Scriba* indicat, qui in aliis hujus Nysæ numis reperitur; hic tamen peculiari quodam monogrammate ΓΡ. τὸ Γραμματεὺς exprimitur. Magistratum hunc, inter Urbicos supremum, quibusdam Asiæ populis fuisse, præter alia, ab Illustrissimo Spanhemio adnotata, hic numus egregie comprobat; qui præterea nos docet: Scribæ suæ urbis titulum ab Nysæis *Tiberio Cæsari iterum*, honoris ergo, oblatum fuisse; id quod nec ex numis hactenus, neque ex scriptoribus, quod sciam, didicimus.

Sane si majorem alium urbis suæ magistratum, atque Γραμματέως *Scribæ*, agnovissent Nysæi; nullus dubito, quin ejusdem titulo *Tiberium Cæsarem* cohonestassent. Accedit Novi Testamenti locus, Actorum 19. v. 35. ubi de Scriba Ephesinæ urbis agitur, cujus numi itidem Γραμματέως magistratum exhibent; ita habet Vulgatæ textus: *Et cum sedasset, Scriba turbas.* Græcus: καταςείλας δὲ ὁ Γραμματεὺς τὸν ὄχλον. Syrus vero, loco Γραμματεὺς, ponit: *Caput*, seu *Princeps Urbis.* Cum tamen in aliis S. Scripturæ locis, ubi non de Asianarum Urbium, sed Hebræorum Scribis, imo & Scribarum Magistris, seu Cancellariis mentio fit: uti *Samuelis Lib. 2. c. 8. v. 17.* & alibi, Syriacus textus non aliud exhibeat, quam *Sophra*, quod cum Hebraico ספר convenit, & cujus propria significatio per communem illam *Scribæ* Γραμματέως notionem exprimitur.

Atque hæc omnia conficiunt: supremum Urbis Magistratum quibusdam Asiæ, præsertim Proconsularis, Populis γραμματία fuisse. Utrum vero τὸ γραμματεὺς hic reddi debeat: *Scriba*, vel *Caput*, seu *Præfectus Urbis*, vel *Cancellarius*; de nomine lis est, quam dirimat, cui est otium. *Scriba*, nomen: *Caput Urbis*, rem optime exprimit: *Cancellarius* ab utroque deficit.

Rarissimus numulus noster videtur eo tempore cusus esse, quo Tiberius Rhodiorum in Insula degebat, in quam politicis e caussis teste Dione *Lib. 55.* secesserat. Nam Nysa hæc ad Xanthum fluvium sita, in Caria a Stephano locatur: a Ptolemæo in Lycia; utraque porro hæc regio attingitur finibus Peræa Rhodiorum. Tiberium autem Rhodi *genus vitæ civile admodum instituisse*, *mutuaque cum Græculis officia usurpasse*, Suetonius *in Tiberio c. 11.* memorat. Porro neque illic honoribus caruisse Tiberium, Velleius *Lib. 2. c. 99.* auctor est: *Illud etiam in hoc transcursu dicendum est, ita septem annos Rhodi moratum; ut omnes, qui pro Consulibus, Legatique in transmarinas profecti Provincias, visendi ejus gratia ad eum convenientes, semper privato, (si illa Majestas privata unquam fuit) fasces suos submiserint, fassique sint: otium ejus honoratius Imperio suo.*

Horum consideratione motus, probabile plane existimo, variis tum etiam honoribus a vicinis Asiæ urbibus mactatum esse Tiberium; quas inter Nysam Cariæ fuisse, elegans numulus noster persuadet. Quod si quis Tiberium Cæsaris titulo, ante adoptionem, ab Augusto factam, non compellatum esse contendat; non pugno, quin post secessum Rhodium hunc numum signarint Nysæi, memores illius comitatis, qua Tiberius, dum Rhodi ageret, adversus Græcos usus fuerat.

Hactenus dicta suis non carerent momentis; si, uti initio credebamus, certa esset numi nostri lectio: TIB. KAI-

ΣAP.

ΣΑΡ. At enim (ut Utilitati Publicæ nihil omnino subtrahatur) fatendum est: nos fortasse oculis nostris, & conjecturæ æquo plusculum hic quidem tribuisse, quod alioqui sedulo cavimus. Cum enim in aversa numi facie primum duntaxat inscriptionis vocabulum integrum, ac perspicuum non esset; sed litera prima appareret plane similis τῷ Τ, minusculæ tamen formæ, ac alii epigraphes Characteres: tum ejusdem vocabuli, ac lineæ ultima litera ductum aliquem τῦ Β præ se ferret; uti propositus typus, numulo ipsi quam simillimus exhibet: præterea mox altero, ac separato vocabulo sequeretur ΚΑΙΣΑΡ. porro autem in adversa numi facie extaret Augusti vultus, & nomen; qui tandem aliter, quam TIB. ΚΑΙΣΑΡ. tuto legendum constitueremus?



Verum utilissimum illud Numos veteres undequaque eruendi, & vulgandi studium, quod Illustrissimus, & Eruditissimus Marchio Maffeius, cum alias sæpe, tum *in Epistola, ad Doctissimum Dn. Apostolum Zeno* data, orbi comprobavit; nobis item lucem aliquam affudit. Refertur in laudata Epistola numus, nostro admodum similis, & ejusdem forte typarii, ex Museo Rotheliniano, qui ita describitur:

Augusti Caput sine literis; exinde in laurea ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡ. ΚΥΡ. ΤΩΝ. ΝΥΣΑΕΩΝ.

Si numus hic, nostro geminus est; nos loco Φ legimus Τ, extrito nempe superiore ductu τῦ Φ. item τὸ Ο, ex

ΦΙΛΟ, ductum τῦ Β esse putavimus. Mutuam tamen vicem numus noster, quoad reliqua integer, rependit. Nam & in adversa parte ΚΑΙΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. habetur, & in aversa non legendum est ΤΩΝ. sed ΤΟ. Β. quod apud nos extra dubium est. Neque alioqui in ære veteri gentile nomen articulum adjunctum præ se ferre solet; nisi cum singularis expressio, ac distinctio quædam adjicitur, ut: ΙΟΥΛΙΕΩΝ· ΤΩΝ. ΚΑΙ. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. item CЄΛЄΥΚЄΩΝ. ΤΩΝ. Π. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. & in aliis similibus.

Alius tamen esse a nostro Rothelinianus iste numus, & nostra de Tiberio conjectura locum fortasse habere potest; si is numus ita, uti describitur, se habeat, & sit, quam noster, alterius moduli. Quare primas etiam super numo hoc nostro cogitationes, in hac altera editione, adponendas curavimus.





III.

ΓΑΙΟΣ. ΛΕΥΚΙΟΝ. *Cajus Lucium.* Capita nuda jugata Caji, & Lucii filiorum M. Agrippæ, ex Julia, Augusti Filia.

ΑΡΑΤΟΣ. ΓΡΑΜΜΑΤΕΥ. ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩ. Ἄρατος Γραμματεὺς Κιλβιανῶν Νικαιέων. *Aratus scriba Ciblianorum Nicæensium.* Venus stans, d. pomum tenet, f. vestem adducit.

VUlgavit quidem ante nos insignem hunc, parvi moduli, numum Eruditissimus SPANHEMIUS, *Tom. 2. de Usu, & Præstantia Num. ant. pag. 319.* apud eundem tamen ΛΕΥΚΙΟΣ. recto casu scriptum profertur; cum in nostro

ΛΕΥ-

ΛΕΥΚΙΟΝ. citra dubium legamus. Primo fere hujus numi aspectu id mihi, quod cuivis facile poterat, in mentem venerat: honorari, aut salutari hoc numo Lucium a Cajo fratre; cum Cajus in Asia, Lucius frater, de Cajo bene meritus, in Occidente degeret. Verum ab Oraculo meo admonitus, atque ipse apud animum reputans: nunquam in numis parem a pari, quorum præsertim ambo expressi sint vultus, honorari, aut salutari; verum id urbes Principibus, aut Principes, ac populos Diis præstitisse: præterea in omnibus, quos norim, Caji, & Lucii numis, Græcis perinde, ac Latinis, eodem ambos casu constanter inscriptos exhiberi; cœpi merito suspicari, an non hic, facili errore, N pro Σ insculptum sit, aut vice versa Σ loco N. cum nempe ad aliorum numorum formam sculpendum esset: ΓΑΙΟΣ. ΛΕΥΚΙΟΣ. vel ΓΑΙΟΝ. ΛΕΥΚΙΟΝ. Nisi forte & literæ Σ forma quædam, similis latinæ N, tum illic in usu fuerit: quales certe in vetustis Græcorum inscriptionibus reperire est, uti apud Illustrissimum Scip. Maffeium *Galliæ Antiquit. Epistol. 19.*


Cilbiani Campi a Strabone *Lib. 13.* ad Tmolum montem, qui ad Lydiam pertinet, statuuntur. Plinius Cilbianos in superiores, & inferiores *Lib. 5.* dividit: cui consentiunt numi veteres, inscripti: ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. *Cilbianorum superiorum.* & alii ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΚΑΤΩ. *Cilbianorum inferiorum.* Nicæam urbem, in Cilbianis campis, aliquam fuisse sitam, putat e numis colligi posse Cl. P. Harduinus S. J. & laudatus Spanhemius: atque ut a Nicæa Bithyniæ discerneretur, Cilbianorum nomen adjectum esse. Id potissimum e Caracallæ numismate inferunt, quod in Christianissimi Regis Gaza servatur, ita inscriptum: ΝΙΚΑΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΚΙΛΒΙΑΝΩ. *Nicaensium, qui in Cilbiano sunt.*

Verum, quando scriptorum veterum nemo hujus Nicææ meminit; ejuscemodi numos aliter exponendos cense-

ſemus. Quemadmodum enim e numo Ptolemaideno, ita inſcripto: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. ΤΩΝ. ΕΝ. ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. *Antiochenorum, qui Ptolemaide degunt.* nequaquam novam in Ptolemaidena regione Antiochiam erigit R. P. Harduinus, ſed ad mercatores Antiochenos, Ptolemaide agentes, recte refert; ita ſane haud video, cur non idem de Nicæenſibus, Cilbianorum urbem frequentantibus, dicendum ſit. Numos vero illos, qui habent: ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. item ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΠΕΡΓΑΜ. nihil ambigo ad Ὁμόνοιαν ſeu *Societatis vinculum* pertinere, quo Cilbiani Nicæenſibus, & Pergamenis arctius ſe ſe adſtrictos profitebantur.

Numus noſter ad Cilbianos inferiores revocandus eſt; quod *Scribæ* Magiſtratum, quem aliæ ejus urbis monetæ, ſignatum præ ſe ferat. Veneris figura pomum oſtentat, quo, uti notum omnibus, a Paride Phryge, trium Dearum Judice, donata eſt. Veneris hujus cultus in Phrygia, & vicinis provinciis floruit, quas inter eſt & Lydia. Nicarchus *Lib. 1. Antholog.* lepide Venerem, ita Palladi inſultantem inducit, cum nempe hujus ſtatuam, pomum geſtantem, Venus conſpexiſſet:

> Σὸν δόρυ καὶ σάκος ἐςὶν, ἐμὸν δὲ τὸ μῆλον ὑπάρχει·
> Ἀρκεῖ τῷ μήλῳ κεῖνος ὁ πρὶν πόλεμος.
> *Te decent haſta, & clypeus; meum vero eſt malum:*
> *Satis bellorum jam ex illo malo extitit.*



IV.

Γ. ΚΑΙΣΑΡ. *Cajus Cæsar.* Caput nudum Caji, filii Agrippæ.

ΤΙ. ΦΛΑ . . . . . . ΗΣ. ΚΑΛΥΝΔΕΩΝ. Nomen Magistratus non legitur. *Calyndeorum.* Apollo stans in veste muliebri, sinistra lyram attinet.


Κάλυνδα πόλις Καρίας. *Calynda urbs Cariæ.* Ita STEPHANUS, Ptolemæus eam Lyciæ tribuit, in qua Provincia Cajus Cæsar diem suum obiit teste VELLEIO PATERC. *L. 2, c. 102.* κάλινδα Ptolemæi exemplaria habent: κάλυμνα Strabonis; numus pro Stephano facit.

Est hic noster, parvi moduli, numus rarissimus, tum propterea, quod Caji Cæsaris solum caput referat; tum etiam, quod Calyndeorum numum nullum Vaillantius proferat. R. P. Harduinus unicum producit, nullius Augusti, vel Cæsaris nomine, sed hoc vocabulo ΔΗΜΟΣ. *Populus*, insignem. Peculiari cultu apud Lycios Apollinem floruisse, colligo ex PINDARO, *in Pythiis*, *ode. 1.*

Λύκιε, καὶ Δάλοιο ἀνάσσων
Φοῖβε.
Lycie, & Delo imperans Phœbe!

PLINIUS *Lib. 3. c. 4.* Apollinem *Cytharœdum* nominat: & in hymno *Lib. 1. Antholog. Græc. Epigram.* Apollinem Λυροχηθέα lyra gaudentem salutat Poëta. Muliebri stola indutus Apollo etiam apud Actium colebatur, unde & Actiacus dictus est, cujus figuram in Augusti numis aureis videre est.





V.

ΓΑΙΟΥ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΓΕΡΜΑΝΙΚ. *Caji Cæsaris Germanici.* Laureatum Caput Caji, Caligulæ dicti, ad cujus occiput aliud minusculum caput laureatum adsignatum est, Augusti, vel Tiberii.

ΒΥΖΑΝ. Βυζαντίων. *Byzantiorum.* Navis.

MIrabatur Doctissimus P. Harduinus *Num. Popular. & Urb. p. 37.* a Cl. Vaillantio numum Augusti, Caji Cæs. & Claudii, Byzantii signatum, conspectum fuisse; cum is existimet vix congruere: ut primis his Imperatoribus percusserint numos Byzantini; cum nulli sub Nerone & reliquis usque ad Trajanum compareant, deinceps vero frequentissimi. Accedit: *Liberæ conditionis*, Plinio *teste Lib. 4.* fuisse Byzantium, nec videri, ante Trajanum Romanis obnoxium fuisse. Hoc oppidum antea Lygos, deinde Constantinopolis appellatum est.

Celeberrimum hoc Thraciæ Emporium ob commodissimum ad maritima commercia situm, & eorundem frequentissimum exercitium, Navis effigiem sæpius in ære suo exhibet. Numus parvi moduli est.




VI.

ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. ΓΕΡΜΑΝ. *Tiberius Claudius, Cæsar Augustus, Germanicus.* Caput nudum Claudii.

ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ. ΣΕΒΑΣΤΗ. *Agrippina Augusta.* Caput Agrippinæ, uxoris Claudii, infra quod monogramma.

MOnogramma Istud urbis potius, quam Monetarii cha-

characterem existimo; cujus vero urbis nomen indicatum sit, incertum mihi est. Inter omnia urbium monogrammata, quæ, numis consignata, interpretati sunt hactenus eruditi, proximum, & prope geminum est Panormitanorum, in Sicilia; quod ipsum, duobus, tribusve modis variatum, videre est in collectione Parutæ, locupletata Cl. Havercampii opera. Habentur in Thesauro Regis Galliarum Panormitanorum Numi, etiam Græcis literis inscripti, cum Augusti alii, alii cum Tiberii capite, quos adducit R. P. Harduinus *Num. Popul. & Urb. p. 130.* Quid, si sub Cajo, Claudioque item Panormitanis id licuisse, successu temporis numi ostendant? Numus hic integerrimus, & perelegans mediæ magnitudinis est.



VII.

Caput Neronis nudum, & Agrippinæ matris, adversis vultibus: videri tantum possunt literæ ΓΡ, quæ ad nomen ΑΓΡΙΠΠΙΝΑ spectant.

ΕΦΕΣΙΩΝ. *Ephesiorum.* Simulacrum Dianæ Ephesiæ, cum adminiculis.

Ephesus a Plinio *Lib. 5. Lumen Asiæ, & opus Amazonum.* A Stephano πόλις Ἰωνίας ἐπιφανεστάτη. *Urbs Joniæ illustrissima*, appellatur. Erat a Dianæ templo, & cultu celeberrima. Idolum Dianæ Ephesiæ, seu Multimammiæ, πολυμάσθυ, numus exhibet; quo symbolo veteres naturæ Ubertatem, & Fecunditatem indicabant. Medii moduli numus est.



VIII.

ΝΕΡΩΝ. ΚΑΙΣΑΡ. *Nero Cæsar.* Caput nudum Neronis.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Thessalonicensium.* Corona querna, cui imminet aquila, ramum unguibus stringens.

THessalonica, nota Macedoniæ urbs, sub Valeriano, & Gallieno primum se Metropolim, & Coloniam in monetis compellat. Nomen gentile ex θεσσαλονίκη, etiam Stephano est: θεσσαλονικεύς. Neronis numum Thessalonicensem, cum corona querna, refert quidem Cl. Vaillantius, sed sine capitis epigraphe: tum etiam sine aquila, palmæ ramum stringente: ac denique parvi moduli, cum noster medii sit. Eruditissimus Patinus numum, qualem Vaillantius dedit, exhibens, suspicatur, coronam similem Neroni, multorum ludorum per Græciæ urbes victori, a Thessalonicensibus missam; cum similia a Græciæ urbibus Neroni præstita narret Suetonius *in Nerone c. 25.*

Verum, cum hujus coronæ typus pluribus subinde Imperatoribus adsignatus sit; mallem statum quidpiam, & urbi usitatum hac corona querna designari, & quidem ludos, in Augusti honorem, & memoriam institutos; quod & Aquila, Romani Imperii symbolum, palmæ ramum stringens, comprobare videtur. Præterea in Damascenis numis *Quernæ Coronæ* inscriptum legitur CEBACMIA. *Augustalia*, seu *Certamina, in honorem Augusti.* Porro quercea corona (quæ ob Cives Servatos dabatur) Augu-
stum

ſtum inprimis delectatum, & in numis honoratum fuiſſe, tritum, ac decantatum eſt.




IX.

ΝΕΡΩΝ. ΘΕΟC. ΑΓΡΙΠΠ . . . ΘΕΑ. *Nero Deus, Agrippina Dea.* Caput Neronis nudum, & caput Agrippinæ, ſe mutuum conſpicientium.

CΥΝΑΕΙΤΩΝ. *Synaitarum.* Hercules nudus ſtans, ſiniſtra protenſa arcum jam ſolutum tenet: dextra, ex adductæ chordæ impetu, recedente.

AD prima Imperii Neroniani tempora videtur hic, parvi æris, numus elegantiſſimus pertinere. Tum enim *Matri ſummam omnium rerum privatarum, publicarumque permiſit.* teſte SUETONIO *in Nerone c. 9.* Similia narrat DIO *Lib. 61.* qui Neronem, decem, & ſeptem annos natum, Imperium adiiſſe perhibet; atque ei ætati congruum vultum numus noſter exhibet. Dei, Deæque titulos, non inſolita Græcis, adulatio adjecit: quibus honoribus non niſi fato functos Romani afficere conſueverunt.

Synaitarum numum nullum apud Cl. Vaillantium, & fortaſſe nec apud alios Antiquarios reperias. Σύναος a Ptolemæo in Phrygia magna collocatur: e quo urbis nomine recte formatur gentile Συναείτης, quemadmodum Μενελαείτης ab urbe Μενέλαος, apud Stephanum; cujus urbis numi itidem habent: ΜΕΝΕΛΑΕΙΤΩΝ. Confirmat hic numus lectionem Ptolemæi, antehac dubiam, atque comprobat: recte in veteri notitia Epiſcopatuum (uti Soler-

tissimus Cellarius adnotavit) pro Ἀγκυρεσυνῦ restitutum esse: Ἀγκύρας Συνάυ. *Ancyræ, prope Synaum.* Præterea *in Veteri Notitia Ecclesiastica* habetur: *In Phrygia Pacatiana: Sinnaë.* Ac deinde, *ex actis 6. Concil. Calchedon. Aramius Sinaë Phrygiæ Episcopus. Sinai*, pro *Synai* scriptum, nihil obest; nam etiam κάλυνδα, & κάλινδα, in notis ad numum IV. scriptum vidimus. Neque porro censeo, hanc urbem σύναος eandem esse, quæ STRABONI *Lib. 12.* Σάναος, etiam in Phrygia; nec eandem esse cum ea, quæ Ptolemæo Σάνις dicitur (quod nonnulli suspicabantur) ex eo patet, quod in eadem Not. Eccles. & sub eadem Phrygia, ubi posita est *Sinaos*, paullo inferius suo nomine exprimatur *Sanis.*

Figura Herculis hic non alia est, quam Stymphalides aves sagittis sternentis: id quod luculenter inferius, e Numo Maximi Cæs. Nicææ signato, commonstrabitur, in quo ipsarum volucrum decidentium figuræ comparent. Sunt etiam in hoc numo dignæ notatu literarum formæ C. & Є. loco Σ. & E. quando priores illæ figuræ ante Domitiani tempora rarissime offenduntur. Pariter ω loco Ω in numis hujus sæculi raro deprehendas.



X.

ΑΥΤ. Μ . . . . ΩΝΟΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. Ἀυτοκράτορος Μάρκυ Ὀθῶνος, Καίσαρος Σεβαςῦ. *Imperatoris Marci Othonis, Cæsaris Augusti.* Caput Othonis nudum.

L. A. Λυκάβαντος ά. *Anno primo* Imperii. Caper stans.

ÆGyptios numos, sine urbis nomine expresso, sub Othone

Othone etiam Cl. Vaillantius adducit; nullum tamen cum hac Capri effigie uspiam deprehendit. Ipsa hæc Capri effigies urbis nomen supplere videtur. Nam & Cl. Vaillantius Numum Hadriani exhibuit, cum eodem Capri stantis simulacro, & epigraphe ΜΕΝΔ. Μενδησίων. *Mendesiorum.* Mendesium Nomon in Ægypto PLINIUS *Lib. 5.* recenset. Peculiarem porro Capri cultum apud Mendesios invectum fuisse STRABO *Lib. 17.* testatur: Καὶ Μένδης, ὅπου τὸν Πᾶνα τιμῶσι, καὶ τῶν ζώων τράγον. *Et Mendes, ubi Panem colunt, & ex animalibus Caprum.* Idem inferius: Αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι. *Capram, & Caprum Mendesii* venerantur. His consentanea HERODOTUS *Lib. 2. c. 46.* Qui ipsius Panis, & Capri idem esse apud Ægyptios nomen: Μένδης, adjungit. Diodorus Siculus inter sacra illa Ægyptiorum animalia Capri non est oblitus: καὶ τὰ περὶ τὸν τράγον, τὸν ἐν Μένδητι. *Quæ ad Caprum illum pertinent, qui in Mendete urbe colitur.* Parvi moduli est numus.



XI.

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΤΙΤΟϹ. ΚΑΙϹΑΡ. *Imperator Titus Cæsar.* Caput nudum Titi.

ΚΛΑΥ. ΦΙΛ. . . . ΒΗΝϢΝ. ΡΛΓ. Κλαυδιέων Φιλιππιέων Γαβηνῶν. ρλγ. *Claudianorum, Philippeorum Gabenorum, anno 133.* Figura stans, solo amiculo cincta, d. hastam.

GAbenorum esse hunc, medii moduli, numum, & recte in eo legi κλαυδιέων φιλιππιέων, aliaque plura in Domitiæ

tiæ numo oſtendentur. Annorum numeri denotant an. V.C. 826. usque ad autumnum, Veſpaſiani quartum, quo *Titus Cæſar* recte IMPERATOR inſcribitur, qui jam ante biennium de Judæis Triumphaſſet. Æra Gabenorum incipit ab autumno anni V. C. 693. Figura ſtans in Gabenorum numis Lunus eſſe ſolet, cujus etiam tenuia indicia, a tergo figuræ.




XII.

ΚΑΙΣΑΡΑ. ΤΙΤΟΝ. ΑΥΤΟΚΡ. *Καίσαρα Τίτον Αὐτοκράτορα. Cæſarem Titum Imperatorem* honorant Theſſalonicenſes. Capita nuda Titi, & Domitiani, adverſis vultibus.

ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ. *Theſſalonicenſium.* Corona querna, cui imminet aquila, ramum palmæ ſtringens. Typum habes in numo Neronis.

CAput alterum Domitiani eſſe, etſi nomen abſit, & vultus ipſe, & inſcriptio ſoli Tito, tanquam natu majori facta, comprobant. Atque in aliis etiam Græcorum numis Fraternam Titi, ac Domitiani concordiam, conſignatis eorundem vultibus commendatam, videre licet. Numus eſt medii moduli.



XIII.


XIII.

ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Domitianus Cæsar.* Ejusdem Caput nudum.

CΙΔΗΤ. Σιδητῶν. *Sidetum.* Pallas gradiens, d. haſtam puram ſuſtinet, ſ. clypeum: ſub pedibus ſerpens.

STEPHANUS: Σίδη πόλις Παμφυλίας . . . . ὁ πολίτης Σιδήτης. *Side urbs Pamphyliæ, cujus incola Sidetes appellatur.* Palladis illic cultum viguiſſe, commemorat STRABO *L. 14.* Σίδη Κυμαίων ἄποικος, ἔχει δὲ Ἀθηνᾶς ἱερόν. *Side Cumaeorum colonia eſt: habet ædem Palladis.* Ipſe porro Domitianus (cui noſter parvi æris numus dicatus eſt) Palladem præcipue ex omnibus Diis coluit, teſtante XIPHILINO *ex Dione Lib. 67.* & comprobantibus ejus numis, icone Palladis frequentiſſime ſignatis.

Serpentem, Sapientiæ, & Prudentiæ Symbolum, etiam cultum ab Idololatris obtinuiſſe, comprobat id, quod de Athenienſis Minervæ cultu legitur in libello, inſcripto: *Pœnitentia Cypriani.* Καὶ τῆς ἐν τῇ ἀκροπόλει Παλλάδος δράκοντι ἐλειτούργησα. *Draconi Palladis, quæ in arce eſt, ſacrificavi.*



XIV.

ΔΟΜΙΤΙΑ. CEBACTH. *Domitia Auguſta.* Caput Domitiæ, uxoris Domitiani.

ΚΛΑΥΔΙ. ΦΙΛΙΠ. ΓΑΒΗΝΩΝ. Κλαυδιέων Φιλιππέων Γαβηνῶν. *Claudianorum, Philippeorum Gabenorum.* ΓΝΡ. *anno 153.* Lunus ſtans, d. haſtam.

Nihil ſatis clarum, ac certum hactenus Rei Numariæ

etiam peritissimi protulerunt: cuinam urbi numi ΓΑΒΗΝΩΝ. tribuendi sint; propterea, quod plures, ac duæ præprimis urbes, hoc nomine *Gaba* insignes, dubium moverent. Neque vero, e solo hoc urbis cognomine: κλαυδιέων, *Claudianorum*, decidi lis poterat. Et quamvis productus sit numus ΚΛΑΥΦΙ. inscriptus; is tamen satis infeliciter: κλαυδιοφίλων, lectus, nihil subsidii attulit. At noster numus & lectionem, & urbem ipsam, ad quam pertinet, sua docet epigraphe ΚΛΑΥΔΙ. ΦΙΛΙΠ. *Claudianorum Philippeorum*; id quod modo pluribus ostendam.

Urbes, *Gaba* dictæ, tres potissimum, quæ in Palæstina, aut in vicinia sitæ erant, in considerationem veniunt. Nam illa Gaba, quæ in Persia, & altera, quæ in Sogdiana inveniuntur, hic nihil obturbant.

Prima itaque Gaba Judææ oppidum erat, in terra Tribus Benjamin, de qua frequens in Veteri Testamento mentio, quæ in Hebraico textu: גבע *Geba*, & cum ה paragogico גבעה *Gibea* vocatur, id est: *Altus, excelsus locus*. Pariter *Lib. 3. Regum*, seu secundum Hebræos *1. Reg. c. 15. v. 22.* גבע nominatur, cum addito: בנימן *Geba Benjamin:* quam eandem esse cum גבעת שאול *Gibea*, seu *Geba Saul*, *Isaiæ 10. v. 29.* Tudelensis, a Cellario relatus, existimat. Hanc urbem latina vulgata Gabaam, & Gebam, & item Græcus interpres γαβαάν, appellant. Josephus *Lib. 5. & 6. Antiquit.* eandem γαβᾶν scribit, quam vocem contractam esse ex γαβαά ipsum etiam nomen gentile γαβαηνός arguit, quo Josephus ejus urbis incolas *Lib. 5. Antiquit.* & alibi compellat. Quare cum hæc urbs potius Gabaa, vel Gibea, vel Geba, quam Gaba nominetur; γαβηνῶν numi huc referendi non sunt.

Altera Gaba Galilææ adscribitur, ad Carmelum montem in confiniis Ptolemaidis sita. Joseph. *Lib. 15. Antiq. c. 9.* de Herode refert: χωρίον συνέκτισεν ἐπί τε τῇ Γαλιλαίᾳ, Γάβα καλούμενον. *Locum ædificavit in Galilæa, Gaba dictum.* Idem

Idem auctor eandem Carmelo adstituit, *Lib. 3. de Bello c. 4.* etsi MM. SS. varient, & Græca præsertim Γάμαλα, pro Γάβα exhibeant. Deinde *in Vita sua laudatus* JOSEPHUS Gabam ἐν μεθορίοις τῆς Πτολεμαΐδος, *in finibus Ptolemaidis* sitam scribit. Consentit STEPHANUS: Γάβη πόλις Γαλιλαίας . . . . . τὸ ἐθνικὸν Γαβηνός, *Gabe*, vel *Gaba*, *urbs Galilææ*, *gentile Gabenus.*

Atque ad hanc Gabam numos Gabenorum retulit Doctissimus Cardinalis Norisius, & cum eodem Cl. Vaillantius. Quanquam hanc suam opinionem, quoad certiora prodantur, se tantum attulisse, NORISIUS ipse sapienter moneat, *de Epochis Syromaced. dissert. 4. §. 6.*

Tertiam denique Gabam in Ituræa, vel Trachonitide, ad Cœlesyriæ, aut Phœnices confinia sitam fuisse, atque huic denique Numos Γαβηνῶν tribui oportere contendo. Primum certe argumentum epigraphe numi nostri ΦΙΛΙΠ. *Philippeorum*, suppeditat: quæ compellatio cum in honorem Philippi Tetrarchæ (quod inferius clarius ostendemus) assumpta sit; Gabam Philippo subditam, atque ab eo beneficiis ornatam fuisse consentaneum est. Illa vero Gaba Galilææ esse non poterat; nam *Lucæ 3. v. 1.* legitur: *Tetrarcha autem Galilææ Herode; Philippo autem fratre ejus Tetrarcha Ituræ, & Trachonitidos.* Philippus vero ante Herodem decessit e vita, atque ejus regiones illico Provinciæ Syriæ adscriptæ sunt, quod e Josepho mox patebit. Fuit igitur hæc Gaba non Galilææ, sed Ituræ, aut Trachonitidos. Comprobat PLINIUS *Lib. 5. cap. 18.* Qui Gabam cum aliis urbibus Syriæ, Arce, Abila, & cum Cæsarea Paneade conjungit. Cæsarea Paneas vero celeberrimum fuit Ituræ oppidum, eidem *Philippo* subjectum, ac ab eodem pariter nomen trahens *Cæsarea Philippi:* uti habetur *Matth. 17. c. v. 13.* & *Marci 8. v 27.* Hanc porro Gabam recte Plinius cum aliis Syriæ urbibus conjunxit, & item Gabam Stephanus, cum gentili nomine Γαβηνός,


(etsi Γάββα illic mendose loco Γάβα legatur) recte in Syria collocarat; cum horum scriptorum tempore Ituræa, & Trachonitis ad Provinciam Syriæ redierit, cui jam Tiberius olim has regiones adscripserat. Audiatur JOSEPHUS *Lib. 18. Antiq. c. 5.* Τότε δὲ Φίλιππος, Ἡρώδου δὲ ἦν ἀδελφὸς, τελευτᾷ τὸν βίον . . . . . τὴν δὲ ἀρχὴν, οὐ γὰρ κατελείπετο παῖδας, Τιβέριος παραλαβὼν, προσθήκην ἐπαρχίας ποιεῖται τῆς Σύρων. *Id temporis Philippus, Herodis Frater, vitam finit. . . . . Ejus vero regiones, nam proles nullas reliquerat, Tiberius accipiens Provinciæ Syriæ adjecit.*

Denique nulli alteri Gabæ duo hæc cognomina: *Claudianorum, Philippeorum*, adeo apte, & proprie conveniunt, atque huic nostræ. Nam Ituræam, & Trachonitidem Agrippa senior dono accepit a *Claudio* Augusto; teste iterum JOSEPHO *Lib. 20. Antiq. c. 7.* Κλαύδιος δωρεῖται τὸν Ἀγρίππαν τῇ Φιλίππου τετραρχίᾳ. *Claudius Philippi Tetrarchiam dono dedit Agrippæ.* Atque hinc *Claudianorum* cognomen Tetrarchiæ hujus populis; *Philippeorum* vero, in memoriam postremi illius Principis sui Philippi, in Gabenos haud dubie, ut in Cæsaream Philippeam benefici. His igitur omnibus probe expensis, ad Plinii Gabam (quam a Gaba Galilææ diversam etiam Salmasius, Hollstenius, & Cellarius agnoscunt) in Ituræa, aut Trachonitide sitam, referendos esse hosce Gabenorum numos plane mihi persuadeo.

Gabenorum æram ab eo tempore deducit Eminentissimus Norisius, quo Pompejus variis in Palæstina urbibus libertatem a Judæorum servitute impertiit. Initium statuit ab Anni V. C. 693. autumno; cui si adjungas in nostro numo consignatos 153. habes annum V. C. 846. qui recte Domitiæ capiti convenit; cum fuerit annus Domitiani tertius decimus, Gabenorum vero centesimus quinquagesimus tertius usque ad autumnum. Numus Titi, quem supra dedimus, & hic parvi moduli, Gabenorum

nu-

numiſmatum, quæ ego vulgata hactenus noverim, Auguſtis inſcriptorum, antiquiſſimi ſunt; quorum quidem Cl. Vaillantius quatuor duntaxat produxit. De Deo Luno ſatis in Appendicula ad Numos Coloniarum dictum eſt, ad numum Septimii Severi, & Juliæ Piæ.



XV.

ΝΕΡΟΥΑΣ. ΘΕΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ. *Nerva Deus Auguſtus.* Caput Nervæ laureatum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum.* Fortuna ſtans, d. temonem, ſ. Cornu Copiæ.

VIventis adhuc Nervæ honoribus hunc numum percuſſum eſſe, adjectus *Auguſti* titulus probabile facit, & una inſignem Græcorum, & Græcizantium adulationem arguit, de qua in Nerone dictum eſt. Perinthus Thraciæ urbs, ad Propontidem ſita, etiam *Heraclea Thraciæ* dicta, quia ab Hercule condita, teſte AMMIANO *Lib. 22.* a Balſamone idcirco etiam Ἡράκλεια Πέρινθος appellatur.

Numus noſter ex ære magno eſt, atque ideo etiam majoris pretii; nam Cl. Vaillantius Nervæ numos Græcos ex omni ære inter rariſſimos collocat.



XVI.

ΑΥ. ΝΕ. ΤΡΑΙΑΝΟϹ. ΚΑΙϹ. ΓΕΡ. ΔΑΚΙΚΟϹ. Ἀυτοκράτωρ Νέρουας Τραιανὸς Καῖσαρ, Γερμανικὸς, Δακικός. *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Germanicus Dacicus.* Caput Trajani laureatum.

ΑΜΑϹΕΩΝ. ΕΤΟΥϹ. ΒΙΡ. *Amaseorum anno 112.* Templum quatuor columnarum cum gradibus.

AMasia, in numis ΑΜΑϹΙΑ, & ΑΜΑϹΕΙΑ, metropolis, & prima Ponti inscripta legitur, Ponti nempe ad Cappadociam. Nullum hactenus Amasiæ numum editum novi, qui gentile nomen Ἀμασέων præ se ferret, quod noster perelegans, & parvi moduli exhibet. Templum in eodem expressum Bellonæ Comanensis esse existimo; quando eodem in Ponto, ad eundem fluvium Irin, modico intervallo ab Amasia distabant Comana, ubi Bellonæ Templum totius late gentis singulari Religione observabatur. De hoc ita Hirtius *de bello Alexandr. c. 86. Biduum Mazacæ commoratus (Cæsar) venit Comana vetustissimum, & sanctissimum Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos ejus Deæ Majestate, Imperio, & Potentia secundus a Rege, consensu gentis illius habeatur.* Comana Ponti aliam esse urbem a Comanis Cappadociæ, ostendit Cellarius *Geographiæ ant. Lib. 3. cap. 8.* quanquam etiam hoc in loco Bellonam venerationi fuisse testetur Strabo *Lib. 12.* Amaseorum æram non posse altius, quam ab anni V. C. 743. autumno deduci recte quidem Cl. Vaillantius censuit.

Ab

Ab eodem tamen autumno, unde ipse Amasenorum annos supputat, æram hujus urbis non inchoasse, sed uno saltem anno descendendum esse, e numo nostro confici videtur. Nam si ad annum V. C. 743. addam annos Amaseorum 112. conficietur an. V. C. 855. qui usque ad autumnum respondet anno Amaseno centesimo duodecimo, nempe usque ad exitum Septembris circiter. Atque hoc eodem an. V. C. 855. constat, Trajanum numerasse annum TRIB. POT. quintum, & sextum non inchoasse ante 27. Octobris, uti demonstrat Doctissimus P. Pagius ad hunc annum, & nos sequente numo firmabimus.

Porro autem e numis, etiam nostri Cimelii, constat: Trajanum hoc titulo DACICVS (quem hic noster numus exhibet) non esse donatum, nisi post inchoatum annum TRIB. POT. VI. quandoquidem habentur ejusdem numi cum TRIB. POT. VI. alii cum, alii sine titulo DACICVS. qui antea non comparet. Præterea inter scriptores satis convenit: Victoriam illam Dacicam (ob quam Triumphavit, ac Dacici titulum obtinuit Trajanus) æstate anni 856. relatam esse; atque adeo consequens est, non nisi circa autumnum anni V. C. 856. & finem anni VI. TRIB. POT. Dacici appellationem Trajano accessisse. Id quod rursum latini numi comprobare videntur; cum τὸ DACICVS. integre scriptum, in numis, qui TRIB. POT. VI. & VII. præ se ferunt, & vix in aliis deprehendatur.

Ex his itaque colligitur annum Amaseorum 112. saltem anno V. C. 856. si non 857. usque ad autumnum respondere debere, ut *Dacici* titulus congruere possit; atque adeo anno saltem uno æram Amasiæ tardius inchoari debere, quam Cl Vaillantius e numis, a se inspectis, interea collegerat. R. P. Harduinus Amasiæ æram inchoat ab autumno anni V. C. 746. e cujus mente numus noster cusus esset anno V. C. 858. usque ad autumnum; cui calculo hic quidem nihil adversatur.

XVII.





XVII.

ΝΕΡ. ΚΑΙC. ΤΡΑΙΑΝΟC. *Nerva Cæſar Trajanus.* Caput laureatum Trajani.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ. ΓΜΡ. *Gabalenſium anno 143.* Figura muliebris ſedens, capite tutulato, d. papaver cum ſpicis, ſ. baculum. Nomen magiſtratus vetuſtate extritum eſt.

GAbala alia Lydiæ erat, cujus numi annorum notis carent. Alia Phœniciæ a quibusdam tribuitur. Noſtra in Syria prope Laodiceam maritimam conſtituta erat, de qua Plinius *Lib. 5.* & plura Eminent. Norisius *de Epoch. Syromaced. diſſert. 3. c. 8.* Vaillantius perinde, ac Noriſius Gabalenſium æram e numis, aliisque argumentis conſtituunt exordium ſumpſiſſe ab autumno anni V. C. 707. quo Cæſar ex Ægypto per Syriam contra Pharnacem profectus, variis beneficiis Gabalenſes, aliosque ornaverit. Si igitur ad 707. adjicias 143. obtinebis annum V. C. 850. cujus autumno exiit annus Gabalenſium centeſimus quadrageſimus tertius, ad finem, aut, ut Pagius de Antiochenis cenſet, ipſis Calendis Septembris.

Confirmat hic numus celeberrimi Pagii ſententiam: Trajanum antea in Cæſarem, ac ſubinde in Conſortem TRIB. POT. & Imperii Proconſularis a Nerva adoptatum fuiſſe. Nerva enim (uti laudatus Criticus oſtendit ad annum Chriſti 97.) Trajanum adoptavit in partem Imperii anno V. C. 850. circa finem Octobris, ubi jam numerabatur annus Gabalenſium 144. & tamen Trajanus anno

eo-

eorundem 143. tantum *Nerva Cæsar* compellatur. Igitur antea *Cæsar*, & filius Nervæ, quam Consors Tribunitiæ Potestatis, & Imperii.

Submovet quidem æram Gabalensium R. P. Harduinus ad an. V. C. 708. sed nihil adfert, cur a statuto per Norisium, & Vaillantium Epochæ initio recedamus. Figuram muliebrem similem, in alio Gabalensi numo Trajani Augusti, e Cimeliarchio Parmensi deprompto, Idólum, πάνθεον dictum, referre existimat Doctissimus Numorum Parmensium interpres R. P. Piovene S. J. quoniam in suo illo numo duos leones ad pedes deprehenderat. Cum vero noster leones adjunctos non exhibeat; malim Syriam Deam, seu Astarten hic expressam arbitrari, cui tutulatum caput, & manus, baculo armata, a Luciano tribuitur. Papaver, & spicæ ab Astarte, quæ & Venus cœlestis, & Luna credebatur, non abludunt; cum sint fecunditatis symbola. Medii moduli est hic numus.



XVIII.

ΑΥΤ. ΝΕΡ. ΤΡΑΙΑΝΟΣ. ΚΑΙΣ. ΣΕΒ. Ἀυτοκράτωρ Νέρουας Τραιανὸς Καῖσαρ Σεβαστὸς. *Imperator Nerva Trajanus Cæsar Augustus*. Caput Trajani cum corona radiata.

ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑΤΙΑΣ. ΕΠΙ. Π. ΒΑΣΣΟΥ. *Commune Galatiæ, sub Pomponio Basso.* Lunus stans, d. Victoriolam, s. globum; a tergo lunæ falcatæ signum emicat.

REcte hic τὸ Π. Πομπωνίου. *Pomponio*. legi, commonstrant numi alii Nervæ, e Gaza Medicea, inscripti:

ΕΠΙ. ΠΟΜΠΩΝΙΟΥ. ΒΑ. & alter ΕΠΙ. ΒΑϹϹΟΥ. ΚΟΙΝΟΝ. ΓΑΛΑ-ΤΙΑϹ. Quos Doctissimus Harduinus adfert; aliud item Domitiani numisma, quo docemur, jam tum Pomponium Bassum Legatum, & pro Prætore Galatiæ præfuisse: ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΜ. ΒΑϹϹΟΥ. ΠΡЄϹΒЄΥΤΟΥ. *Sub Ælio Pomponio legato.* De Galatia, Augustorum Provincia, hæc Eutropius *Lib. 7.* adnotavit: *Galatia quoque sub hoc* (Augusto) *Provincia facta est, cum antea regnum fuisset; primusque eam M. Lollius pro Prætore administravit.* Est numus ex ære medio.



XIX.

ΑΥ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙ. ΑΡΙ. C. ΓΕΡ. ΔΑΚ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Τραιανὸς Ἄριστος Σεβαστὸς, Γερμανικὸς Δακικός. *Imperator Cæsar Trajanus, Optimus Augustus, Germanicus, Dacicus.* Caput ejusdem laureatum.

ΤΑΒΗΝΩΝ. *Tabenorum.* Figura stans in vestitu muliebri, d. botrum, f. hastam.

Tabenorum urbis incertus est situs. Stephano est Τάβα πόλις Λυδίας. *Taba urbs Lydiæ.* Ast *in Notitia Ecclesiastica Hieroclis* in Provincia Caria ponitur. Livius *Lib. 38. cap. 13.* Tabas prope Gordiutichos, in finibus Pisidarum statuit. Eadem urbs fuerit Cariæ, quæ in Pisidiæ finibus: in Lydia tamen alteram fuisse oportet; nisi in septentrionalibus Cariæ plagis Tabos forte locare libeat, ubi Lydiæ, & Pisidiæ terminos minimo intervallo Caria dirimit: aut aliis temporibus eadem urbs aliis Provinciis ad-

adscripta, aliterque a Civili, aliter ab Ecclesiastico magistratu disterminatæ fuerint provinciæ.

Tabenorum numi admodum rari sunt: ac Trajano inscriptum nullum vidit Vaillantius. Rara etiam aversæ partis effigies Bacchum exhibet, muliebri veste indutum. De simili quodam Bacchi Idolo videtur THEODORETUS *Lib. 3. Hist. Eccles. c. 7.* mentionem fecisse; aut certe Bacchum, sub utroque sexu a gentilibus cultum fuisse, declarat. Enarrans Græcorum sub Juliano Apostata in Christianos injurias, præsertim Emesæ patratas, ita habet: Διονύσῳ τῷ γύννιδι τὴν νεόδμητον ἀφιέρωσαν ἐκκλησίαν, τὸ καταγέλαστον, καὶ ἀνδρόγυνον ἐν αὐτῇ ἱδρύσαντες ἄγαλμα. *Baccho semi-muliebri Ecclesiam recens extructam dedicarunt, ridiculum, & Androgynum in ea simulacrum statuentes.* Numus est ex ære medio.



XX.

- - - - - INA. ΘΕΑ. CΕΒΑCΤΗ. *Plotina Dea Augusta.* Caput Plotinæ, uxoris Trajani.

ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. *Amastrianorum.* Figura stolata stans, d. pateram, s. hastam puram.

RArissimus hic, medii moduli, numus aversæ partis inscriptionem ita mancam exhibet; ut præter urbis nomen nihil certi dignosci possit. Solet autem alioqui Amastrianorum numorum inscriptio, quæ typo repræsentantur Deorum, aut Heroum figuræ, has ipso nomine declarare.

De Amastrianis ita STEPHANUS: Ἄμαςρις πόλις Παφλαγονίας, ἡ πρότερον Κρῶμνα . . . . τὸ ἔθνικον Ἀμαςριανός. *Amastris urbs Paphlagoniæ, antea Cromna: Gentile Amastrianus.* Hanc urbem e quatuor pagis Sesamo, Cytoro, Cromna, ac Tejo ab Amastride, Darii ex Oxyathra fratre nepte, uxore Dionysii, Heracleæ Tyranni, compositam esse, refert STRABO *Lib.* 12.



XXI.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΑΔΡΙΑΝΟC. *Imperator Hadrianus.* Caput Hadriani nudum.

ΗΛΕΙΩΝ. *Eliorum*, vel *Eleorum*. Vir nudus, fluvio incumbens, d. coronam, f. arundinem gerit, ad pedes urna cum ramo palmæ.

ELis urbs, & regio Peloponesi. Urbem STEPHANUS Olympiæ vicinam statuit: Ἦλις πόλις πρὸς τῇ Αἰγυπτίᾳ Ὀλυμπίᾳ, ἀπὸ Ἠλείου τοῦ Ταντάλου παιδός. *Elis urbs vicina ei, quæ Ægyptia Olympia dicebatur, ab Eleo Tantali filio condita.* De hac egregie ad numum nostrum ita PLINIUS *Lib.* 4. *c.* 5. *Ipsa Elis in mediterraneo, & a Pylo XII. M. Pass. intus delubrum Olympii Jovis, ludorum claritate fastos Græciæ complexum.* Ludos hos Olympicos numus noster urna, & palmæ ramo indicat; quibus pulcre congruit figura illa nuda Penei fluvii, qui Elidem urbem interluebat, atque præter ipsum Gymnasium, ubi ad luctam exercebatur juventus, deferebatur. STRABONIS *Lib.* 8. hæc sunt de hac urbe

urbe verba : Ῥεῖ δὲ διὰ τῆς πόλεως ὁ Πηνειὸς ποταμὸς, παρὰ τὸ γυμνάσιον αὐτῆς. Coronam itaque, Victorum decus, Eliacæ juventuti oſtentat Peneus. Multa tricatur Stephanus de gentili nomine ἐκ τῦ Ἦλις deducto; Numus certiſſimam hac in re ſententiam dicit. Numorum Eliorum rara apud Vaillantium mentio: noſter idcirco etiam rarior; quod averſæ partis typum inſolitum, & elegantem exhibeat, & magni moduli ſit.



XXII.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡΙΑ. CЄΒ. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Τραιανὸς Ἀδριανὸς Σεβαστός. *Imperator Caſar Trajanus Hadrianus Auguſtus.*

Caput laureatum Hadriani.

ΛΕΟΝΤ. Λ. ΙΑ. Λεοντοπολειτῶν. Λυκάβαντος. ιά. *Leontopolitarum, Anno undecimo Imperii Trajani.* Vir ſtans, dextra haſtam præpilatam, ſ. catulum leonis tenet.

Duo tantum Leontopolitarum numi apud Vaillantium extant: Antonini Pii alter, alter Juliæ Domnæ. Leontopolin in Delta Ægyptiaco locat Plinius, atque ibidem Leontopoliten Nomon Strabo, & Ptolemæus conſtituunt. Nomen urbi unde acceſſerit, egregie ad numum noſtrum, qui parvi moduli eſt, illuſtrandum hæc refert Ælianus *Lib. 12. hiſt. animal. cap. 7.* Λέοντας ἐν Αἰγύπτῳ σέβουσι, καὶ ἐξ αὐτῶν κέκληται πόλις. *Leones in Ægypto colunt, ac de iisdem urbs nomen traxit.* Ita & Strabo *Lib. 17.* Λέοντα δὲ Λεοντοπολῖται. *Leonem autem Leontopolitæ colunt.* Nutritum etiam illic leonem, qui coleretur refert Diodorus Sic.

Lib. 1. Καὶ τὸν λέοντα, τὸν τρεφόμενον ἐν Λεοντοπόλει. Videtur itaque hic nummus aut ipsum sacri Leonis Curatorem, aut armatum loci Genium, tanquam fortitudinis incolarum symbolum, referre.

Mirantur nonnulli, ecquid bruta, feraque animantia Ægyptii tantopere coluerint? uti de Capro, & Leone vidimus, ac de aliis aliunde constat. Probabiles hic aliquot hujus detestandi cultus origines adferam, potissimum e Diodori Sic. *Lib. 1.* desumptas. Colebant igitur animalia Ægyptii, vel quod sibi persuaderent, dari μετεμψύχωσιν, & Regum, atque Heroum suorum animas in bestias illas immigrasse: vel quod Deos, ex Olympo fugientes, varias animalium formas suscepisse crederent: vel quia primi homines, pugnaturi in invasores, bestiarum icones, aut exuvias hastis præfixas, signum se consociandi, ac defendendi sustulerint: vel quod animalia illa utilissima Ægyptiis essent, ut boves, oves, canes, & singulariter Ibides, feles, vultures, quin & Crocodili; quod Arabibus Nili transitum formidandum redderent: vel quod primi Reges, & Heroes variis belluarum exuviis, ut leonum, luporum &c. pro galea, ac thorace usi essent, atque ita ipsarum velut speciem induissent: vel denique quia Principibus singulares quidam, felicesque eventus ope illorum animalium obtigerint, ut Isidi per canes. Permisit denique ista Sapientissimus Deus; ut viderent mortales, quam abominandis involverentur superstitionibus, qui ab Unius veri Numinis cultu deviassent.



XXIII.

XXIII.

ΑΥ. ΚΑΙ. ΑΔΡΙΑΝΟC. *Imperator Cæsar Hadrianus.* Caput ejusdem laureatum.

ΕΠΙ. ΓΟ. ΑΛΑΝΔΡΟΥ. ΜΑΝΤΑΛΗΝΩΝ. *Sub Gorgia Alandro, vel Alandri filio, Mantalenorum.* Jupiter vestitus stans, d. aquilam sustinet, sinistram mensæ, aut sellæ imponit.

STEPHANO: Μανταλὸς πόλις Φρυγίας· τὸ ἐθνικὸν Μανταληνός. *Mantalus urbs Phrygiæ: gentile Mantalenus.* Τὸ ΓΟ. Γοργίας legi posse, ac fortasse tanquam prænomen, e Goltzii Thesauro colligo, ubi e numo habetur: ΓΟΡΓΙΑΣ. ΘΕΜΙΣΤΟΓΗΝ. Nihil tamen hic certi dictum velim: fors enim Γορδίας, aut aliter legendum est. Jupiter, hoc simulacro expressus, apud Cl. Vaillantium in numo Laodiceno Augusti, ita aperte inscribitur: ΖΕΥΣ. ΦΙΛΑΛΗΘΗΣ. *Jupiter veritatis amans.* Hic noster medii moduli, numus rarissimos inter habendus; cum unicum hujus urbis Vaillantius proferat, eumque serius sub M. Aurelio cusum: qui numus quidem Neocororum titulum adjunctum exhibet, sed Magistratum non præ se fert.



XXIV.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟC. ΔΙC. CΕΒ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Τραιανὸς Ἀδριανὸς δὶς Σεβαςός. *Imperator Cæsar Trajanus Hadrianus, iterum, seu bis Augustus.* Caput laureatum.

ΜΕΣΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. *Mesambrianorum.* Bacchus sedens, veste talari indutus, & barbatus, ac fastigiata mitra caput tectus: d. cantharum, s. hastam gerit, thyrso utrimque ornatam.

MIrum hunc Bacchi ornatum vix alibi, quoad omnia, deprehendas. Barbatum quidem Bacchum Naxiorum, & Catanensium numismata ostendunt; ast haud ita aliis instructum ornamentis. Simillimam nostræ, Bacchi effigiem, Eruditus Buonarottius e gemma Carpegniana exposuit, in qua tamen mitra, qualis in nostra comparet, non habetur. De barba Bacchi Macrobius *Lib. 1. Saturnal. Liberi Patris simulacra partim puerili ætate, partim juvenili fingebant, præterea barbata, senili quoque.* Barba, & vestis prolixior eidem adscribitur a Pausania *Lib. 2. cap. 30.* & *Lib. 5.* ita habet: Ἐνδεδέδυκώς ἐςι ποδήρη. *Indutus est veste talari.* De mitra illud *in Anthologia Lib. 1. in hymno Bacchi* reperio: eum nempe etiam χρυσεομίτρην, *Aurea mitra decorum*, salutari. Canthari, ac Thyrsi, apte ad numum nostrum, Silius Italicus *Lib. 7.* meminit.

Cantharus, & Thyrsus dextra, lævaque feruntur.

Mesambria (uti eam Herodotus *Lib. 4. c. 93.* & quidam numi nominant) aut Mesembria, urbs est ad Ponti Euxini littus, & Hæmi montis pedem in Thracia sita, de qua Strabo *Lib. 7.* & Arrianus *in Periplo Ponti Euxini* videri possunt.

Numus hic, qui paucis Mesambrianis, hactenus, quod sciam, vulgatis vetustate præstat, est ex ære medio, & mirum quiddam in capitis epigraphe offert, nempe: ΔΙC. CΕΒ. quod probe in numo expressum, qui aliter legi possit; quam Δὶς Σεβαςός. *Iterum*, seu *altero anno Augustus.* sane

non

non video. Quid vero nova hæc epigraphe sibi velit, certi nihil assequor; nisi forte Græculi Thraces, procul ab Urbe, ad ipsos Romani Imperii fines constituti, cum in aliis Latinorum juxta, ac Græcorum numis, & monumentis cæteris legerent: Numerum quendam Imperatorio, aut Consulari titulo, vel Tribunitiæ Potestati adjungi, sive annos Imperii adsignari, ipsi etiam, ad Augusti titulum, censuerint se annorum notam adscribere posse.





XXV.

ΑΥΤ. Κ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟC. *Imperator Cæsar Trajanus Hadrianus.* Caput laureatum.

ΝΑΚΡΑCΙΤΩΝ. *Nacrasitarum.* Caput muliebre, crinium structura ornatum, cui impositum aliquid flori simile.

PTOLEMÆUS *Lib. 5.* in Lydia recenset Nacrasum. Subinde ad Cariam pertinuisse, monet STEPHANUS: Νάκρασος δῆμος, καὶ πόλις Καρίας. *Nacrasus Populus, & urbs Cariæ.* Caput muliebre in hoc, parvæ formæ, numo aut Isidem, aut loci Genium referre videtur.

XXVI.

ΑΥΤ. ΑΔΡΙΑ. Ἀυτοκράτωρ Ἀδριανός. *Imperator Hadrianus.* Caput laureatum.

CΥΕΔΡΕΩΝ. *Syedreorum.* Lunus stans, vestitu muliebri, d. sertum, s. hastam; a tergo signum lunæ falcatæ.

SYedra Σύεδρα a Ptolemæo in Cilicia Aspera locatur: a STEPHANO in vicina Isauria: Σύεδρα πόλις Ἰσαυρίας· ὁ πο-

λίτης Συεδρεύς. *Syedra urbs Isauriæ: ejus civis Syedreus appellatur.* Hæc Syedra fortassis eadem est, quæ a Strabone *Lib. 14.* Συδρή dicitur. Primus Syedreorum numus a Cl. Vaillantio sub M. Aurelio profertur; quare noster, qui parvi moduli est, vetustate excellit, & Luni simulacrum, quod alter Syedreorum numus nullus, exhibet.

XXVII.

ΤΡΑΙΑΝΟC. ΑΔΡΙΑΝΟC. *Trajanus Hadrianus.* Caput Hadriani laureatum.

ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔƐѠΝ. Λ. Φλαουιέων Χαλκιδέων λ'. *Flavianorum Chalcidensium, anno 30.* Corona ex lauro.

Chalcis alia Eubœæ, alia Syriæ Cœles erat, eoque nomine & Regnum olim, & Urbs veniebat. Chalcidis Syriæ, præter alia tritiora, meminit Eunapius *in vita Jamblici:* Πατρὶς δὲ ἦν αὐτῷ Χαλκὶς, κατὰ τὴν κοίλην προσαγορευομένην ἐςὶ πόλις. *Patria vero illi* (Jamblico) *erat Chalcis, quæ Syriæ, Cava dicta, urbs est.* Ad hanc Chalcidem referendos esse numos, qui Flavianorum prænomine signati sunt, ex Eutropio, & Suetonio jam deduxit Eminentissimus Norisius. Horum siquidem testimonio constat: Commagenen sub Domitiano, *Flavii* Vespasiani filio, Provinciam Romanam factam fuisse, cui Chalcidene accessit.

Annum Epochæ certum suppeditarunt bini numi Chalcidenses, Trajani unus, alter Hadriani, qui ambo eundem numerum ΚΕ seu 25. exhibent. Unde conficitur: hos numos ipso Anno Trajani postremo, & Hadriani primo signatos fuisse, qui fuit V. C. 870. cui si demas 25. pervenies ad an. V. C. 845. cujus autumno æra Chalcidis cœpit. Concordat numus noster; adjectis enim annis 30. ad 845. habetur annus V. C. 875. qui fuit Hadriani sextus.

Laudatus Norisius Chalcidensem Hadriani numum Florentiæ se vidisse commemorat, *de Epoch. Syromaced. dissert. 3. §. 3.* ita inscriptum ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔƐѠΝ. Δ. Verum hunc, quoad

quoad aversæ partis typum, & epigraphen, eundem esse cum numo nostro, qui integerrimus est, mihi persuadeo; quando in nostro etiam τὸ Λ. aliquam speciem τοῦ Δ. sed basin non plane coëuntem exhibet.

Neque dubium mihi quidem reliquum est: Λ. item, & non Δ. illic expressum esse; cum in aliis omnibus numis Chalcidenses annos dictæ Epochæ, nunquam vero annos Imperii consignaverint, ad quos hic confugere oporteret. Præterea τὸ Λ. = 30. cum certa illa epocha certo congruit, uti ostensum est.

Cl. Vaillantius in numis Trajani Δ. & Λ. repertum, supputat quidem ad annos Imperii; sed Δ. = 4. quartum Æræ Chalcidensis annum denotare potest, Trajani primum, V. C. 849. Porro autem illud Λ. malim characteri minus recte formato, aut in numo non satis conservato loco Δ. accepto, tribuere, quam Chalcidensibus, aliam adhuc ab illa certa æra, annos Imperii consignandi rationem, ex incerta hac lectione, & præter urbium Syriæ morem, attribuere. Numus medii moduli est.





XXVIII.

. . . . . . ΤΙ. ΑΙ. ΑΔΡΙ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. Τίτος Ἄιλιος Ἁδριανὸς Ἀντωνεῖνος. *Titus Ælius Hadrianus Antoninus.* Caput laureatum Antonini Pii.

ΖΕΥC. ΚΑΠΕΤ. . . . . C. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ. Ζεὺς Καπετωλιεὺς Ἀντιοχέων. *Jupiter Capitolinus Antiochensium.* Jupiter sedens in templo tetrastylo, d. victoriolam, f. hastam gerens.

AD Antiochiam Cariæ, ad Mæandrum sitam, hic numus

 magni

magni moduli referendus est. PLINIUS *Lib. 5.* in Caria: *Antiochia - - - - nunc eam circumfluunt Mæander, & Orsinus.* In numis hujus Antiochiæ etiam fluvius inscriptus legitur: ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ. & ΜΕΑΝΔΡΟϹ. R. P. Harduinus numum M. Aurelii adfert, quem apud R. P. Charronier S. J. deprehenderat, ita inscriptum: ΖЄΥϹ. ΚΑΠΙΤΟΛΙЄΥϹ. ΑΝΤΙΟΧЄΩΝ. In nostro vero perspicue ΚΑΠЄΤΟΛΙЄΥϹ. Etsi Jovem Capitolinum, Romano in Capitolio venerationi expositum, exteræ etiam urbes, Romanis aut sociatæ, aut subditæ colerent; tamen Antiochiæ Cariæ Templum etiam Jovis Capitolini fuisse, ex fragmentis LIVII *Lib. 41. c. 20.* probabiliter colligitur; ubi de Perseo Rege agens, qui Græcorum urbes donis, & promissis solicitabat, hæc habet: *Et Antiochia Jovis Capitolini magnificum Templum, non laqueatum auro tantum, sed parietibus totis lamina inauratum, & alia multa in aliis locis pollicitus, quia perbreve tempus ejus Regni fuit, non perfecit.* Non perfecisse, indicat, affecisse saltem hoc opus, quod deinde absolutum fuerit. Antiochiam vero hanc Cariæ fuisse, præter numorum epigraphen, id probabile reddit: quod Caria vicinissima fuerit Macedoniæ ex iis regionibus, quæ Antiochiam non incelebrem continerent. Atque, quod plus momenti habet: Caria tum Rhodiis parebat, quibus post Bellum Antiochicum data, & post Perseum debellatum adempta est, teste LIVIO *Lib. 45.* & APPIANO *in Syriac.* Rhodios vero a Perseo muneribus plurimum tentatos fuisse, LIVIUS *Lib. 41. c. 20.* ita enarrat: *Rhodiis nihil unum insigne, ita omnis generis, ut quaque eorum usus postulaverunt, dona dedit.*





XXIX.

XXIX.

ANTΩNEINOC. KAICAP. *Antoninus Cæsar.* Caput laureatum Antonini Pii.

EΦECIΩN. *Ephesiorum.* Cervus stans.

NOtum Dianæ, Ephesi Tutatricis, & Venationum Præsidis, symbolum est cervus. Atque ipsa Diana Ἄρτεμις Ἐλαφία apud STRABONEM *Lib. 8.* appellatur, a nomine Ἔλαφος, *Cervus.* Unde Λαφρία Diana, a Patrensibus culta, nomen traxerit: de qua PAUSANIAS *in Achaicis.* PINDARUS quoque Dianam compellat Ἐλαφηβόλον, *Cervorum Jaculatricem.* Variis modis in ære veteri Dianæ adsignantur cervi: Jam inter duos cervos medium adstat Dianæ Ephesiæ signum: jam ejus templo procurrens cervus affingitur; alias ipsa cervorum biga, vel quadriga invehitur: alias sagittis feras illas insequitur, aut stratis insultat, aut cervi, humi collapsi, cornu prehendit: ipsa etiam cervi simulacrum manu sustinet; & si quæ sunt aliæ diversorum typorum formæ. Nonnunquam solus cervus signatus Dianam indicat, cujus etiam LIBANIUS *in Encomio Dianæ* meminit: Ἐφεσίοις δὲ καὶ τὸ νόμισμα τὸν ἔλαφον ἔφερεν. *Apud Ephesios etiam numismata cervum referunt.* Est parvi moduli.



XXX.

ATT. KA. TI. AIΛI. AΔPI. ANTΩNЄINOC. *Imperator Cæsar Titus Ælius Hadrianus Antoninus.* Caput laureatum Pii.

KYZ . . . . . NЄOKOPΩN. *Cyzicenorum Ædituorum.* Æſculapius ſemicinctus ſtans, d. baculum gerit, ſerpente obvolutum: adſtat Hygia, d. ſerpentem, ſ. pateram geſtans.

CYzicum inſulam vocat Plinius *Lib. 4.* ſed pontibus continenti junctam. Stephanus: Κύζικος πόλις τῆς Προποντίδος· τὸ ἔθνικον Κυζικηνός. *Cyzicus Propontidis urbs eſt: gentile nomen, Cyzicenus.* Eandem nobilem, ac munitam urbem deprædicat Florus *Lib. 3. cap. 5.* Hygia, Ὑγίεια, quod idem eſt, ac *ſalus*, vel *ſanitas*, Æſculapii, Medicinæ Præſidis, filia credita eſt, teſte Pausania *in Atticis cap. 23.* Ἄγαλμά ἐστιν Ὑγιείας τε, ἣν Ἀσκληπιοῦ παῖδα εἶναι λέγουσι. *Eſt etiam Hygiæ ſignum, quam Æſculapii filiam dicunt.* Numus eſt medii moduli.

XXXI.

AT. TI. AI. AΔPI. ANTΩNEINOC. *Imperator Titus Ælius Hadrianus Antoninus.* Caput nudum Antonini Pii.

NEIKOΠOΛEΩC. IEPAC. NATAPXIΔOC. *Nicopolis Sacræ, & Claſſicæ.* Mulier ſtans d. pateram, ſ. haſtam.

TRes urbes, Nicopolis nomine inſignes, novi, quarum veteres numi ſuperant. Alia in Thracia, ad Meſtum amnem, ad Iſtrum alia in Mœſia: utraque Fluvio ſe ſuo, etiam in ære conſignato, a tertia Nicopoli diſcernit, quæ in Epiro ſita, occaſione Actiacæ Victoriæ ſurrexit, & nomen ἀπὸ τῆς νίκης, *a Victoria* ſortita eſt. Ad hanc noſter, parvi æris, numus pertinet: atque hæc urbs in aliis itidem numis *Sacræ*, & *Claſſicæ* titulos jactat. *Sacræ* cognomen, & ab Apollinis fano percelebri, & ab Actiis ludis, quæ iſthic ante Auguſti inſtaurationem agebantur, obtinuit. *Claſſica* dicta eſt, quod Claſſi provinciæ ſuæ præeſſet.

XXXII.

ΑΥΤ. Κ. Τ. ΑΙΛΙ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Titus Ælius Hadrianus Antoninus.* Caput ejusdem nudum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. *Perinthiorum.* Mercurius veſtitus, & galero alato tectus ſtans, d. pateram, ſ. Caduceum tenet; ad dextram ara: ad pedes Mercurii canis.

MErcurius, qualis hic cum patera ad aram adſtat, Camillus olim vocabatur; uti colligitur ex MACROBIO *Lib. 3. Saturnal. cap. 8.* ita habet: *Statius Tulianus de vocabulis rerum libro primo ait, dixiſſe Callimachum: Tuſcos Camillum appellare Mercurium, quo vocabulo ſignificant præminiſtrum Deorum.* Et mox inferius: *Romani quoque pueros, & puellas nobiles, & inveſtes, Camillos & Camillas appellant, Flaminicarum, & Flaminum præminiſtros.* Unde & Mercurius (quod ad numos ſiculos Doctiſſimus Havercampius adnotavit, e SCHOLIASTE APOLLONII, *Lib. 1. Argon.*) in Samothracum myſteriis κάσμιλος dictus eſt, idem cum Camillo, ut comprobat Poëta a Macrobio, dicto loco, adductus in teſtem:

— — — — — *Matrisque vocavit*
Nomine Caſmillæ, mutata parte, Camillam.

Deorum etiam cultum a Mercurio inſtitutum fuiſſe DIODORUS SIC. *Lib. 1.* tradidit.

Canis Mercurio Camillo adponitur; quia, ut PLUTARCHUS *in Quæſt. Rom.* perhibet, canis ſacrificio omnes fere Græci utebantur. Ipſe quoque Mercurius, ſcientiarum Præſes, canis ſpecie ab Ægyptiis effictus eſt, & Anubis dictus; Quod canes de nocte perinde, ac die videant. Solet aliis in numis aries Mercurio adſtitui; at in noſtro, qui mediæ formæ eſt, arietem agnoſcere non potui.

XXXIII.







XXXIII.

ΑΥΤ. ΚΑΙC. ΑΔΡ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟC. *Imperator Cæsar Hadrianus Antoninus.* Caput laureatum ejusdem.

CAOΥΑΤΡЄΩΝ. *Savatrensium.* Vir nudus stans, d. spicas tenet, s. arundinem, prope quam alia minuscula arundo adstituta est; ad pedes quiddam cancro simile.

NUllus Savatræ urbis numus apud Vaillantium, aut Harduinum reperitur. Eruditissimus, ac Nobilissimus Scipio Maffeius in libro cui titulus: *Galliæ antiquitates quædam selectæ, atque in plures Epistolas distributæ. Epistola 22.* Adfert numum a se inspectum, cujus epigraphe: CAOΥΑΤΡЄΩΝ. figuræ tamen insculptæ non meminit. Vix aliqua apud veteres scriptores Savatræ mentio: a Ptolemæo in Isauria locatur Σαυάτρα, *Savatra.* Situs ejusdem ex hoc nostro, medii moduli, numo colligi posset; si satis certum esset, figuram illam nudam, Neptunum, & animal adpositum, cancrum marinum referre. Nam si urbs maritima, & Isauriæ fuit; conficere licet, Savatram prope urbem Hamaxiam, aut Syedram (quæ etiam Isauriæ tribuitur) sitam fuisse, quæ ambæ promontorium Anemurium respiciebant. De Isauria vero Plinius *Lib. 5. Decurrit autem ad mare Anemurii regione supradicti.* Neque potuit, nisi peranguсto illo tractu, Isauria ad mare pertinere, inter Pamphyliam, & Ciliciam Asperam; cum harum provinciarum fines prope contigui fuerint. Verum

non

non nemini visum est: cannas illas, & nudum virum illum, palustrem locum, aut fluvium denotare, qui Savatram alluens, & fertilitatem tritici, quam irrigando adferret, spicis designet, & piscium, aut cancrorum copiam, simili quadam imagine indicet. Eruditi lectoris arbitrium esto. Fluviorum quidem, & aquarum viventium vix quidquam in Isauria reperiri STRABO *Lib.* 12. monet; paludes tamen binas ejus regionis nominat: Ἐισὶ δὲ καὶ λίμναι, Κώραλις μὲν ἡ μείζων, ἡ δ' ἐλάττων Τρωγίτις. *Sunt vero etiam Paludes: majori Coralis, minori Trogitis nomen est.* Harum alteri adsitam fuisse Savatram, mihi verisimile videtur.

XXXIV.

ΤΙ. ΑΙ. ΚΑΙCΑΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Titus Ælius Cæsar Antoninus.* Caput laureatum Antonini Pii.

ΕΠΙ. ΠΟ. ΠΕΙΟΥ. ΓΡΑΜ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Sub Pompejo Pio, Trallianorum Scriba.* Bacchus nudus, coronatus, curru vehitur, quem trahunt tigris, vel pantheriscus, & caper: capro nanus vetulus insidet, forte Silenus, nudus, præterquam amiculo, in humeros rejecto, tectus, qui tibias binas ori admovet; ad sinistrum latus currus Citharœdus adstat.

VIdetur Cl. Vaillantius ejusdem typarii numum inspexisse, sed vetustate corrosum. Nam cum cætera omnia congruant; Victoriam tamen, loco Bacchi, currui imponit, & Cupidinem capro, loco tibicinis: nullum etiam magistratus nomen apud eundem legitur. Sane quod Victoria tigride, & capro junctis vehatur, insolitum, & congrua interpretatione destitutum videtur. Baccho e converso, quem integerrimus noster, bene magni moduli, numus exhibet, egregie omnia conveniunt.

Nam Bacchum tigribus vectum esse, cum victor ex Indiis rediret, quis Poëtarum non cecinit? Caper Baccho sacer est; tum quod is, Jovis jussu, ut refert APOLLODORUS

Lib. 3. formam caprinam induerit: tum quod caprini generis animalia Baccho immolarentur, quia vitibus morsu noxia. Huc facit epigramma illud LEONIDÆ TARENTINI *Lib. 1. Anthol.* quo vitis in caprum, se admordentem, invehitur, cujus ultimum distichon ita habet:

Ῥίζα γὰρ, ἔμπεδος ἔσα, πάλι γλυκὺ νέκταρ ἀνήσει,
Ὅσσον ἐπισπεῖσαί σοι τράγε θυομένῳ.
Quoad radix mihi firma hæserit, reddet dulce nectar,
Quod ad libandum satis erit, dum tu, o caper! immolaberis.

Deinde Citharam, seu Lyram ad Bacchi chorum pertinere ex Alcæi fragmentis docemur:

Εἴθε λύρα καλὴ γενοίμην ἐλεφαντίνη,
Καί με καλοὶ παῖδες φοροῖεν Διονύσιον ἐς χορόν.
Utinam lyra pulcra essem eburnea,
Et me pulcri pueri ferrent ad Bacchi Chorum.

Congruit porro in hoc: Tralles Lydiæ urbem fuisse: Τράλλεις πόλις Λυδίας πρὸς τῷ Μαιανδρῷ ποταμῷ. *Tralles urbs Lydiæ ad Mæandrum flumen.* inquit STEPHANUS. Lydos autem singulari quadam arte, & concentu Lyram, aut Citharam tractasse PINDARUS *Nem. ode 4.* meminit:

Ἐξύφαινε γλυκεῖα
Καὶ τὸ δ' αὐτίκα φόρμιγξ,
Λυδίᾳ σὺν ἁρμονίᾳ
μέλος.
Contexe statim dulcis Cithara,
Lydia cum harmonia, hoc quoque
carmen.

Tibias denique ad Bacchantium harmoniam adhibitas fuisse, ex EURIPIDIS *versibus in Bacch.* colligimus, quos STRABO *Lib. 10.* ita refert:


Ἀνὰ δὲ Βακχεία συντόνῳ
Κέρασαν ἡδυβόα Φρυγίων
Αὐλῶν πνεύματι.
Dulcisona Bacchi festa, intentu tibiarum
Phrygiarum flatu temperarunt.

XXXV.

AY.KAI.ANTΩNINOC. *Imperator Cæsar Antoninus.* Caput Pii laureatum.

ΦΙΛ. ΚΟ. CYPIAC. Φιλαδελφέων Κόιλης Συρίας. *Philadelphensium Cœles Syriæ.* Caput muliebre, ut videtur, velatum, aut cincinnis ornatum, cujus fronti, flori ſimile quiddam, impoſitum eſt.

PHiladelphiam in Decapolitana Syriæ PLINIUS *Lib. 5.* recenſet. Erat autem olim Cœleſyria amplior, quæ & Decapolitanæ partem complecteretur. Hujus urbis nomen Euſebius, & Epiphanius Φιλαδελφία ſcripſere, alii Φιλαδέλφεια. De eadem ita STEPHANUS: Τῆς Συρίας ἐπιφανὴς πόλις, ἡ πρότερον Ἀμμανα, εἶτ' Ἀςάρτη, εἶτα Φιλαδέλφεια, ἀπὸ Πτολεμαίου τοῦ Φιλαδέλφου. *Illuſtris Syriæ urbs, primum Ammana dicta, ſubinde Aſtarte, denique Philadelphia, a Ptolemæo Philadelpho.* In aliis hujus urbis numis τὸ ΚΟΙΛΗC. CYPIAC. ſic ſcriptum offenditur: ΚΟΙΛΗC. CYP. vel K. CYP. vel K. C. Caput, Iſidis eſſe videtur, aut Genii urbis. Numus eſt parvi moduli.





XXXVI.

Inſcriptio capitis, vetuſtate abſumpta, non legitur. Caput nudum Antonini Pii.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤ. Φιλιπποπολιτῶν. *Philippopolitarum.* Pallas galeata ſtans, læva haſtæ innititur, clypeus ad pedem ſiniſtrum.

DE Philippopoli Thraciæ urbe PLINIUS *Lib. 4. Oppidum*

ſub Rhodope, Poneropolis antea, mox a conditore Philippopolis. Fuit is Philippus Alexandri M. Pater. Eſt numus parvi moduli.

XXXVII.

ΑΥΤ. Κ. ΑΔΡΙΑ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. *Imperator Cæſar Hadrianus Antoninus.* Caput laureatum Antonini Pii.

ΕΠΙ . . . ΖΗΝΩΝΟϹ. ΠΡ. ϹΕΒ. ΑΝΤ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤ. Ἐπὶ Ζηνῶνος Πρεσβευτοῦ Σεβαστοῦ Ἀντωνείνου, Φιλιπποπολειτῶν. *Sub . . . Zenone Legato Auguſti Antonini, Philippopolitarum.* Jupiter ſedens, d. pateram, ſ. haſtam.

IN omnibus Thraciæ numis non aliud magiſtratus nomen, quam Ἡγεμόνος, *Præſidis Provinciæ*, comparet; ſi Archontes Byzantinos, de quibus inferius agetur, excipias. Unicus hactenus Bizyæ, urbis Thraciæ, numus prolatus eſt, qui Πρεσβευτοῦ, καὶ Ἀντιστράτηγου τοῦ Σεβαστοῦ. *Legati, & Pro Prætoris Auguſti*, titulum exhibeat. Cl. Vaillantius e Strabone collegit: Præſides, ipſos etiam Legatos Auguſtorum, appellatos eſſe. Mirum tamen videri cuipiam poſſet, cur ſola Bizya *Legati*, non vero *Præſidis* titulo, ut urbes aliæ, uſa fuerit.

Atque in noſtro quidem, magni moduli, numo illud mirandum magis: quod eadem Philippopolis aliis in numis, atque ipſius adeo Antonini Pii, conſtanter Ἡγεμόνος, *Præſidis* titulum conſignaverit; in hoc tamen Πρεσβευτοῦ Σεβαστοῦ, *Legati Auguſti* compellatio exprimatur. Confirmat quidem doctiſſimi Vaillantii opinionem Macer *Lib. 1. ff. de offic. Praeſ. Præſidis nomen generale eſt, eoque & Proconſules, & Legati Cæſaris, & omnes, Provincias Regentes, licet Senatores ſint, Præſides appellantur.* Qua tamen ſententia noſtri numi, ab aliis ejuſdem urbis, diſformitas non ſatis dilui videtur. Quare ſuſpicari cœpi (ad quod ipſa etiam tituli Πρεσβευτοῦ in numis raritas momenti aliquid affert) an non extra ordinem *Legati Auguſti* in Thraciam graviorum bellorum, aut negotiorum aliorum cauſa miſſi ſint; aut

ipſis

ipsis Præsidibus, singularis honoris ergo, adjectus sit quandoque *Legati* titulus: uti huic Zenoni, expresso *Antonini Augusti* nomine, obtigisse, numus testatur. Legati porro munus jam olim apud Romanos Maximi nominis fuisse DIONYSIUS HALICARN. *Lib.* 11. nos docet: Ἐςι δὲ πάντων τιμιώτατόν τε, καὶ ἱερώτατον ὁ Πρεσβευτὴς παρὰ Ῥωμαίοις. *Legatum esse, apud Romanos res est omnium honorificentissima, & sanctissima.*



XXXVIII.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟC. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ἀυρήλιος Ἀυτωνῖνος. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput nudum M. Aurelii.

ΑΜΦΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Amphipolitarum.* Figura muliebris sedens, capite tutulato, d. pateram porrigit.

DE hac urbe STEPHANUS: Ἀμφίπολις πόλις Μακεδονίας, κατὰ Θρᾴκην. *Amphipolis Macedoniæ urbs, ad fines Thraciæ.* Ipsi Thraciæ eandem Suidas attribuit. Nomen Ἀμφίπολις, quasi dicas *utrimque urbs*, nacta est teste THUCYDIDE *Lib.* 4. Διὰ τὴν περίῤῥοιαν τȣ̃ Στρύμονος. *Quod eandem Strymon fluvius mediam perfluat.* Ad hanc Amphipolin numum nostrum, qui mediæ formæ, referendum putavi; etsi Cl. Vaillantius numos, Ἀμφιπολειτῶν inscriptos, ad Syriæ Amphipolin referat, obscuri nominis oppidum.



XXXIX.

- - - K. M. ANTΩNЄINOC. *Imperator Cæsar Marcus Antoninus.* Caput ejusdem laureatum.

ΙΟΥΛΙЄΩΝ. *Juliensium.* Neptunus ſtans, pedem dextrum roſtro navis imponit, d. Delphinum, ſ. Tridentem geſtat.

JUlienſes in Phrygia recenſet PLINIUS *Lib.* 5. Mari adſitam fuiſſe hanc urbem, Neptuni ſimulacrum, quale hic effingitur, Maris, & Navigationum Præſidis, probabiliter arguit. Ptolemæus etiam in Phrygia, haud procul ab urbe Synnada, *Juliopolin* collocat, quam eandem eſſe cum hac *Julia* nonnulli volunt. Alia tamen Juliopolis Bithyniæ fuiſſe videtur. Numus eſt parvi moduli.



XL.

XL.

ΑΥΤΟΚΡΑ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CEB. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Ἀντωνεῖνος Σεβαστός. *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus Augustus.* Caput M. Aurelii cum corona radiata: in area ad dexteram ϛπχ *Anno 686.* ad finistram monogramma, seu signum Monetarii ΜΙ incertæ significationis.

ΑΛ - - - - - ΩΝ. ΚΟΙΝ. ΛΥΔ. Κοινὸν Λυδιάς. *Commune Lydiæ.* Mulier sedens d. pateram gerit. Nomen urbis legi nequit: neque in Lydia similis initii vocabulum reperio; nisi forte Alabanda sit, in vicina Caria.

Singularis hic medii moduli numus insolitam nobis in adversa facie epocham, & in aversa epigraphen offert. Nam *Commune Lydiæ* in nullo apud Vaillantium numismate legitur. Epocha vero (quæ distincte, ac certo legitur, cum sit numus in adversa parte omnino integer) ad quam revocari annorum numerus, huic numo insculptus, debet, exordio suo in ipsa, quod mireris, veterum Persiæ Regum, post Cyrum, tempora incurrit.

Cum enim M. Aurelius Augusti titulum, quo hoc in ære gaudet, nactus sit an. V. C. 914. ac vixerit usque 933. atque adeo Augusti honore fruitus sit per annos undeviginti; ab anno 914. subducendi sunt anni, in numo signati, 686. ut perveniam ad autumnum anni V. C. 228. qui fuit ante æram Christianam 526. a quo, usque ad annum V. C. 247. per annorum novemdecim spatium, aptum quoddam æræ Lydorum initium quærendum est.

Si Doctissimi Usserii *Annales Veteris Testamenti* sequi libeat, apposite plane Lydorum hanc Epocham referemus ad annum ante Æram Christianam, 521. V. C. Varroniano 233. Quo Darius, inter septem Magos, quorum ipse unus erat, Principatum adeptus, totum Persicum Imperium (cujus tum pars Lydia erat, jam a Cyro subacta) in septem partes, & viginti Præfecturas divisit; teste Herodoto

RODOTO *Lib. 3.* Ποιήσας δὲ ταῦτα ἐν Πέρσῃσι, ἀρχὰς κατεστήσατο εἴκοσι, τὰς αὐτοὶ καλέουσι Σατραπίας. *His in Persia peractis, Præfecturas viginti constituit, quas ipsi Satrapias nominant.* Divisionem hanc, in septem partes factam, ac celeberrimam fuisse PLATO comprobat; cum usque ad ejusdem tempora quædam illius divisionis vestigia perduraverint. Ita habet *Lib. 3. de Legibus:* de eodem Dario, Hystaspis filio, agens: Ἀρχὴν διείλετο, ἕπτα μέρη τεμόμενος· ὧν καὶ νῦν ἔτι σμίκρα ὀνείρατα λέλειπται. *Principatum divisit, in septem partes secans: cujus rei hodieque tenuia, velut per somnium, vestigia supersunt.*

Ab hoc igitur anno V. C. 233 Lydorum æram hanc in autumno inchoemus; adjectis annis 686. in numo signatis, prodibit an. V. C. 919. usque ad autumnum. Atque hoc eodem anno (uti ostendit Eruditissimus Pagius) de Parthis, tunc Persiam obtinentibus, M. Aurelius, cum Lucio Vero triumphavit, & Armeniaci, ac Parthici Maximi titulos obtinuit. Quare non sine peculiari ratione, hoc anno, veterem illam Persicam Epocham numo isthoc in memoriam revocarunt Lydi, eoque ingeniose triumphantem Aurelium honorarunt, cujus Imperii sextus hic annus agebatur. Illud etiam, notatu dignum, hic congruit: Post Parthicam hanc M. Aurelii Victoriam pacem in universo Romano Imperio floruisse; quod itidem in Persico Imperio dictis Darii temporibus accidisse, HERODOTUS *loco indicato* innuit.





XLI.

XLI.

ATPHΛIOC. KAICAP. *Aurelius Cæsar.* Caput nudum M. Aurelii.

MIΛHCIΩN. *Milesiorum.* Apollo nudus stans, d. cervi figuram sustinet.

JOniæ urbs nobilissima Miletus erat. Plinius *Lib. 5. Miletus, Joniæ caput, supra 70. urbium per cuncta maria genitrix.* Colonias 75. eidem attribuit Seneca *de consol.* Alii a Sarpedone, Jovis filio, conditam volunt: alii cum Herodoto a Neleo. Ovidius *L. 9. metam.* Miletum, Apollinis filium, Urbis hujus Conditorem facit; cui suffragantur numi Milesiorum, pene omnes Apollinem, aut Dianam ejus sororem exhibentes.

Similem numo nostro Apollinis iconem, in Juliæ Domnæ, ac Balbini numis, Cimelii Regii, cum produxisset R. P. Harduinus, recte addidit: *Quo Dianæ cultum perinde, atque Apollinis, cujus illa vulgo soror habita, apud Milesios receptum intelligas.* Nempe cervus Dianam indicat. Id confirmat numus alius Milesiorum, ipsius M. Aurelii, a laudato Harduino adductus, in quo Apollo stans Dianæ effigiem, loco cervi, attinet. Ipsam Dianam in cervam fuisse mutatam Apollodorus *Lib. 1.* refert. Apollo hic ΔIΔTMETΣ *Didymæus* in numo Caji Cæsaris appellatur, quod *Geminos*, Apollinem, & Dianam indicat, a Milesiis una cultos. De Didymæi Apollinis oraculo in Jonia Plinius *Lib. 5.* videri potest. Qui symbolicas fabularum expositiones amant, & cum Macrobio Apollinem Solem, Dianam Lunam faciunt; cervum utrique, ob celeritatem motus, aut ejusdem implexas vias adscribunt. Numus est parvi moduli.

XLII.

AT. K. M. ATP. ANTΩNEINOC. *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus.* Caput ejusdem laureatum.

NIKAIEΩN. *Nicaensium.* Aquila basi insistens; utrimque signum militare, Capricorni figura ornatum.

DE Nicæa hac nostra egregie Stephanus: Νίκαια πόλις

 Βιθυ-

Βιθυνίας, Βοττιαίων ἄποικος. Ἐκαλεῖτο δὲ πρότερον Ἀγκώρη, εἶτα Ἀντιγόνεια, ὕστερον δὲ ἀπὸ Λυσιμάχου γυναικὸς Νίκαια ἐκλήθη. *Nicaea urbs Bithyniae, Bottiaeorum colonia, primum dicta est Ancore, subinde Antigonia, demum Nicaea, ab uxore Lysimachi.* Urbs celeberrima a Conciliis, in eadem celebratis, cujus gentile nomen Νικαιεὺς in numis, & vix unquam Νικαεὺς legitur. Capricorni signum, quod olim felicitatis symbolum habitum est, legiones aliquot sibi adsignabant; uti videre est apud BANDURIUM *Tom. 1. in Gallieno.* nempe legio I. Adjutrix: legio I. Italica: legio XIV. & XXII. ita, ut hic numus, magni moduli, signis militaribus nihil certi prodat, cujus legionis milites Nicaeae morati sint.



XLIII.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑϹ. ΚΑΙϹΑΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ. ΚΑΙ. ΟΥΗΡΟΝ. *Imperatores Caesares Antoninum, & Verum* honorant Nysaei. Marcus Aurelius, & Lucius Verus togati stantes, dextras jungunt.

ΕΠ. ΓΡ. ΑΥΡ. ΔΙΟΔΟΤΟΥ. ΝΥϹΑΕΩΝ. Ἐπὶ Γραμματέως Αὐρηλίου Διοδότου, Νυσαίων. *Sub Scriba Aurelio Diodoto, Nysaeorum.* Lunus stans, d. pateram, s. hastam: a tergo Luna falcata.

NUmi hujus (qui perelegans est, & bene magnae formae) aversam faciem retulit quidem Cl. Vaillantius; sed adversae non meminit, quod praestare solet, quando singulare aliquid adversa facies exhibet. Quare numum hunc nostrum alium esse ab eo, quem Vaillantius inspexit, me-

merito existimavi. Eundem tamen olim Erizzo habuisse videtur, cujus epigraphen, fortasse non satis integram, ita exhibet: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΩC. ΚΑΙC. ΑΝΤΟΝΕΙΝΟΥ. ΚΑΙ. ΟΥΗΡΟΥ. *Imperatoris Cæsaris Antonini, & Veri.* R. P. Harduinus hujus numi epigraphen sic refert: ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑC. ΚΑΙC. ΑΝΤΟΝΙΝΟΝ. ΚΑΙ. ΟΥΗΡΟΝ. ΝΥCΑΕΩΝ. Ε. ΓΡ. &c. De Scribis, ac de Nysa urbe numo 2. actum est.



XLIV.

ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Aurelius Cæsar.* Caput nudum M. Aurelii.

ΟΛ. ΔΩΡΕΩΝ. ΒΟC. Ὀλβηνῶν, καὶ Δωρέων, ἔτυς βός. *Olbenorum, & Dorensium, anno 272.* Hercules nudus stans, dextra attollit clavam, ferientis gestu: sinistram committit cum monstro, quod superna corporis parte hominem refert, inferna in geminam draconis caudam desinit: luctantium manibus commissis pellis leonina Herculis implicata videtur.

Elegantissimus, & singularis hic, medii moduli, numus duo nobis in aversa parte haud obvia explicanda offert: figuras, & inscriptionem. Figuræ colluctantes Herculem, & Gigantum aliquem referunt. Macrobius *Lib. 1. Saturn. cap. 20.* Ita ad numum nostrum opportune: *Ipse* (Hercules) *creditur & Gigantes interemisse, cum cœlo propugnaret, quasi virtus Deorum. Gigantes autem quid aliud fuisse credendum est, quam hominum quamdam impiam gentem, Deos negantem, & ideo æstimatam Deos pellere de cœlesti sede voluisse? horum pedes in Draconum volumina desinebant:*

quod significat, nihil eos rectum, nihil superum cogitasse, totius vitæ eorum gressu, atque processu in inferna mergente. Gigantes Herculis Clavæ succubuisse Silius Ital. *Lib. 12.* concinit:

Tradunt Herculea prostratos mole Gigantes &c.

Apollodorus *Lib. 1.* Varios Gigantes nominat, quos Hercules sagittis interfecerit. Primus horum Halcyoneus erat, quem in Gemma exhiberi putat Eruditus Gorius *in Museo Florentino Tom. 2. in notis ad Tab. 35.* qua in Gemma similis nostræ, Herculis, & Gigantis effigies exhibetur. Alium adhuc Gigantem nominat Pausanias *Lacon. cap. 18.* cum quo singulari certamine congressus est Hercules; nam sellam quandam describens, narrat, in eadem insculptam fuisse, Ἡρακλέους μάχην πρὸς Θούριον τὸν Γίγαντα. *Herculis pugnam cum Thurio Gigante.* Determinare arduum est, ecquis hic Gigantum expressus sit.

Quid vero aversæ partis epigraphe sibi vellet, cum multa huc illuc arbitratus essem, certi quidpiam me deprehendisse, asserere non ausim. Δωρέων, *Dorensium*, ad Doram Palæstinæ pertinere non potest; cum anni, in nostro numo signati, nullo modo cum Doræ Palestinæ æra, quam in numis exhibet, conciliari possit. Accedit, numismata illius Doræ non inscribi Δωρέων, sed Δωριέων: atque fabricam ipsam numi nostri Palæstini artificis manum non indicare. Quare de alia urbe cogitandum fuit; atque, cum fabrica ad Cilicum numos accederet, ejusque Provinciæ urbes annos æri suo insculpere solitæ fuissent: ad urbem Doron referendam hanc epigraphen putavi, quem locum solus, quod sciam, Plinius *Lib. 5.* prope Arsinoën, & Jotapen in Cilicia nominat. Ab eo nomine sive Δῶρον, vel Δῶρος sive Δωρῶν scriptum fuerit, commode formari potest gentile Δωρεύς.

Porro autem literas ΟΛ. ante τὸ ΔΩΡΕΩΝ. primum ΟΛΥΜΠΙΑ. *Certamina Olympica*, a Dorensibus instituta, de-

denotare suspicabar: cui congrueret Herculis, & quidem decertantis, & Jovem cum Diis adjuvantis effigies; cum Hercules ipse Olympia instituerit in honorem Jovis: ut ex PINDARO alibi monuimus, & APOLLODOR. *L. 2.* confirmat. Idemque Auctor eodem libro, *Herculem Ægimio, Doriensium Regi, se belli socium fecisse* narrat: Ἀιγιμίῳ βασιλεῖ Δωριέων συνεμάχησε. Doricæ porro gentis hanc Doron fuisse, extra dubium est; cum ex Dora Palæstinæ profecti Dores primum Insulas, dein continentis Asiæ minoris littora insederint; quod manifesto indicat & regio ad Joniam *Doris* appellata, & a *Doribus* habitata, & HERODOTUS *Lib. 1.* ita scribens: Μετὰ δὲ τὺς Κᾶρας, χρόνῳ ὕςερον πολλῷ Δωριέες τε καὶ Ἴωνες ἐξανέςησαν ἐκ τῶν νήσων, καὶ ὕτω ἐς τὴν ἤπειρον ἀπίκοντο. *Longo tempore post Cares, Dorienses, & Jones, ex Insulis consurgentes, in continentem pervenerunt.* Atque hæc omnia pro lectione ΟΛΥΜΠΙΑ pugnare videntur.

Verum cum in copiosissimis numis, qui ludos, & eorundem nomina præ se ferunt; forte perpetuum, aut certe solitum sit: aut ramos, aut coronam, aut urnas ludorum una exprimi; secutus oraculum meum, ad ὁμόνοιαν seu *societatem* cum aliqua, vicina Ciliciæ, urbe referre malui. Est vero Ὄλβα Stephano, & Ὄλβασα Ptolemæo Pamphyliæ urbs, quæ regio Ciliciæ contermina est: fuit etiam Colonia, uti ejusdem numi testantur: COL. IVL. AVG. OLBABEN. & aliter: COL. OLBA. apud Vaillantium. Quare legendum putavi numum nostrum: Ὀλβασέων, vel Ὀλβηνῶν, καὶ Δωρέων. *Olbaseorum*, vel *Olbenorum, & Dorensium.*

Jam etiam annorum numerus excutiendus est. Anni ΒΟΣ = 272. Epochæ initium intra annos V. C. 620. & 642. quærendum esse monent. Nam M. Aurelius Cæsar renunciatus est, e sententia Pagii, an. V. C. 892. deme 272. habes an. 620. cujus autumno incipere posset hæc Dorensium æra; & cum Cæsar, sine Augusti titulo, per annos vi-

viginti duos fuerit Aurelius, ultimus æræ incipientis terminus esse potest an. V. C. 642. Refert autem JUSTINUS *Lib. 37. cap 1.* Ciliciam auctoritate Senatus Romani, una cum Lycaonia concessam esse filiis Ariarathis, Regis Cappadociæ, ob merita Patris in bello, a Romanis contra Aristonicum gesto. Id factum USSERIUS *in Annal.* ad annum V. C. Varronianum 623. refert, a cujus autumno si æiam Dorensium inchoëmus, addamusque 272. exibit an. V. C. 895. M. Aurelii Cæsaris tertius, Antonini Pii Augusti Quintus.





XLV.

AΥ. K. M. AΥΡΗΛΙΟC. ANTΩNEINOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput nudum ejusdem.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautalia.* Figura fluvii semi-nuda decumbens, d. papaver inter duas spicas, s. arundinem tenens, rupi innititur.

Παυταλία, *Pautalia* (quæ cognomen Ulpiæ ab Ulpio Trajano accepit) a PTOLEMÆO *Lib. 3.* in Thracia locatur, itemque a STEPHANO: Παιταλία μοῖρα Θράκης· τὸ ἐθνικὸν Παιταλιώτης. *Pautalia portio Thraciæ; gentile Pautaliota.* Correcta tamen, aut corrigenda certe sunt e numis Stephani exemplaria, in quibus legitur Παιταλία, & Παιταλιώτης, loco Παυταλία, & Παυταλιώτης.

Fluvii decumbentis figura Strymonem, celebrem Thraciæ fluvium, refert: quod ego audenter assero ex numo in-

integro, & elegante magni æris, quem hic Viennæ apud Amicum quendam inſpexi, qui ita habet:

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. Caput laureatum Caracallæ.

ΟΥΛΠΙΑϹ. ΠΑΥΤΑΛΙΑϹ. ϹΤΡΥΜΩΝ. Figura fluvii ſeminuda decumbens, dextram imponit proræ navis; ſiniſtra arundinem tenet, eaque urnæ, aquas fundenti, innititur.

Corrigendæ ex his numis ſunt Chartæ Geographicæ Thraciæ veteris, a Cellario, & Weigelio editæ, quæ Ulpiam Pautaliam ad Hebri fontes ponunt; cum ex his numis conſtet, ad Strymonem ſitam fuiſſe. Recte tamen in altera Weigelii Charta, quæ Græciæ partem ſeptentrionalem exhibet, Pautalia ad Strymonis fontes collocatur. Nam cum regio inter Strymonem, & Meſtum jam antea, quam hi numi cuderentur, Macedoniæ acceſſiſſet, & Pautalia tamen Strymoni adſita, in Thracia collocetur; non potuit, niſi ad fontes Strymonis, ubi contermina eſt Thracia Macedoniæ, hæc urbs fuiſſe ſita.

XLVI.

ΑΥΤΟΚΡΑ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. *Imperator M. Aurelius Antoninus.* Caput laureatum ejusdem.

ΜΗΤΡΟ. ΠΟΜΠΕΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Metropolis Pompeiopolitarum.* Fortuna ſtans, d. temonem ſ. Cornu Copiæ.

Pompeiopolis altera Ciliciæ eſt, quæ Metropolis titulo in numis non gaudet. Altera Paphlagoniæ, uti appellatur expreſſe in aliis numis ΠΑΦΛΑΓΟΝΙΑϹ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΙϹ. *Paphlagoniæ Metropolis.* Hujus etiam Socrates *Lib. 2. hiſt. Eccleſ.* meminit, dum nominat Sophronium, τὸν Πομπηϊουπόλεως ἐν Παφλαγονίᾳ, *Pompeiopolis, quæ in Paphlagonia eſt*, Epiſcopum. Medii moduli numus eſt, cujus obvium averſæ partis typum in Numo Nervæ Perinthiorum expoſuimus.

XLVII.

XLVII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Marci Aurelii.

ΜΗΤΡΟΠ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜΕΩC. *Metropolis Ponti Tomiorum.* In area Γ. Castor, & Pollux nudi stantes, uterque d. hastam f. equum fræno tenent: amborum capiti stella insistit.

CAstor, & Pollux Διόσκουροι, *Jovis filii* e Leda, aut e Nemesi, ut alibi dicetur. Castorem, equis gaudentem, Poëtæ celebrant, Pollucem pugilem: ambo tamen aut in equis sublimes, aut equis adstantes in numis frequenter effinguntur. Castorem Theocritus ταχύπωλον *celeri equo gaudentem:* Homerus *Odyss.* λ. Ἱππόδαμον *Equorum Domitorem*, appellant. Ambos equis vectos *Hymnus, qui* Homero *tribuitur*, prædicat:

Χαίρετε Τυνδαρίδαι, ταχέων ἐπιβήτορες ἵππων.

Salvete Tyndaridæ, velocium inscensores equorum.

Cætera ad numum nostrum ita Statius, *Theb. Lib.* 5. exequitur:

Ambo hastile gerunt, humeros exertus uterque:
Nudus uterque genas, simili coma fulgurat astro.

Tomi, urbs Ponti Europæi, ab Ovidii exilio celebris: Stephano, & Numis Τομεύς, Τομέως formatur. In numis hujus urbis, qui a temporibus Commodi percussi sunt, cum sæpe eandem literam Δ. inscriptam offendissent Viri Doctissimi Vaillantius, & P. Harduinus; legerunt illud Δ. *quarta* regionis Ponti Metropolis: quanquam Vaillantius etiam, de Numis Coloniarum agens, *in notis ad numum Elagabali, Carrhis percussum*, ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. Δ. legat: Μητροπόλεως πόντου δευτέρας. *Secundæ Ponti Metropolis.* At enim divisionem hanc ut factam fuisse comprobent, testimonia veterum non adferunt. Porro autem noster medii moduli numus, non eadem litera Δ. sed Γ. insignis, suspendendam

esse

esse de interpretatione harum literarum sententiam svadet; dum constitui certius quiddam e pluribus numis possit.

Quod si quis mihi forte injiciat: Tomos ante Commodum *tertiæ regionis* Ponti Metropolim fuisse; atque ideo in vetustiore numo nostro Γ. = 3. congruere. Deinde cum a M. Aurelio Scythiæ pars Romano Imperio (& fortasse Ponto) adjecta esset, teste XIPHILINO *ex Dione Lib. 71.* Pontum una regione auctum, & quartæ huic regioni Tomos Metropolim adsignatam esse. Facile reponam: præter sufficientis auctoritatis defectum, id etiam incongruum videri: Tomos, quæ jam olim tertiæ regionis Metropolis fuisset, quartæ recens adjectæ regioni nunc adsignatam esse. Nam si nova Metropolis constituenda erat; maneret suo in ordine urbs Tomitarum, & novæ regioni nova, aut alia certe urbs Metropolis adsignaretur. Ac denique rursum, Gordiani Pii temporibus, in Tomitarum numis τὸ Γ. loco Δ. comparet, cujus rei testem numum Tranquillinæ suo loco proponam.



XLVIII.

ΦΑΥCΤΕΙΝΑ. CΕΒΑCΤΗ. *Faustina Augusta.* Caput Faustinæ, Uxoris M. Aurelii.

ΑΜΑCΤΡΙΑΝΩΝ. *Amastrianorum.* Figura muliebris, veste militari induta, & galea caput tecta, currens, d. pomum attollit, s. hastam gestat.

HAc mulieris armatæ imagine, qualem alibi me conspexisse non memini, Atalantam, Schœnei, aut

Jasi filiam referri, aperte indicant ea, quæ APOLLODORUS *Lib.* 3. de Atalanta commemorat: Ὡς ὁ πατὴρ γαμεῖν αὐτὴν ἔπειθεν, ἀπιοῦσα εἰς σταδιαῖον τόπον, καὶ πήξασα μέσον σκόλοπα τρίπηχον, ἐντεῦθεν τῶν μνηστευομένων τοὺς δρόμους προϊοῦσα ἐτρόχαζε καθωπλισμένη. Καὶ καταληφθέντι μὲν αὐτῷ θάνατος ὀφείλετο· μὴ καταληφθέντι δὲ, γάμος. Ἤδη δὲ πολλῶν ἀπολλυμένων, Μελανίων αὐτῆς ἐρασθεὶς, ἧκεν ἐπὶ τὸν δρόμον, χρύσεα μῆλα κομίζων παρὰ Ἀφροδίτης, καὶ διωκόμενος ταῦτα ἔρριπτεν· ἡ δὲ ἀναιρουμένη τὰ ῥιπτόμενα, τὸν δρόμον ἐνικήθη. *Patris suasu ad nuptias inducta Atalanta, in stadium abiens, tricubitalem palam in ejus medio defigit. Hinc procantium virorum deductis cursibus, ipsa armata decurrebat. Hoc in certamine victis mors, Victori Atalantæ conjugium constitutum erat. Multis jam cæsis, Melanion, ejus amore succensus, aurea mala adferens, quæ a Venere acceperat, certamen init, & puellæ currenti eadem objicit: quæ, projecta hæc irritamenta dum e terra colligeret, victa est.* Atalantæ, atque hujus certaminis frequens est apud Poëtas mentio. Euripides eandem non Melanioni, sed Hippomeni nuptam dicit. Numus est parvi moduli, ad medium accedentis.



XLIX.

ΦΑΥCΤЄΙΝΑ. CЄΒΑC. Φαυστεῖνα Σεβαστή. *Faustina Augusta.*
Caput Faustinæ Junioris.

ЄΦЄCΙΩΝ. Β. ΝЄΟ. Ἐφεσίων β′ Νεοκόρων, vel Νεωκόρων. *Ephesiorum iterum Æedituorum.* Victoria gradiens, fastigiato capitis ornatu, d. coronam, f. palmam.

DE Neocoris hic pauca adnotabo, ad plurium numorum

morum expositionem valitura. Νεωκόρος latine *Æedituum* sonat, a voce Attica νεὼς, *templum*, & κορέω, *mundo*, *curo*. Unde Suidæ Νεωκόρος exponitur: Ὁ τὸν νεὼν κοσμῶν, καὶ ἐυτρεπίζων. *Qui templum ornat, & curat.* Neocori, ac singillatim Dianæ, Ephesiorum Deæ, nonnunquam etiam Sacerdotum munere functi sunt; uti colligo ex Epigrammate PHILIPPI *Lib. 1. Antholog.*

Νήδυϊ βριθομένην δάμαλιν Λητωΐδι Κύρῃ
Στῆσαν Νηοκόροι, θῦμα χαριζόμενοι.
Juvencam, uterum ferentem, Latoniæ puellæ
Stiterunt Æditui, sacrificium offerentes.

Neocororum porro titulus, quem urbium quarundam incolæ in ære veteri sibi adscribendum curavere, denotat: Templum quoddam, Deorum alicui, vel Augusto dicatum, instauratasve esse religiosas cerimonias, in memoriam Deorum, aut Divorum, quibus devotos se se, & eorundem cultus velut Æedituos, hoc Νεωκόρων titulo, cives professi sunt. Et videtur compellatio ista honoris ergo, præcipuis urbibus, quas numi designant, ab Imperatoribus indulta, ac privilegiis cumulata fuisse; cum tam curate in ære suo Neocoros se inscripserint, numero etiam, quoties is honos sub eodem, aut diversis Augustis ipsis innovatus sit, ambitiose adjecto. Eruditam de Neocoris dissertationem Cl. Vaillantius conscripsit, quæ habetur *in Commentariis Academiæ Regiæ Inscriptionum, & Mansuetiorum Literarum, Tom. 4. pag. 198. Edit. Amstel.* Numus hic noster parvi moduli est.



L.

ΚΟΡΗ. ϹΩΤΕΙΡΑ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. *Proserpina Sospita Cyzicenorum.* Caput Faustinæ Jun. spicis, floribus, & gemmis ornatum.

ΕΠΙ. ϹΤΡΑ. ΚΛΙΤΟΥ. ϹΕΒΗΡΟΥ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡ. Ἐπὶ Στρατηγοῦ Κλίτου Σεβήρου Κυζικηνῶν Νεοκόρων. *Sub Prætore Clito Severo, vel Severi filio, Cyzicenorum Æditnorum.* Figura nuda humi sedens, d. pateram porrigit. Videtur Bonus Eventus hic referri, quem alioqui stantem formant.

SOlent in ære suo Cyziceni Faustinam Juniorem specie Proserpinæ effingere. κόρα, vel κόρη, puellam denotat, & antonomastice Proserpinæ a Græcis tribuitur. Hæc Dea a Cyzicenis singulari in honore habita est. Nam teste Agathocle, *apud Stephanum:* Urbs Cyzicus κτίσμά ἐστι Περσεφόνης, *a Proserpina Condita est.* Eandem urbem a Jove Proserpinæ dotis instar datam fuisse, narrat Appianus *in Mithridat.* Numus est moduli bene magni.



LI.

ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Faustina Augusta.* Ejusdem Caput.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟΡΩΝ. Cyzicenorum Æditnorum.

DIanam Venatricem hoc in numo, & alias frequenter repræsentatam, belle Claudianus *Lib. 2. de Raptu Proser.* depinxit:

Otia nervus agit, pendent post terga sagittæ,
Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu,
Poplite fusa tenus.

Mediæ formæ numus est.

LII.

LII.

ΚΟΡΗ. CΩΤЄΙΡΑ. *Proserpina Sospita.* Caput Faustinæ Jun. ornatum.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝЄΟΚ. *Cyzicenorum Ædituorum.* Tigris, ad amphoram assiliens.

TYpus hujus numi, qui mediæ formæ est, videtur ad Bacchi cultum pertinere, cui tigris sacra est, & amphora ad eundem pertinet.

LIII.

ΦΑΥCΤЄΙΝΑ. CЄΒΑCΤΗ. *Faustina Augusta.* Caput ejusdem.

ΚΟΙΝ. ΛΥΚΑΟ. ΚΛΑΥ. . . . . Κοινὸν Λυκαονίας Κλαυδιοπολειτῶν. *Commune Lycaoniæ: Claudiopolitarum.* Vir semi-cinctus sedens supra aliquid, simile pisci oblongo, in fluctibus: sinistra urnæ innititur.

UNicum Claudiopolitarum in Lycaonia numum, hujus etiam Faustinæ, ac simili inscriptione insignem, e Gaza Regia Vaillantius protulit; alia aversæ partis figura, sed hac epigraphe: ΚΛΑΥΔΙΟΠ. ΚΟΙ. ΛΥΚΑΟΝΙΑC. Ad Lycaoniam, hac saltem, qua numi hi cusi sint, ætate pertinuisse istam Claudiopolin, numi evincunt. MARCELLINUS *Lib. 14. cap. 25.* eam Isauriæ tribuit, Coloniamque asserit a Claudio Cæsare deductam. Claudiopolis nomine donatam urbem Bithynia etiam, Galatia, Paphlagonia, & Armenia, vel Cappadocia habuit; de quibus vide *Geographiam antiquam a* CELLARIO diligenter conscriptam.

Claudiopolis nostra ad Calycadnum fluvium sita fuisse videtur. MARCELLINUS enim *loco citato*, de Isauria sui temporis loquens hæc habet: *Quam mediam navigabile flumen Calycadnus interscindit. Et hanc quidem, præter oppida multa, duæ civitates exornant, Seleucia, opus Seleuci Regis, & Claudiopolis, quam deduxit Coloniam Claudius Cæsar.* Atque de Seleucia quidem, ex epigraphe numorum hujus urbis: CΕΛΕΥΚΕΩΝ ΤΩΝ. ΠΡΟC. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ.

Seleucensium, qui ad Calycadnum sunt. Certum est eandem huic fluvio adstitutam fuisse. De Claudiopoli vero, præter Marcellini verba recte intellecta, numi nostri icon id probabile facit, fluvium referens; cum alius in Lycaonia fluvius non inveniatur, qui ad urbis decus numo insculpi mereretur. Cum vero hæc Claudiopolis alias Lycaoniæ, alias Isauriæ adscripta sit; nullus dubito ad confinia utriusque provinciæ pertinere hanc urbem, ubi nempe Calycadni fluvii, alioqui Lycaoniam non irrigantis, fontes collocantur. Numus est parvi moduli.



LIV.

ΦΑΥϹΤЄΙΝΑ. CЄΒΑϹΤΗ. *Faustina Augusta.* Caput ejusdem.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicaensium.* Jupiter sedens, d. pateram, f. hastam, ad pedes aquila.

AD Nicæam Bithyniæ hic medii moduli numus spectat.

LV.

ΦΑΥϹΤЄΙΝΑ. CЄΒΑϹΤΗ. *Faustina Augusta.* Caput ejusdem.

ΠΛΩΤЄΙΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Plotinopolitarum.* Muliebris figura stans, d. spicas, f. hastam, cujus typum simillimum vide in numo Septimii Severi, ΚΡΗΤΙΕΩΝ. ΦΑΑΟΥΙΕ.

PLotinopolin in Hæmimontana Thraciæ Provincia locat duplex Notitia Ecclesiastica. Ejusdem mentionem facit *Itinerarium* ANTONINI: *Plotinopoli Trajanopolim M. P. XXII.* id est: *millia passuum 22.* In honorem Plotinæ, uxoris

uxoris Trajani Augusti, hæc urbs nomen sortita est. Rarus est hic medii æris numus; quoniam pauci admodum hac in urbe cusi hactenus reperti noscuntur.

LVI.

ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. *Faustina Augusta.* Caput ejusdem.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Philippopolitarum.* Vir nudus stans, capite tutulato, d. pateram porrigit, s. columnæ innititur.

Simili fere figura in latinis numis Apollo Monetalis exprimi solet; Græci tamen tutulum capiti adjecere, Divinitatis indicium in Græcorum numis frequens. Mediæ formæ est.



LVII.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟϹ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Λούκιος Ἀυρήλιος Ουῆρος. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Verus.* Caput nudum Veri.

ΗΓΕ. Μ. ΤΟΥΛΛΙΟΥ. ΜΑΞΙΜΟΥ. ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ. Ἡγεμόνος Μάρκου Τουλλίου Μαξίμου, Παυταλιωτῶν. *Præside Marco Tullio Maximo: Pautaliotarum.* Mulier sedens, d. Victoriolam, s. Cornu Copiæ; tutulus in capite.

Παυταλιώτης gentile nomen est, ex Παυταλία, Thraciæ urbe, de qua in M. Aurelio actum est. Ex ære magno est hic numus, cujus moduli raros in L. Vero censet Vaillantius. Figura muliebris cum Cornu Copiæ Genium loci refert, qui, porrecto Victoriolæ signo, Victoriam

riam Parthicam L. Vero forte gratulatur, de qua vide CAPITOLINUM *in Vero.*



LVIII.

A. K. Λ. OΥ. CЄBACTOC. *Imperator Cæsar Lucius Verus Augustus.* Caput ejusdem nudum:

ΠЄCCINOΥNTIΩN. *Pessinuntiorum.* Hygia stans d. serpentem s. pateram.

STEPHANUS: Πεσσινȣ̃ς πόλις Γαλατίας. τὸ ἐθνικὸν Πεσσινȣ́ντιος. *Pessinus urbs Galatiæ: gentile nomen Pessinuntius.* Hanc urbem STRABO *Lib. 12.* Ἐμπορεῖον τῶν ταυτῇ μέγιστον. *Emporium ea regione maximum*, appellat. Est numus magni moduli.

LIX.

AΥ. KAI. Λ. AΥPHΛIOC. OΥHPOC. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Verus.* Caput ejusdem nudum.

HΓЄ. KΛ. AΠΠIOΥ. MAPTIΛΛOΥ. CEPΔΩN. Ἡγεμόνος Κλαυδίȣ Ἀππίȣ Μαρτίλλȣ Σερδῶν. *Præside Claudio Appio Martillo: Serdorum.* Æsculapius stans, d. baculum, serpente obvolutum.

SErdicam, quæ Ulpia, ab Ulpio Trajano compellata est, Cellarius Mœsiæ attribuit ex *Itinerario* BURDEGALENSI, & CEDRENO combinatis. THEODORITUS *Lib. 2. hist. Eccles. cap. 4* ita de eadem: Σαρδικὴ Ἰλλυρικὴ πόλις τȣ̃ Δακῶν ἔθνȣς μητρόπολις. *Sardica Illyrica urbs, Dacorum gentis metropolis.* Illyrica urbs dicitur, quia sub Præfectura Illyrici erat: Dacorum metropolis Theodoriti tempore esse po-

poterat, aut Ecclesiastica divisione spectata, aut etiam civili; nam ita Flavius Vopiscus *in Aureliano. Aurelianus Provinciam trans Danubium Daciam, a Trajano constitutam, sublato exercitu, & provincialibus reliquit, desperans eam posse retineri, abductosque ex ea populos in Mœsiam collocavit, appellavitque suam Daciam, qua nunc duas Mœsias dividit.* Bene igitur *Dacorum* metropolin Theodoritus Sardicam dixit.

Serdica hæc, seu Sardica a Concilio illic celebrato notior, nunc Sophia appellatur, aut non procul ab hoc oppido sita erat. Numus est ex ære magno, in cujus typarii epigraphe sculpenda debitum ordinem non servasse artifex videtur; nam Claudiæ gentis prænomen est Appius: atque adeo *Præside Appio Claudio Martillo* sculptum oportuit.

LX.

ΑΥΤ. Κ. Λ. ΑΥΡΗΛΙΟϹ. ΟΥΗΡΟϹ. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Verus.* Caput Veri laureatum.

ϹΕΡΔΩΝ. *Serdorum.* Figura muliebris sedens, c. Cornu Copiæ.

UNicum Serdorum numum sub Lucio Vero produxit Vaillantius; noster hic alter ex ære medio est.



LXI.

ΑΥ. Κ. Λ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟΣ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Λέκιος Ἀυρήλιος Κομοδός. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Commodus.*

Caput laureatum Commodi.

ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΖΩΙΛ. ΑΒΥΔΗΝ. Ἐπὶ Ἄρχοντος Ἀιλίυ Ζωΐλυ, Ἀβυδηνῶν. *Sub Archonte Ælio Zoilo, Abydenorum.* Navis cum remigibus.

NUmus M. Aurelii e Museo Florentino profertur apud Cl. Vaillantium, & R. P. Harduinum, cujus hæc epigraphe: ΕΠ. ΑΡΧ. ΑΙΛ. ΖΠΙΛΟΝΙΤΟΥ. ΤΟ. Β. ΑΒΥΔΗΝ. Ubi ejusdem viri nomen, atque in nostro numo, expressum esse, temporis, & prænominis consensio suadet. Cl. Vaillantius legit ζπιλονίτυ, nomine nimium barbaro usus. R. P. Harduinus legit ζήνωνος πιλονίτυ· sed τὸ ζ. ζωίλυ legendum, numus noster, medii moduli, ac probe conservatus, facile persuadebit.

Abydus nota Troadis urbs, cui in adverso Europæ littore Sestus objicitur. OVIDIUS *Lib. 1. Trist. Eleg. 9.*

Seston Abydena separat urbe fretum.

Fretum hoc ita PLINIUS *Lib. 4.* descripsit: *Hellespontus septem stadiis Europam ab Asia dividens, quatuor illic inter se contrarias urbes habet: in Europa Callipolin, & Seston; in Asia Lampsacum, & Abydon.* Nunc illic maritima Turcarum præsidia gemina in arce excubant, quæ vulgato nomine *Dardanellæ* vocantur.



LXII.

LXII.

ATTO.|KAI. A. ATPH. KOMOΔOC. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Commodus.* Caput ejusdem laureatum.

ЄΠΙ. CTPA. BACCOT. AKPACIΩTΩN. Ἐπὶ Στρατηγȣ̃ Βάσσȣ Ἀκρασιωτῶν. *Sub Prætore Basso Acrasiotarum.* Diana Ephesia, ad cujus finistram adstat Fortuna tutulato capite, d. temonem, f. Cornu Copiæ gerens; in area stella.

NOster hic Acrasiotarum numus, maximi moduli, antiquior est omnibus, qui a Vaillantio exhibentur; quandoquidem primi apud illum sub Septimio Severo comparent. Acrasus ignoti situs, & prope etiam nominis. In *Notitiis Ecclesiasticis* ὁ Ἀκρασȣ̃, & Ἀκρασσȣ̃. *Acrasi Episcopus*, in Lydia nominatur. Forte ad Joniæ fines, haud procul Epheso sita erat, cujus Tutelarem Deam & hic noster, & alii Acrasiotarum numi, ab Eruditissimis Viris Harduino, & Vaillantio prolati, repræsentant.

LXIII.

M. ATP. KOMMOΔOC. ANTΩNINOC. K. Μάρκος Αὐρήλιος Κομμοδὸς Ἀντωνῖνος Καῖσαρ. *Marcus Aurelius Commodus Antoninus Cæsar.* Caput nudum ejusdem.

BIΘTNIЄΩN. *Bithynieorum.* Bos stans.

DE urbe Bithynio STEPHANUS: Βιθύνιον πόλις Βιθυνίας· ὁ οἰκῶν Βυθινιεύς. *Bithynium urbs Bithyniæ: incola Bithynieus.* Urbem hanc etiam Claudiopolin dictam fuisse, PTOLEMÆUS *Lib.* 5. perhibet: Κλαυδιόπολις, ἡ καὶ Βιθύνιον. Numus est ex ære parvo.



LXIV.

Λ. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΚΟΜΜΟΔΟC. Κ. *Lucius Aurelius Commodus Cæsar.* Caput nudum.

ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ЄΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΥ. Η. ΤΟ. Β. Βυζαντίων ἐπὶ Μ... Μάρκυ, Ἡγεμόνος τὸ Ϛ'. *Byzantiorum, sub M... Marco, Præside iterum.* Galea extensa.

DUo notatu digna hic numus in aversæ partis epigraphe subministrat. Primum ΕΠΙ. Μ. ΜΑΡΚΟΥ. ubi Marcus cognomen est; cum tamen notissimum alias, ac frequentissimum prænomen sit. Hoc vero comprobat numus Philippi Senioris apud Vaillantium: ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΜΑΡΚΟΥ. ΑΡΧ. ΠΡΩ. ΚΗΒΗCCΕΩΝ. ubi Marcus manifestum est cujusdam ex Aurelia gente cognomen. Quare in nostro numo primum Μ. non *Marcus*, sed probabilius aliquo nomine familiæ efferendum putarem, cujus prima litera Μ. habetur; cujusmodi bene multas reperias, ut hic certa lectio statui non possit. Quod vero alias τὸ Μ. *Marci* prænomen valeat, non obest. Nam & litera Π. & apud latinos P. *Publius* legi solet, quod æque tritum prænomen est, ac *Marcus:* & tamen in Trajani numo Galatico ostendimus, Π. ΒΑCCΟΥ. Non *Publium* sed *Pomponium Bassum* denotare, atque nomen, & non prænomen illic esse hoc elemento indicatum. Neque legere libet: Ἐπὶ Μάρκυ Μάρκυ. *Sub Marco, Marci filio.* Quando in Græcis numis exemplum extare non memini, ubi Pater, & filius, uno, & eodem omnino nomine compellarentur, citra adjectum aliquod discrimen.

Alterum notatu dignum est Η. ΤΟ. Β. quod legimus Ἡγεμόνος τὸ Ϛ'. *Præside iterum.* Viri Doctissimi Vaillantius, & Harduinus in Byzantino numo Lucillæ, epigraphen: ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Η. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. exposuerant: *Sub Ælio Pontico, Octavum* Archonte *Byzantiorum.* Cum tamen aut eodem prope tempore, aut potius serius sub Commodo idem Ponticus cum litera Β occurrat; ubi legit Vaillantius

tius ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. Β. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. *Sub Ælio Pontico iterum Archonte Byzantiorum.* Quare cum idem hic Ælius Ponticus vix potuerit sub Lucilla octavum, & sub Commodo iterum Archon esse: neque tanto numero consignati Archontes uspiam certo reperiantur; τὸ Η. non legendum esse *Octavum*, sed Ἡγεμόνος conficitur. Quod porro in nostro numo evincit Η. ΤΟ. Β. ubi sane Η. magistratum indicare debet, quem ΤΟ. Β. *iterum* gesserit hic Marcus, nempe Ἡγεμόνος, qui magistratus in Thraciæ numis consignari solet.

Atque his luculenter confirmatur, & mutuum sententiam nostram constabilit, lectio Cl. Haymii, qui in Thesauro Britannico numum Byzantinum protulit, ubi perspicue habetur: ΕΠΙ. ΑΙ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΗΓ. ut ita dubitandum porro non sit, Ἡγεμόνος, *Præsidis* magistratum in ære Byzantiorum signatum fuisse ante Septimium Severum. Jam vero ad illam lectionem Η. *Octavum Archonte*, Viros Clarissimos id induxisse videtur: deprehendi nempe in Byzantinis numis, tempore Septimii Severi cusis, *Archontes* manifesta hac nota ΑΡΧ. insertos. Verum, nisi ego fallor, id ipsum scrupulum injicere eisdem potuerat; cum hæc nota ΑΡΧ. in nullo Byzantino numo, quorum Vaillantius, & Harduinus meminere, ante Septimium, aut post Caracallam compareat.

Atque, si opponas numum M. Aurelii ΕΠΙ. ΑΡ. ΜΑΡΚΟΥ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. quem Vaillantius legit: *Sub Archonte Marco Byzantiorum.* Contra est: per solos Characteres ΑΡ. non solere Archontes designari; quando & ipsi Byzantini numi sub Severo, & Caracalla signati, τὸ ΑΡΧ. alioqui constanter exhibent. Accedit, Marci vocabulum hoc tempore, uti paullo ante ostendimus, etiam cognominis vicem subiisse; itaque merito suspicamur, ΑΡ. pro Μ. acceptum fuisse: quod suadet numus noster, qui eundem haud dubie Marcum, sub Commodo, *iterum* Præsidem exhibet, qui idem

munus *primum* ſub M. Aurelio geſſerat. Quod ſi hoc non admittatur, τὸ AP. nomen familiæ eſſe dicam, ut Arrius, Aruntius, aut aliud, cum cognomine Marci. Quod autem Vaillantius in Trajano, dum adfert numum: ΕΠΙ. ΤΡΑΙΑΝΟΥ. ΤΟ. Γ. ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. adjungat hæc verba: *in quibusdam numis* APX. *Archonte.* Sane illi *quidam numi*, ubi terrarum quærendi, aut an probe inſpecti, ac deſcripti ſint, nulla mentio, nulla certa ſignificatio. Quare illos numos interea pro ſuſpectis jure habeo, quorum tam perfunctorie Vaillantius meminit; qui vir Eruditiſſimus, etſi de re Numaria æque bene, ac alius nemo meritus ſit; in eo tamen opere, quod de Græcis Urbium numis confecit, accuratæ induſtriæ laudem non eſt omni ex parte aſſecutus: ſive ſua, ſive eorum culpa, qui editionem curaverant.

Denique ſententiam noſtram confirmare videtur Hiſtoricorum veterum egregia cum Byzantinis numis concordia. Xiphilinus *e Dione Lib. 74* refert: Byzantium a Severo, quod Peſcenii Nigri partibus ſtuduiſſet, libertatis, aliorumque honorum titulis exutum, ac tributarium factum fuiſſe, bonis civium publicatis. Narrat deinde Ælius Spartianus *de Antonino Caracalla cap. 2. Antiochenſibus, & Byzantinis interventu ſuo vetuſta jura reſtituit.* Jam vero numi Byzantinorum ſoli illi, qui ſub Severo, & Caracalla percuſſi, hactenus prolati ſunt, titulum APX. *Archontis* præ ſe ferunt, hac certa literarum, Archontem notantium, triade APX. expreſſum; unde probabiliter colligo Numos, APX. *Archontis* titulum exhibentes, ſignatos eſſe ſub Severo, & Caracalla, usque ad reſtituta per Caracallam jura: quandoquidem in quibusdam etiam Caracallæ numis Byzantinis τὸ APX. nomini Magiſtratus non habetur adſcriptum.

Et conveniens quidem videri poteſt: Byzantinos Romanorum gratiis, ſuisque juribus deſtitutos, ne Provinciæ quidem Romanæ membra agnitos fuiſſe: neque idcirco

circo licuisse ipsis Ἡγεμόνος *Præsidis* Magistratum signare, quem constat, Romanum proprie Magistratum fuisse, qui Provinciæ, Augustis adscriptæ, præesset; quem etiam, dum res integræ essent, ante Severum Byzantini consignarunt. *Archontis* porro duntaxat Magistratum male multatis Byzantinis fas erat monetis suis inserere, qui urbicus est Magistratus, ab Atheniensium gubernandi ratione, in alias Græcanicas urbes aliter, atque aliter propagatus, & multis olim oppidis communis. Quin ipsam hanc gratiam, ut numos signare, saltem Archontis Magistratu conspicuos, ipsis indulgeret Severus, videntur Byzantini, Caracallæ interventu, ante restitutionem in integrum statum pristinum, obtinuisse; cum Caracallæ, grati animi causa, Archontis titulum, quem summum tum in urbe haberent, in numo ejusdem tribuerent, quem e Gaza Regis Galliarum refert R. P. Harduinus ita inscriptum: ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ. ΕΠΙ. ΑΡΧ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. figura stans ipsius Caracallæ, Dea Præside urbis adstante.

Galea extensa in insigni hoc nostro magni moduli numo expressa, caput Byzantis galeatum denotat. Extat quippe apud Harduinum numus Byzantinus, caput galeatum exhibens, cum epigraphe ΒΥΖΑΣ. Fuit hic Byzas, teste Stephano Byzantino, Byzantii Conditor, quem cum Constantino Magno, Urbis hujus Ampliatore, & altero velut conditore composuit CLAUDIANUS *Lib. 2 in Eutrop.*

Hoc Byzas, Constantinusque videbunt?



LXV.

LXV.

- - - - ΚΟΜΟΔΟC. *Commodus.* Caput laureatum ejusdem.

ΚΑΙ. CΕΒ. ΙΕΡ. ΑCΥΛ. ΠΡ. ΠΑΝ. ΡϞΑ. Καισαρείας Σεβαςῆς Ἱερᾶς Ἀσύλυ πρὸς Πανείῳ. ϱϞα. *Cæsarea Augustæ, sacra, non violanda, ad Panium: anno 191.* Vir nudus stans, d. pateram, f. hastam; ad pedes serpens, cristatum caput altum erigens.

HÆc urbs, quæ in sacro Evangelio Cæsarea Philippi dicitur, Trachonitidi attribuenda est, a Græcis Paneas appellabatur; quod mons illic, & fons esset, Pani dicatus, qui Πάνεας, vel Πανεῖον dicebatur. Unde etiam in numis, qui sæpe Panis figuram exhibent, legitur: Πρὸς Πανείῳ, *ad Panium montem.* De hac urbe ita JOSEPHUS *Lib. 18. cap. 3.* Φίλιππος Πανεάδα, τὴν πρὸς ταῖς πηγαῖς τȣ̃ Ἰορδάνȣ κατασκευάσας, ὀνομάζει Καισάρειαν. *Philippus Paneadem, ad Jordanis fontes sitam, instaurans, Cæsaream nominavit.*

Epocham hujus Cæsareæ Vaillantius, & Norisius inchoant ab autumno anni V. C. 751. quo Philippus, teste Josepho, tertiam Regni Herodiani partem, in qua erat Trachonitis, ab Augusto obtinuit. In numo nostro, qui medii moduli est, numerus annorum 191. si addatur ad initium æræ 751. conficitur annus V. C. 942. usque ad autumnum, qui fuit Commodi decimus quartus, computando annos, quibus cum M. Aurelio imperavit.

Figuram illam nudam, & hastigeram, cum adjecto serpente, Bacchi esse simulacrum existimo, cui serpens variis titulis adsignatur S. CLEMENS ALEXANDRINUS *in Protrept.* refert: *Signum Bacchicorum Orgiorum esse initiatum serpentem.* Σημεῖον Ὀργίων βακχικῶν ὄφις ἐςὶ τετελεσμένος. Idem auctor Bacchantes, serpentibus coronatos, depingit; cui concinit CATULLUS, *de Bacchi comitibus:*

Pars se se totis serpentibus incingebat.

Originem hujus ritus attingit LILIUS GYRALDUS, *Syntagm. 8. de Baccho: Addunt fabulæ, Parcas ipsum anguibus cin-*

cinxisse, innoxie tamen pueri ora lambentibus. Plura de serpentum, cum Baccho, ejusque cultu, congruentia NONNUS *in Dionysiacis* sufficiet, & erudita dissertatio *de Cistophoris* R. P. PANELII Soc. J. *Lugduni 1734. edita.*





LXVI.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥ. ΚΟΜ. ΑΝΤΩΝΙΝ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Commodus Antoninus.* Caput laureatum.

ΜΗΤ. ΝЄΩ. ΝΙΚΟΜ. Μητροπόλεως Νεωκόρας Νικομηδίας. *Metropolis Æditua Nicomediæ.* Vir sedens, vestitu curto, & neglecto, capite nudo, dextra, ad ictum extensa, malleum attollit; sinistra, etiam extensa, clavum attinet, infigendum proræ navis, quæ adstituta visitur.

NOvus hic aversæ partis typus ipsa Naupegi figura indicare videtur: aut novam aliquam naves fabricandi artem reperisse Nicomedienses, aut classem constitutam, vel instauratam esse. Commodus, *(teste* LAMPRIDIO *in ejus vita cap. 17.)* Classem in Africam mittendam moliebatur, quæ ut promptius conficeretur, haud dubie etiam Asiaticis urbibus maritimis certus navium numerus imperatus fuerit; quod Nicomedienses alacriter se præstitisse, hoc numo significasse videntur. Numus est ex ære medio.

LXVII.

ΑΥ. Μ. ΑΥ. ΚΟΜΟΔΟC. *Imperator Marcus Aurelius Commodus.* Caput laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautalia.* Ceres ſtans, d. ſpicas, ſ. facem.

Eſt numus medii moduli. Cereris effigiem ſimilem vide in Numo Philippi Junioris Meſambrianorum.

LXVIII.

ΑΥ. ΚΟΜΟ. ΑΝΤΩΝΙΝΟ. *Imperator Commodus Antoninus.* Caput ejusdem laureatum.

ΠΕΛΛΑΙΩΝ. ϚΜC. *Pellæorum*, ſeu *Pellenſium, anno 246.* Vir ſtans, veſtitu neglecto, d. pateram porrigit, ſin. ſcipioni innititur.

Rariſſimus hic, & optime conſervatus parvi moduli numus novam nobis in ære veteri urbem oſtendit; cum nullus hujus Pellæ numus in Vaillantii, aut Harduini collectione extet. Pella alia Macedoniæ eſt, Magni Alexandri patria, quæ in monetis ſuis *Auguſtæ*, & *Coloniæ* titulos præ ſe fert. Græcum ejus urbis numiſma ΑΥΓ. ΠΕΛΛΗΣ. *Auguſta Pella* inſcriptum, Golzius produxit.

Ad hanc Pellam noſtrum numum non pertinere, præter fabricam, ac titulorum omiſſionem, optime indicat adſignatus annorum numerus; cum Europææ Græcorum urbes annorum notas numis ſuis non indiderint. Quare ad Pellam, in Decapolitana Syriæ, trans Jordanem ſitam, hic numus referri debet. Pellæ in Decapolitana meminit S. Hieronymus *in Topicis*, & S. Epiphanius *hæreſi 30.* Hæc eadem Pella eſt, in quam ſe primi Chriſti Sectatores e tumultibus Jeroſolymitanis receperant. Eusebius *Lib. 3. hiſt. Eccleſ. c. 5.* ita habet: Τοῦ λαοῦ τῆς ἐν Ἱεροσολύμοις Ἐκκλησίας κατά τινα χρησμὸν πρὸ τοῦ πολέμου, μεταναστῆναι τῆς πόλεως, καί τινα τῆς Περαίας πόλιν οἰκεῖν κεκελευσμένου· Πέλλαν αὐτὴν ὀνομάζουσιν. *Jeroſolymitanæ Eccleſiæ populus, oraculo quodam, juſſus*

jussus est urbe demigrare, & aliam quandam trans flumen urbem inhabitare, quam Pellam nominant.

Annorum numerus 246. numo insculptus, eundem plane huic Syriacæ Pellæ vendicat; quia initium Pellensis æræ cum Pompejana congruit, cujus initium ducitur ab autumno anni V. C. 691. quo Pompejus plures Syriæ urbes, Judæorum jugo ereptas, liberas esse jussit, & quæ idcirco hanc æram in monetis suis consignarunt. Itaque si ad 691. addas 246 conficies an. V. C. 937. usque ad autumnum, qui fuit annus Imperii Commodi nonus. Pellam porro hanc earum urbium unam fuisse, quas Pompejus libertate pristina donarat: testis est JOSEPHUS *Lib. 14. antiquit. cap. 4.* Τὰς δὲ λοιπὰς Ἵππον, καὶ Σκυθόπολιν, καὶ Πέλλαν &c. τοῖς οἰκήτορσιν ἀπέδωκε. *Reliquas vero urbes: Hippum, Scythopolin, & Pellam habitatoribus suis* (Pompejus) *tradidit.*

Præter Pellam hanc nostram, etiam Apamea Syriæ olim Pella dicta est, teste STRABONE *Lib. 16.* Atque id nominis, variis urbibus indidere Macedones, Syriæ Regno potiti, in memoriam, & honorem Pellæ Macedonicæ, Patriæ Alexandri. Apameæ vero nomen urbi illi a Seleuci uxore Apamea accessit. Ad hanc porro urbem numus noster non pertinet; cum ejusdem numos jam sub Augusto, cum solo Apameæ nomine, Cl. Vaillantius proferat. Neque ad alias urbes, Pellæ nomine insignes, numus revocari potest, quas recenset STEPHANUS, qui nostram Cœlesyriæ attribuit, latius sumptæ: Πέλλα πόλις Μακεδονίας, Ἀχαΐας, κοίλης Συρίας, ἡ Βοῦτις λεγομένη. *Pella urbs Macedoniæ, Thessaliæ, Achajæ, Cœlesyriæ, quæ Butis dicebatur.* Ὁ πολίτης Πελλαῖος. *Cives Pellæi vocantur.*







LXIX.

ΑΥΤ. ΚΑ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟC. *Imperator Cæsar Aurelius Commodus.* Caput laureatum.

ΠΡΟΥCAEWN. *Prusaorum.* Templum hexastylon.

Est hæc Prusa Bithyniæ urbs, diversa a Prusa ad Hypium montem, aut fluvium, in eadem Bithynia sita. Nostræ hujus Prusæ, Olympo monti affusæ, meminit Strabo *Lib.* 12. Προῦσα ἐπὶ τῷ Ὀλύμπῳ τῷ Μυσίῳ, κτίσμα Προυσίου τοῦ πρὸς Κροῖσον πολεμήσαντος. *Prusa, ad Olympum Mysiæ sita, opus est Prusiæ, qui adversus Crœsum bellum gessit.* Numus est elegans, ex ære medio.

LXX.

ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΚΟΜΟΔ. *Imperator Cæsar Marcus Commodus.* Caput laureatum.

ΤΥΡΑΝΩΝ. Β. *Tyranorum.* Aquila sertum rostro gestans.

Tyras urbs, & flumen Sarmatiæ Europææ, aut ut alii, Mœsiæ. Ptolemæus observat Tyram fluvium Daciam a Sarmatia dividere. Plinius *Lib.* 4. *Clarus amnis Tyras, oppido nomen imponens, ubi antea Ophiusa dicebatur.* Literam B. in unico hactenus, quod sciam, Tyranorum numo, sub M. Aurelio repertam, Cl. Vaillantius legerat *Anno secundo* Imperii. Verum cum hic sub Commodo, eadem litera B. deprehensa, & rursum inferius in numo Getæ proferenda sit; mallem, incognitam potius aliquam, dici notam, qualem etiam aliæ Ponti, ac Thraciæ urbes signaverant: ut Marcianopolitæ, & Odessitæ Є. Tomitæ

Γ. &

r. & Δ. Quod vero in Caracalla Tyranorum numum, litera Δ. inſcriptum, producturus ſim: id non dum conficit, annos Imperii eſſe a Tyranis ſignatos; nam alioqui ſimilis in Tomitarum numis varietas idem dicere nolentes cogeret. Verbo, fateri oportet: non dum omnia detecta eſſe, quid his, illisve notis Veteres indicatum voluerint; atque mirandum potius eſt, tot epigraphas explicari poſſe, quam paucas non poſſe. Parvi moduli numus eſt.

LXXI.

ΑΥ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΚΟΜΟΔΟΣ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Commodus.* Caput laureatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Philippopolitarum.* Pallas ſtans, d. pateram ſ. haſtam, ad pedes clypeus, & ſerpens ex una parte, ex altera ara.

PAlladis ſignum, Athenienſi ſimile, coluiſſe videntur Thraces Philippopolitæ; tale quippe deſcribit Pausanias *in Atticis cap. 24.* Τὸ δὲ Ἄγαλμα τῆς Ἀθηνᾶς ὀρθόν ἐστιν ἐν χιτῶνι ποδήρει . . . . ἐν δὲ τῇ χειρὶ δόρυ ἔχει, καὶ πρὸς τοῖς ποσὶν ἀσπίς τε κεῖται, καὶ πλησίον τοῦ δόρατος δράκων ἐστὶν, εἴη δ᾽ ἂν Ἐριχθόνιος οὗτος ὁ δράκων. *Palladis ſimulacrum rectum ſtat, in veſte talari* &c. *Altera manu haſtam habet: ad pedes ſcutum ſitum eſt; tum prope haſtam ſerpens eſt, qui Erichthonius eſſe poteſt.* Mediæ formæ numus.



LXXII.

ΑΥ. Κ. ΜΑΡ. ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Commodus.* Caput laureatum.

ΚΑΡΟΥΕΙΛΙΑΝΟΥ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Sub Carviliano, Philippopolitarum.* Aquila roſtro ſertum gerit, unguibus ſerpentem corripit. Numus eſt magni moduli.





LXXIII.

. . . . . Τιτιανὴ Σεβαςή. *Titiana Auguſta.* Caput Titianæ, quæ fuit conjux Pertinacis. In area ſignum Monetarii incuſum.

ΜυτιλΗΝαίων. *Mytilenaeorum.* Imperator Pertinax, equo gradienti inſidens, dextra elata.

HUnc eximiæ raritatis numum, qui magni moduli eſt, vulgavit ante nos Cl. Haym *in Theſauro Britannico*, e cujus typo, noſter, quoad omnia ſimilis, etſi inſcriptione extrita, agnitus eſt. Characteres omnino tenues huic numo inſculptos fuiſſe oportet; cum, iisdem abſumptis, figuræ tamen integræ remanſerint. De Mytilene Plinius *Lib. 5. Lesbos, in qua libera Mytilene.* In numis etiam inſcribitur: ΠΡΩΤΗ. ΛΕΣΒΟΥ. *Prima Lesbi.* Titianæ numos, alius urbis nomine inſignes, hactenus vulgatos non novi; præter Ægyptiacum unum in Cimelio Regis Chriſtianiſſimi, quem ibidem ſe vidiſſe *Illuſtriſſimus* Scipio Maffeius *Epiſtola ad Virum Cl. Apoſtolum Zeno* data teſtatur, ita inſcriptum: ΜΑΡΕΩΤΩΝ. L. A. *Mareotarum anno primo.*

LXXIV.



LXXIV.

ΑΥΤ. Κ. Λ. CΕΠΤ. CΕΟΥΗΡΟC. ΠΕΡΤ. ΑΥΓΟΥ. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Λεύκιος Σεπτίμιος Σευῆρος Περτίναξ Αὐγουστός. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax Augustus.* Caput laureatum Septimii Severi.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΟC. ΑΝΚΥΡΑC. *Metropolis Ancyra.* Figura nuda, expansis brachiis, quasi in libero aëre librata: ad sinistram anchora, supra quam parvula Sileni figura: supra caput nudæ figuræ aliquid, coronæ, aut inverso Caduceo simile, conspicitur.

ELegantissimus hic, magni æris, numus Bacchum referre videtur, in cœlum sublatum. Similem effigiem in sella quadam se conspexisse PAUSANIAS *in Laconicis c. 18.* Διόνυσον δὲ, καὶ Ἡρακλέα, τὸν μὲν παῖδα ἐς οὐρανὸν ὄντα ἔτι ἐστιν Ἑρμῆς φέρων &c. *Bacchum, & Herculem* illic vidi, *atque illum quidem, cum etiamnum puer esset, Mercurius in cælum ferens exhibetur* &c. Atque illud Bacchi capiti imminens, si quis recte consideret, inverso Caduceo non absimile est, quo Mercurius denotatus videri posset, cujus vi Bacchus in aëra libratus fingebatur. Porro Sileni adjuncta effigies, cum utre hircino a tergo, ut in numis referri solet, mihi persuaserat, hic Bacchum, in tenera ætate ad superos sublatum, exhiberi. Fuit enim Silenus Bacchi τροφεὺς, καὶ παιδαγωγός, *Nutritor, & pueritiæ Institutor*, uti eundem JULIANUS IMP. *de Cæsar.* appellat. Præterea Silenus a Mida, Ancyræ Conditore, captus illic erat; uti narrat PAUSAN.

At-

Attic. cap. 4. Καὶ κρήνη Μίδου καλουμένη· ταύτην οἴνῳ κεράσαι Μίδαν φασὶν, ἐπὶ τὴν θήραν τοῦ Σειληνοῦ. *Est etiam* (Ancyræ) *fons Midæ dictus: eum ferunt a Mida vino mixtum fuisse, ad capiendum Silenum.* Quod si cui illa Caducei forma minus placeret, & coronam potius existimet; nihil ita quoque, nisi Baccho proprium, deprehenderit. De urbe Galatiæ Ancyra, & cur Anchora adsignata sit, ad Caracallæ numum quædam adnotabuntur.







LXXV.

ΑΥ. Κ. Λ. СЄП. СЄΥΗΡΟС. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus.* Caput ejusdem laureatum.

ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ. ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. *Ulpianorum Anchialensium.* Fortuna stans, capite tutulato: d. temonem, s. Cornu Copiæ.

ANchiale alia Ciliciæ, alia Thraciæ urbs erat, ad mare Nigrum sita, de qua STRABO *Lib. 7.* Εἶτ' Ἀγχιάλη, πολίχνιον Ἀπολλωνιατῶν. *Deinde* (ad Pontum Euxinum) *Anchiale, urbecula Apolloniatarum.* Numos ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. hoc solo vocabulo inscriptos, ad Anchialen Ciliciæ referunt nonnulli; qui vero aut ΗΓΕΜΟΝΟC. *Præsidis* Magistratum, aut cognomen *Ulpianorum* præ se ferunt, eosdem Thraciæ adscribunt, propterea; quod Thraciæ urbibus proprium sit, eundem Magistratum, aut nomen aliquod ex Ulpii Trajani familia exhibere. Verum in Thracia, & Mœsia hodieque non paucos numos effodi, solo nomine ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. insignes, Amicus quidam meus, Numorum vete-

veterum indagator egregius, datis ad me literis monuit, qui easdem terras peragravit. Quare hi etiam numi, quibus præſertim fabricæ ſimilitudo favet, Thracicis Anchialenſibus non videntur eripiendi. Numus eſt medii moduli.

LXXVI.

AT. KA. CЄΠT. CЄTHPOC. *Imperator Cæſar Septimius Severus.* Caput laureatum.

OTΛΠIANΩN. AΓXIAΛEΩN. *Ulpianorum Anchialenſium.* Porta urbis cum muro, qui ambulacro, columellis ornato, coronatur: utrinque turris.

NOtatu digna eſt literæ Є. forma rotunda in parte numi antica, & in poſtica ejusdem literæ anguloſa illa forma E. Quam ſæpe falluntur, qui ex diverſis characterum formis continuo regulas cudunt, de diſcernenda monumentorum veterum ætate! Numus eſt medii moduli, in quo portæ effigies elegantior, atque in aliis, exhibetur.

LXXVII.

AT. K. A. CЄΠT. CЄOTHPOC. Π. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

OTΛΠIANΩN. AΓXIAΛEΩN. *Ulpianorum Anchialenſium.* Navis velo expanſo fluctibus innatans.

HIc majoris navis typus, præter maritimum urbis ſitum, etiam adventum aliquem Septimii Severi, aut navigationem, ex hac urbe ſuſceptam, indicare poteſt: quod occaſione belli, adverſus Peſcenium, & Parthos geſti, acciderit. Medii moduli numus.



LXXVIII.

ATT. K. A. CЄΠ. CЄΟΥΗΡΟC. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum.

ΚΡΗΤΙЄΩΝ. ΦΛΑΟΥΙЄ . . . *Cretiensium Flavianorum.* Ceres stans, d. spicas, s. hastam.

APud Ptolemæum in mediterraneis Bithyniæ. Φλαουιόπολις ἡ καὶ Κράτεια. *Flaviopolis, qua & Cratia.* Κράτεια, pro Κρήτεια, Dorica dialecto dictum est. In aliis quidem numis legitur Φλαουιοπολιτῶν· cum tamen in nostro Є. manifeste compareat, Φλαουιέων hic legendum est. Medii moduli est.

LXXIX.

ATT. K. A. CЄΠΤ. CЄΟΥΗΡΟC. ΠΕΡΤ. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΚΥΖΙΚΗΝ. ΝЄΟΚΟ. *Cyzicenorum Æedituorum:* In Corona laurea. Medii moduli est.

LXXX.

CЄΟΥΗΡΟC. *Severus.* Caput laureatum Septimii, sub cujus barba, aliud parvum caput adsignatum est.

ΜΑΝΤΙΝЄΩΝ. *Mantineorum.* Mulier ad aram stans, d. pateram, s. Cornu Copiæ.

PTOLEMÆUS in Arcadia: Ἀντιγονία ἡ καὶ Μαντινία. *Antigonia quæ etiam Mantinia.* Refert PLUTARCHUS *in Arato:* Achæos Antigoni ope occupatam Mantineam, Antigoniam appellasse. Rursum autem Hadrianus Aug. teste PAUSANIA *in Arcad.* Ἀφελὼν Μαντινεῦσι τὸ ὄνομα, τὸ ἐκ Μακεδονίας ἐπακτὸν, ἀπέδωκεν αὖθις Μαντίνειαν καλεῖσθαί σφισι τὴν πόλιν. *Auferens Mantineis nomen, a Macedonibus inductum, urbem ipsorum Mantineam iterum nominari concessit.* Numus est parvæ formæ.

LXXXI.







LXXXI.

ΑΥ. Κ. Λ. CЄΠ. CЄΟΥΗΡΟC. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum.

Υ. ΦΛ. ΟΥΛΠΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Ὑπὸ Φλαυΐυ Οὐλπιανȣ̃ Μαρκιανοπολιτῶν. *Sub Flavio Ulpiano, Marcianopolitarum.* Mulier ſtans, tutulato capite, d. pateram, ſ. Cornu Copiæ.

MArcianopolis, teſte Marcellino *Lib. 27. cap. 9.* a Marciana, Trajani ſorore, nomen deduxit. Zosimus *Lib. 1* eam Mœſiæ, idemque *Lib. 4.* Thraciæ attribuit. Ad Mœſiam item referunt Trebell. Pollio *in Claudio*, & Marcellinus *loco citato: Dein Myſia, ubi Marcianopolis eſt.* Mediæ formæ eſt numus.

LXXXII.

ΑΥΤ. Κ. Λ. CЄ. CЄΟΥΗΡΟC. ΑΥΤ. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Auguſtus.* Caput laureatum.

ΜЄΓΑΡЄΩΝ. *Megarenſium.* Ceres gradiens, facem utraque manu attollens.

STephanus: Μέγαρα πόλις περὶ τὸν Ἰσθμόν. *Megara urbs ad Iſthmum Corinthiacum.* Caput erat regionis Megaridis, ad Iſthmum, inter Atticam, & Phocidem. Simulacrum in averſa parte eſſe Cereris Μαλοφόρȣ, *Ovifera*, oſtendetur paullo inferius in Pagæorum numo, in quo eadem Cereris effigies arietem adſignatum exhibet. Admodum rari habentur Megarenſium numi: noſter medii moduli eſt.

LXXXIII.

Λ. CЄΠ. CЄ . . . . *Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum.

IЄPAC. NЄIKOΠOΛЄΩC. *Sacræ Nicopolis*, in Epiro. Mulier ſtans, turrito capite, d. haſtam, ſ. Cornu Copiæ; in area parva corona. Eſt mediæ formæ numus.



LXXXIV.

AYT. KAI. Λ. CEΠT. CEOYHPOC. Π. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum, cum ſigno Monetarii.

CEOYHPEIA. ΦIΛAΔEΛΦEIA. NIKAIEΩN. *Severiana*, & *Fraterno amori ſacra certamina, Nicæenſium.* Figura ſemi-nuda ſaxo inſidet, d. urnulam certaminum erigit, e qua ramus emicat: ad pedes Vas unius anſæ.

CErtamina hæc in honorem *Severi*, & *Fraterni Amoris*, qui inter Antoninum Caracallam, & Getam, ejusdem filios, eſſe debuerat, Nicæenſes Bithyniæ inſtituerunt. Videtur id factum fuiſſe, poſt obtentam primam per Severum de Peſcenio victoriam, in cruento prælio, quod prope Nicæam hanc commiſſum eſſe, Xiphilinus *e Dione Lib. 24.* Atque Severum ipſum Nicææ fuiſſe, idem libro ſequente meminit. Viri ſedentis figura, Ἀγωνοθέτης, aut Ἀθλοθέτης referri videtur, ad cujus pedes Vas adpoſitum, præmium victoris indicat. Nam pretioſa vaſa, & lebetes lu-

ludorum, ac certaminum fuiſſe præmia, ex ATHENÆO *L. 2.* ubi de Bacchi Certaminibus; & ex VIRGILIO diſcimus ÆNEIDOS *Lib. 5. v. 266.*

Tertia dona facit geminos ex ære lebetas;
Cymbiaque argento perfecta, atque aſpera ſignis.

Numus eſt perelegans magni moduli.

LXXXV.

ΑΥ. Κ. Λ. CЄΠΤΙ. CЄΟΥΗΡΟC. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum Severi, cum alio minori capite adſignato, quod vultu barbato Pertinacem referre videtur.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicæenſium.* Mulier ſtans, d. bilancem, ſ. Cornu Copiæ. Eſt mediæ formæ numus.

LXXXVI.

ΑΥ. Κ. Λ. CЄΠΤΙ. CЄΟΥΗΡΟC. Π. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicæenſium.* Hygia ſtans, d. pateram, ſ. ſerpentem. Iconem Hygiæ dedimus in numo Veri Peſſinuntiorum. Mediæ formæ eſt numus.



LXXXVII.

ΑΥΤ. Κ. Λ. CЄΠ. CЄΟΥΗΡΟC. ΠЄ. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicæenſium.* Figura virilis, veſte longa tecta, ſedens, d. pateram, ſ. haſtam. Solet hac effigie non raro Jupiter in numis exprimi. Medii æris numus eſt.

Gg 3 LXXXVIII.

LXXXVIII.

ΑΤ. Κ. Λ. ΣΕΠ. ΣΕΟΥΗΡΟΣ. ΠΕ. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΥΠ. Λ. ΟΟΥΙΝΙ. ΤΕΡΤΥΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΕΠ. ΙΣΤΡΩ. Ὑπὸ Λουκίου Ὀυινίου Τερτύλλου, Νικοπολιτῶν Ἐπ' Ἴστρῳ. *Sub Lucio Ovinio Tertullo, Nicopolitarum ad Istrum.* Mulier stans, d. pateram, s. hastam.

Nicopolis ad Istrum Mœsiæ, aut vicinæ Daciæ urbs, de qua MARCELLINUS *Lib. 31. Nicopolis, quam indicium Victoriæ contra Dacos Trajanus condidit Imperator.* Nomen Magistratus ΛΟΟΥΙΝΙ. *Lucius Ovinius*, legendum censeo, cognomine *Tertullus.* Nam Tertullum quendam, sub Marco Aurelio ad honores promotum fuisse, JULIUS CAPITOLINUS *in M. Antonio, cap. 29.* perhibet. Tertullus item, cum Clemente Consul fuit an. V. C. 948. Severi tertio; uti habent Fasti Consulares Biblioth. Cæsareæ, a Norisio editi. Tum Oviniam familiam senatoriam, & antiquam, hoc sæculo potentia, & opibus floruisse, colligimus ex ÆLIO LAMPRIDIO *in Alexand. cap. 48. Cum quidam Ovinius Camillus, Senator antiquæ familiæ delicatissimus rebellare voluisset* &c. Oviniæ familiæ antiquitatem etiam commendat TERENTIUS VARRO *de Re Rustica Lib. 2. Nomina multa habemus ab utroque pecore, a minore: Porcius, Ovinius, Caprilius; a majore Equitius* &c. Est in hoc medii moduli numo, præter familiæ nomen, rara etiam inscriptio ΕΠ. ΙΣΤΡΩ. cum in aliis ΠΡΟΣ. ΙΣΤΡΟΝ. vel ΠΡΟΣ. ΙΣΤΡΩ. legatur.

LXXXIX.

ΑΥΤ. Κ. Λ. ΣΕ . . ΣΕΥΗΡΟΣ. Π. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΥΠ. Λ. ΟΟΥΙΝΙΟΥ. ΤΕΡΤΥΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟ. ΠΡΟΣ. ΙΣ. *Sub Lucio Ovinio Tertullo, Nicopolitarum ad Istrum.* Fortuna stans, d. temonem, s. Cornu Copiæ.

In hoc medii æris numo, manca quidem est, uti effigies exhibet, aversæ partis inscriptio; sed ex præcedente numo integro certo expletur.

XC.



XC.

ΑΥ. Κ. Α. ϹΕΠ. ϹΕΥΗΡΟϹ. Π. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΥΠ. ΑΥΡ. ΓΑΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟϹ. ΙϹ. *Sub Aurelio Gallo Nicopolitarum ad Istrum.* Figura barbata decumbens, d. ramum tenens, & f. urnæ innixa, Istrum fluvium repræsentat: ad cujus pedes navis.

MEdiæ formæ numus, in quo barbata figura fluvium majorem, navis navigabilem, ramus loco arundinis, terras, quas alluit, fecundantem designat.

XCI.

Inscriptio, & Caput, eadem, quæ in numo proxime antecedente.

ΥΠ. ΑΥΡ. ΓΑΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩ. ΠΡΟϹ. Ι. *Sub Aurelio Gallo Nicopolitarum ad Istrum.* Bacchus stans, caput cincinnis, & corona ornatus, d. cantharum, f. thyrsum gerit; pedes cothurnis cincti, cætera nudus.

THyrsi forma hic eleganter exprimitur, foliis hederæ hastæ cuspidem obtegentibus; qua de re ita MACROBIUS *Lib. 1. Saturnal. cap. 19. Colitur etiam apud Lacedæmonios simulacrum Liberi Patris, hasta insigne, non Thyrso. Sed & cum Thyrsum tenet, quid aliud, quam latens telum gerit, cujus mucro hedera lambente protegitur.* Crinium Bacchi meminit HYMNUS *Lib. 1. Antholog.* qui Bacchum Ἁϐροκόμην, Εὐχαίτην. *Capillos molliter ornatum, & bene crinitum* compellat;

pellat; coronæ etiam Poëta idem non eſt oblitus, eundem Κισσοςέφανον, *hedera coronatum* ſalutans. Mediæ magnitudinis eſt numus.

XCII.

Inſcriptio, & Caput, uti in duobus præcedentibus.

ΥΠ. ΑΥ. ΓΑΛΛ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟC. I. *Sub Aurelio Gallo Nicopolitarum ad Iſtrum.* Minerva, galea caput tecta, ſtans, d. haſtam, ſ. clypeum. Medii moduli numus eſt.



XCIII.

ΑΥ. ΚΑΙ. CЄΠ. CЄΟΥΗΡΟC. *Imperator Cæſar Septimius Severus.* Caput laureatum.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟC. IC. *Nicopolitarum ad Iſtrum.* Figura nuda, uni pedi inſiſtens, d. extenſa, ſ. truncæ arbori innititur: crinibus hiſpidis, & ſubrectis frons aſſurgit.

Simili figura Pan ſolet in ære veteri exhiberi; certum tamen indicium deſideratur, quod alioqui eſt: ſeptem compacta cicutis fiſtula. Numus eſt e parvorum claſſe.

XCIV.

ΑΥ. Κ. Λ. C. CЄΥΗΡΟC. *Imperator Caſ. Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. I. *Nicopolitarum ad Iſtrum.* Hercules cum leone certans.

Narrat de Hercule Apollodorus *Lib. 2.* Ὀκτωκαιδεκαέτης τὸν Κιθαιρώνειον ἀνεῖλε λέοντα. *Duodeviginti annos natus Cithæroneum leonem ſuſtulit.* Et recte in hoc parvi æris numo

numo Hercules totus nudus repræsentatur; cum hujus deinde leonis exuviis pro amictu usus sit, id quod Apollodorus paullo inferius exequitur: Καὶ χειρωσάμενος τὸν λέοντα, τὴν μὲν δορὰν ἠμφιάσατο, τῷ χάσματι δὲ ἐχρήσατο κόρυθι. *Subacti leonis pellem sibi vestis instar circumdedit; rictum vero galea loco adhibuit.*

XCV.

AT. KAI. CЄ. CЄOTHPOC. *Imperator Cæsar Septimius Severus.* Caput laureatum.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Bos gradiens.

NUmus est parvi moduli. Bos aut victimam, aut læta pascua, & agriculturæ uberes proventus denotare videtur.



XCVI.

Eadem inscriptio, & caput, quæ in præcedente.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟC. ΙCΤΡ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Nemesis stans, d. pateram, f. flagellum, ad pedes rota.

DE Nemesi ad Numos Coloniarum egimus Hic numus ex ære parvo est.

XCVII.

Eadem inscriptio, & caput, quæ in prioribus.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟC. ΙCΤ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Mulier stans, d. pateram, f. hastam.

NUmus est parvi moduli. Typum habes paullo superius exhibitum Numo LXXXIII.

XCVIII.

AT. K. Λ. CЄTHPOC. *Imperator Cæsar Lucius Severus.* Caput laureatum.

NIKOΠΟΛ. ΠΡΟC. ICTP. *Nicopolitarum ad Istrum.* Caput Serapidis cum tutulo, seu modio.

CAput modio, vel tutulo ornatum, quale hic exhibetur, RUFFINUS *Lib. 2. cap. 23. histor. Eccles.* Vel Jovem, omnia mensura moderantem: vel Josephum, Ægypto de frumento providentem: vel denique Serapin, aut Apin quendam, Ægyptiis providentia sua perutilem, indicare censuit. MACROBIUS *Lib. 1. Saturn.* ita de Serapide: *Cujus vertex insignitus calatho, & altitudinem sideris monstrat,* (nempe Solis) *& potentiam capacitatis ostentat.* Numus est parvæ formæ.



XCIX.

AT. KAI. CЄTHPOC. *Imperator Cæsar Severus.* Caput laureatum.

NIKOΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ICTPO. *Nicopolitarum ad Istrum.* Signum lunæ bicornis, in media area stella, quam Venerem esse, aliqui suspicantur. Numus est parvi moduli.

C.

C.

ATT. KAI. CЄTHPOC. *Imperator Cæsar Severus.* Caput laureatum Septimii Severi.

NIKOΠOΛIT. ΠPOC. IC. *Nicopolitarum ad Istrum.* Figura semi-nuda Istri fluvii sedens, f. urnæ incumbit, & Cornu Copiæ gerit, d. erecta.

NUmus est ex ære parvo. Cl. Vaillantius, e compluribus, primique nominis Cimeliis, octo tantum Severi numos hac in urbe signatos protulit. Nos ex uno Cimelio tredecim alios adjicimus. Quod ipsum argumento est: alia semper, atque alia numismata proferri, & Græcorum numorum collectionem ingenti accessione locupletari posse; si eruditi hasce opes suas cum literato orbe communicare vellent.



CI.

ΛCЄΠΤΙΜΙΟC. CЄΟΥΗΡΟC. ΠЄΡΤΙΝ. Λύκιος Σεπτίμιος (Λ & C conjuncta sunt) Σευῆρος Περτινάξ. *Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput ejusdem laureatum.

ΠΑΓΑΙΩΝ. *Pagæorum.* Ceres, utraque manu facem contollens, super saxo graditur: eandem præcedit aries.

PAgæ, vel Pegæ Megaridis oppidum, de quo PAUSANIAS *in Attic. cap. 44.* Ἡ δὲ ὀρεινὴ τῆς Μεγαρίδος, τῆς Βοιωτῶν ἐςὶν ὅμορος, ἐν ᾗ Μεγαρεῦσι Πηγαὶ πόλις ᾤκισαι. *Montana regio Megaridis Bœotiæ finitima est: in illa Pegæ oppidum a Megarensibus conditum est.* Urbem hanc etiam Thucydides

Atticus appellat Πηγαί. *Pegæ.* sed PTOLEMÆUS, & STRABO *Lib. 8.* atque PLINIUS *Lib. 4.* scribunt Παγαί. *Pagæ.* & incolas *Pagæos* nominant. Pegæ dicta est, cum ad Atticam pertineret; subinde, teste PAUSANIA *Attic. cap. 39.* Μεγαρεῖς ἤθη, καὶ φωνὴν μεταβαλόντες Δωριεῖς γεγόνασι. *Megarenses mores juxta, ac loquendi rationem mutantes, Dorienses facti sunt.* Quare etiam Dorica dialecto, Megarensium hæc urbs ΠΑΓΑΙ. deinceps, non ΠΗΓΑΙ. æri insculpta habetur.

De aversæ partis figura rursum e Pausania habeo, quæ adferam; nam is loco citato refert: In descensu ex urbe Megara ad navale, occurrere *Templum Cereris Ovifera*, Ἱερὸν Δήμητρός ἐστι Μαλοφόρου. Ejus compellationis originem ita attingit: Λέγεται δὲ ἄλλα ἐς τὴν ἐπίκλησιν, καὶ τοὺς πρώτους πρόβατα ἐν τῇ γῇ θρέψαντες Δήμητρα ὀνομάσαι Μαλοφόρον. *Inter alia, quæ de nominis hujus impositione narrantur, ferunt: qui primi in Megaride terra oves pascebant, Cererem* Μαλοφόρον *compellasse.* Dorice hic rursum Μαλοφόρος, pro Μηλοφόρος, *Ovifera* dicitur; quanquam etiam τὸ Μαλοφόρος, *lanifera* reddi possit, cujus significatio, hic quidem, eodem recidit. In nostro porro numo hanc Cererem referri, tum Aries præcedens, cum similis Cereris effigies in numo ΜΕΓΑΡΕΩΝ. superius exhibita, conficiunt.

Singularis raritatis est hic medii moduli numus; cum hujus urbis nomen hactenus in numis, quod sciam, non sit conspectum: aversæ etiam partis typum, qualis hic habetur, alibi me vidisse non memini. De hac urbe ita STEPHANUS: Πηγαὶ παροικία Μεγαρέων· Οἱ οἰκήτορες Πηγαῖοι. *Pegæ Megarensium habitatio: habitatores Pegæi dicuntur.*





CII.

CII.

- - - - - CЄΠΤΙ. CЄΟΥΗΡΟC. ΠЄΡ. *Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautalia.* Figura ſedens, ſ. haſtam.

MAgni moduli: ejusdem moduli, & urbis eſt alius Pautaliæ numus noſtri Cimelii, aquilam referens, quæ roſtro coronam fert, & globo inſiſtit; qui parum a Vaillantiano difert.

CIII.

ΑΥΤ. Λ. CЄΠΤΙ. CЄΥΗΡΟC. ΠЄΡ. *Imperator Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput ejusdem laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautaliæ.* Ceres ſtans, velato capite, d. ſpicas, & papaver, ſ. facem prælongam tenet: ad pedes modius. Mediæ formæ eſt.



CIV.

Α. Κ. Λ. CЄΠ. CЄΥΗΡΟC. Π. *Imperator Cæſar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautaliæ.* Bacchus ſtans, d. cantharum, ſ. thyrſum, totum foliis ornatum gerit.

NUmus hic, qui magni moduli eſt, aliam a prioribus thyrſi formam ob oculos ponit.



CV.

ΑΥ. Κ. Λ. ϹЄΠ. ϹЄΥΗΡΟϹ. Π. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΠЄΡΙΝΘΙΩΝ. ΝЄΟΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum Æredituorum.* Mulier stans ad aram, d. pateram s. Cornu Copiæ. Mediæ formæ est.

CVI.

ΑΥΤ. Κ. Λ. ϹΕΠΤ. ϹΕΥΗΡΟϹ. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum.

- - - - - - ϹΑΡΔΙΑΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sardianorum iterum Æredituorum.* Figuræ Pactoli fluvii decumbens, d. arundinem, s. urnam.

Σάρδις πόλις Λυδίας . . . ὁ πολίτης Σαρδιανός. *Sardes Urbs Lydiæ . . . Incolæ Sardiani dicuntur.* Ita Stephanus. De fluvio Plinius *Lib. 5. Lydia celebratur Sardibus, in latere Tmoli montis, & ex eo profluente Pactolo, eodemque Chrysorrhoa.* Magni moduli numus est.

CVII.

- - - - - - Inscriptio capitis vetustate extrita est: Caput laureatum Septimii Severi.

ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ. ΕΛΡ. *Trapezuntiorum, anno 135.* Deus Lunus Eques, pileo Phrygio caput tectus.

Clariss. Patinus, & Vaillantius similem medii æris numum, si typum aversæ partis sine epocha spectemus, protulerunt. Patinus ex Epigraphe ΤΡΑΠΕΖ. feliciter conjecit: ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ. legendum esse. Vaillantius ΤΡΑ-

ΠΕ-

ΠΕΖΟΥΠΟΛΕΩC. reddidit, ac ad Trapezopolin Phrygiæ retulit. Vereor ne ΤΡΑΠΕΖ. vel ΤΡΑΠΕΖΟΥ. in numo lectum, Vaillantius compleverit. Utut sit, noster hic ad Trapezuntem certo pertinet, Ponti Cappadocici urbem; cum ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤ. perspicue legatur. Præterea annorum notæ, quæ a nemine, quod sciam, hactenus in ære veteri deprehensa sunt, hic integræ comparent.

Trapezuntiorum æra statuenda videtur anno V. C. 816. Æræ Christianæ 63. Neronis decimo, ab autumno: quo anno celebre illud in Armenia bellum, adversus Vologesen Parthorum Regem, & ejus fratrem Tiridaten gestum, a Corbulone honorifice terminatum est, & coactus est Tiridates detractum capiti diadema Neronis imagini substernere. Refert hæc Theodosius *ex Dionis Lib. 62.* & Tacitus *Lib. 15. Annal. cap. 26.* Hoc vero in bello Trapezuntios magno Romanis auxilio fuisse, idem scriptor *Lib. 13. cap. 39.* ita enarrat: *Rex* (Tiridates) *sive fraudem suspectans, quia plura simul in loca ibatur, sive ut commeatus nostros Pontico mari, & Trapezunte adventantes interciperet, propere discedit.* Quare Privilegiis ornata Trapezus ab hoc fortasse anno (quo videtur Pontus Polemoniacus, teste Suetonio *in Nerone cap. 18.* in Provinciæ formam redactus esse) æræ hujus suæ initium duxerit. Nam si anno V. C. 816. adjungas 135. numo insertos, devenies ad annum V. C. 951. usque ad autumnum, qui fuit Imperii Septimii Severi sextus.

Trapezuntem Tacitus *Lib. 3. histor. cap. 47. Vetustam Asiæ civitatem, a Græcis in extrema Pontica ora conditam*, appellat. Stephanus: Τραπεζοῦς πόλις πρὸς τῷ Εὐξείνῳ Πόντῳ Σινωπέων ἄποικος . . . ὁ πολίτης Τραπεζούντιος. *Trapezus urbs ad Pontum Euxinum, Sinopensium Colonia. Incola Trapezuntius dicitur.*

CVIII.



CVIII.

Λ. ϹЄΠΤ. ϹЄΟΥΗΡΟϹ. ΠЄΡΤΙΝ. ϹЄ. *Lucius Septimius Severus Pertinax Augustus.* Caput laureatum.

ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ. *Træzeniorum.* Victoria gradiens, d. sertum, s. palmæ ramum.

STEPHANUS: Τροιζὴν πόλις Πελοποννήσου, τὸ ἐθνικὸν Τροιζήνιος. *Træzen urbs Peloponesi, gentile Træzenius.* Verum duas ejus nominis urbes Peloponesus complectebatur, quarum altera minus nota, in Messenia a Ptolemæo locatur: altera celebrior in Argolide erat; præter alios PAUSANIAS *in Corinth. cap. 30* ita de ea: Ἴσχυον δὲ οἱ παῖδες μᾶλλον, οἱ Πέλοπος· σημεῖον δὲ, ἀποθανόντος γὰρ Τροιζῆνος, Πιθεὺς τὴν νῦν πόλιν, συναγαγὼν τοὺς ἀνθρώπους, ὀνόμασεν ἀπὸ τοῦ ἀδελφοῦ Τροιζῆνα, συλλαβὼν Ὑπερειάν τε, καὶ Ἄνθειαν. *Invaluerunt autem Pelopis filii; cujus indicium erat, quod Træzene e vivis sublato, Pitheus eam, quæ nunc est, urbem a fratris sui nomine Træzenem dixerit, congregans populos, & Hyperiam, Anthiamque in unam urbem conjungens.* Ad hanc, quippe celebriorem Trœzenem, numos ΤΡΟΙΖΗΝΙΩΝ, & nostrum etiam refero, qui mediæ formæ est.

CIX.

ΑΥΤ. Κ. Λ. ϹЄΠΤ. ϹЄΥΗΡΟϹ. Π. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Philippopolitarum.* Hygia stans, d. serpentem, s. pateram; a dextris adstat Telesphorus, solito vestitu ornatus.

TElesphorus credebatur morbis finem, seu perfectam sanita-

nitatem adferre, quasi τὸ τέλος φέρειν. De ejus cultu PAUSANIAS *Corinth. cap. 11.* Τῷ δὲ Ἀλεξάνορι, καὶ Εὐαμερίωνι, καὶ γὰρ τούτοις ἀγάλματά ἐστι, τῷ μὲν ὡς ἥρωι, μετὰ ἥλιον δύναντα ἐναγίζουσιν· Εὐαμερίωνι δὲ ὡς θεῷ θύουσιν. Εἰ δὲ ὀρθῶς εἰκάζω, τὸν Εὐαμερίωνα τοῦτον Περγαμηνοὶ Τελεσφόρον ἐκ Μαντεύματος, Ἐπιδαύριοι δὲ Ἀκέσιον ὀνομάζουσι. *Alexanori, & Evamerioni (quando & horum simulacra habentur) illi quidem, ut Heroi, post solis occasum sacra faciunt; Evamerioni vero tanquam Deo sacrificant. Atque, si recte conjicio, Evamerionem hunc Pergameni Telesphorum, ex Oraculo quodam, appellant: Epidaurii autem Acesium* Eandem fere notionem, ac Τελεσφόρος, habent alia duo nomina Εὐαμερίων, seu Εὐημερίων, & Ἀκέσιος, *salubres dies, & sanitatem præstans.* Medii moduli numus est.



CX.

ΙΟΥ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒ. Ἰουλία Δόμνα Σεβαστή. *Julia Domna Augusta.* Caput Juliæ, uxoris Septimii Severi.

ΓΑΖΑ. ЄΙѠ. *Gaza, Jo.* Duæ figuræ muliebres stantes, dextras jungunt: earum altera capite turrito: in medio character ignotus. ꟷ

IN Palæstina, post recensitam Azotum, & Ascalonem, Gazæ meminit STRABO, *Lib. 16.* Εἶθ' ὁ Γαζαίων λιμὴν πλησίον. *Deinde in propinquo est Gazensium portus.* Gazam *Jonen* dictam esse, a maritimo Jus in eam urbem adventu, e Stephano erudite, cum aliis pluribus Gazæ memorabilibus, adnotavit *Eminentissimus* NORISIUS *de Epochis Syromaced. Dissert. 5. cap. 3.* Nullum hujus urbis numum, hac

ſub Julia, Vaillantius attulit; noſter parvi moduli eſt, in quo Annorum notæ, inſcribi ſolitæ, non compareat.







CXI.

ΙΟΥΛΙΑ. ΑΥΓΟΥϹΤΑ. *Julia Auguſta.* Caput Domnæ.

ΔΑΜΑϹΚΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΟ. *Damaſci Metropolis.* Caput muliebre in templo tetraſtylo.

DAmaſcus celebris Syriæ Phœnices urbs (de qua in Appendicula ad numos Coloniarum jam quæpiam adnotavimus) *Coloniæ*, *Metropolis*, & *Sacræ* titulis diverſo in ære inſignis comparet. Templi typus in hujus urbis numis rarus eſt. Caput illud Deæ Syriæ, ſeu Aſtartes eſſe exiſtimo, cui ædes iſta ſacra fuerit. Laudat ſane Damaſcum a templorum magnificentia JULIANUS IMPERATOR, *Epiſt. 24. ad Serapionem*: Τὴν ἱερὰν, καὶ μεγίστην Δάμασκον λέγω, τοῖς τε ἄλλοις ἅπασιν, οἷον ἱερῶν κάλλει, καὶ νεῶν μεγέθει . . . . . νικῶσαν. *Sacram, maximamque Damaſcum dico, aliis omnibus & ſacrorum decore, & magnitudine templorum ſuperiorem.* Numus eſt medii moduli.

CXII.

ΙΟΥΛΙΑ. CЄΒΑϹΤΗ. *Julia Auguſta.* Caput ejusdem.

ΙΟΥΛΙΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Juliopolitarum.* Lunus eques, pileo Phrygio caput tectus; a tergo Lunæ falcatæ ſignum.

JUliopolitæ iſti diverſi eſſe videntur a Julienſibus, qui in Phrygia collocantur. Nam Juliopolitarum ſingillatim in Bithynia meminit PLINIUS *Lib. 5. Intus in Bithynia Co-*

Colonia Apamena, *Agrippenses*, *Juliopolitæ*. Numus est mediæ formæ.

CXIII.

ΙΟΥΛ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒ. *Julia Domna Augusta*. Caput ejusdem.

ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. *Laodicensium*. Ceres videtur, altera manu spicas, altera facem ferens.

LAodicea, ad quam hic numus refertur, in Cariæ, & Phrygiæ confiniis sita erat; eandem alluebant Lycus, & Caper fluvii: uti exhibet numus Commodi, in Gaza Regis Galliarum, qui amborum fluviorum nomina, & simulacra exhibet: ΛΑΟΔΙΚЄΙΑ. ΛΥΚΟC. ΚΑΠΡΟC. PLINIUS *Lib.* 5. tertium adjicit Asopum fluvium. Huic Laodiceæ attribui solent numi, ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. inscripti, sine aliis titulis, aut disterniculis adsignatis. Est numus parvi moduli.



CXIV.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒΑ. *Julia Domna Augusta*. Caput ejusdem.

ΝΙΚΟΜΗΔЄΩΝ. ΔΙC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. Mulier stans, d. pateram, f. hastam; a sinistra incusum signum Monetarii, uti videtur.

NIcomedia percelebris Bithyniæ urbs; de ea STEPHANUS: Νικομήδεια πόλις Βιθυνίας, ὁ πολίτης Νικομηδεύς. *Nicomedia urbs Bithyniæ, incola Nicomedeus.* Eam ita extollit ZOSIMUS *Lib.* 1. Νικομηδίαν μεγίστην οὖσαν, καὶ εὐδαίμονα, διά τε πλοῦτον, καὶ τὴν εἰς ἅπαντα εὐπορίαν ὀνομαστοτάτην. *Nicomediam, quæ*

maxima est, & felix, atque opibus, omniumque rerum affluentia celeberrima. Numus est mediæ formæ.

CXV.

ΙΟΥΛ. ΔΟΜ. CЄΒΑCΤ. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Corbis vimineus, frugibus refertus, anni, aut soli fecunditatem indicans. Numus parvi moduli est.

CXVI.

ΙΟΥ. ΔΟΜ. CЄΒΑCΤ. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Aquila rupi insistens, lauream rostro gerit. Parvi moduli numus.



CXVII.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CЄΒ. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

ΟΥΛΠ. ΝΙΚΟΠΟΛЄΩC. ΠΡ. ΜЄCΤ. Οὐλπίας Νικοπόλεως πρὸς Μεςῷ. *Ulpiæ Nicopolis ad Mestum.* Diana gradiens; typus habetur in Faustinæ numo Cyziceno.

IN mediterraneis Thraciæ hæc urbs a Ptolemæo locatur: Νικόπολις ἡ περὶ Νέσον. Ubi certe Νέσον scribarum esse mendum existimo; cum in Numis non nisi ΜЄCΤΩ, aut ΝЄCΤΩ legatur; atque adeo nomen fluvii *Mestus*, aut *Nestus*, non vero *Nessus*, vel *Nesus* erat. Rari sunt hujus urbis numi, & sub Julia Domna nullum Vaillantius offendit; noster est medii moduli.

CXVIII.

CXVIII.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CΕΒ. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ. *Pautaliotarum.* Diana gradiens, ad pedes canis. Typum vide in Numo Caracallæ Ἀδριανοπολειτῶν.

DE Pautalia, & Pautaliotis dictum est ad M. Aurelii numum: hic mediæ formæ est.

CXIX.

Eadem Capitis inscriptio, & figura, quæ in antecedente.

ΠΑΥΤΑΛΙΩΤΩΝ. *Pautaliotarum.* Mulier stans, tutulato capite, d. temonem globo insistentem, f. Cornu Copiæ. Mediæ formæ est.



CXX.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CΕ. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. *Ulpiæ Serdicæ.* Venus investis stans, altera manu pectus, altera tegenda tegit.

VIderi posset in hoc medii moduli numo Veneris Cnidiæ simulacrum referri; nisi altera manu pectus tegeret, quod in Cnidiorum numo, & simulacro non item est.



CXXI.

Eadem, quæ in præcedente, utriusque partis inſcriptio.

Pallas ſtans, capite galeato, d. ſcutum, ſ. haſtam præpilatam. Eſt ex ære medio perelegans.

CXXII.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CΕ. *Julia Domna Auguſta.* Caput ejusdem.

ΜΗΤΡΟ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΕΩC. *Metropolis Philippopolis.* Caput muliebre turritum, & velatum. Numus eſt mediæ magnitudinis.

CXXIII.

- - - - ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. M. Aurelius *Antoninus*, Severi filius, dictus Caracalla; caput laureatum ejusdem.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Bacchus nudus ſtans d. botrum, ſ. thyrſum; caput videtur coronatum.

HAdrianopolis, ſuo etiam nunc nomine celebris, Thraciæ urbs, olim Oreſta dicta eſt, atque in Hadriani Auguſti honorem nomen mutavit, teſte Æl. Lampridio *in Elagab.* Bacchi cultum in Thracia floruiſſe credibile eſt, tum ob vini generoſi proventum; tum ob id, quod refert Apollodorus *Lib. 3.* Διελθὼν δὲ Θρᾴκην, καὶ τὴν Ἰνδικὴν ἅπασαν, στήλας ἐκεῖ στήσας ἧκεν εἰς Θήβας. *Bacchus, peragrata Thracia, atque India omni, ſtatutis illic columnis, venit Thebas.* Numus eſt parvi moduli.

CXXIV.



CXXIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Αὐρήλιος Σευῆρος Ἀντωνεῖνος. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Protome Caracallæ d. haſtam, & ſ. ſcutum oſtentantis.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Diana venatrix gradiens, ad pedes canis. Mediæ magnitudinis numus.



CXXV.

ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΑΥΓΟΥCΤΟC. *Antoninus Auguſtus.* Caput laureatum Caracallæ.


ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩC. ΑΝΚΥΡΑC. *Metropolis Ancyræ.* Figura ſedens muliebri veſtitu, d. urnam Certaminum porrigit, ex qua ramus palmæ emicat, ſ. anchoræ innititur.

ANcyra alia Phrygiæ erat, quæ etiam (uti alibi mentio inciderat) Ἄγκυρα Συνάυ, *Ancyra ad Synaum*, compellata fuerat. Sed hanc metropolim fuiſſe, non conſtat. Altera Ancyra, cui noſtrum, magni moduli, numum adſcribimus, Galatiæ metropolis erat. *Notitia Eccleſ.* Ἐπαρ-

χία

χία Γαλατίας . . . . Ἄγκυρα Μητρόπολις. *Provincia Galatia . . . . Ancyra Metropolis* Numi hujus, & ejus, quem ſub Septimio Severo retulimus, typus anchoram exhibet, cui hic Genius urbis innititur, ludos celebratos porrecta urna indicans. Anchora vero Græcis Ἄγκυρα nomen urbis, ejusque originem denotat; qua de re ita PAUSANIAS *Attic. cap. 4.* Ἣν Μίδας ὁ Γορδίου πρότερον ᾤκισεν. Ἄγκυρα δὲ, ἣν ὁ Μίδας ἀνεῦρεν, ἦν ἔτι καὶ ἐς ἐμὲ ἐν ἱερῷ Διός. *Quam urbem Midas, Gordii filius, primum extruxit. Anchora vero, quam Midas invenerat, meo adhuc tempore in templo Jovis extabat.*







CXXVI.

ΑΥΤ. ΚΑΙCΑ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟC. *Imperator Cæſar Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΠΟΜΠΗΙΤΩΝ. ΓΑΔΑΡЄΩΝ. ЄΤ. ΝΟC. *Pompeitarum Gadarenſium anno 277.* Nam τὸ Ν. eſt Ζ. alio ſitu inſculptum. Navis, multis remigibus inſtructa, & vexillo proræ impoſito: in puppi figura ſeorſum ſedens.

NUllum Gadarenſium numum ſub Caracalla Vaillantius exhibet; neque ullus, quod ſciam, hactenus productus eſt, qui cognomen πομπηιτῶν, integre expreſſum oſtenderit. Nam in Gadarenſium ære hactenus tantum ΠΟΜΠ. repertum eſt, quod Eruditiſſimus Noriſius Πομπηιανῶν integre reddendum putavit.

Gadaram FLAV. JOSEPHUS *Lib. 13. Antiqu. cap. 21.* in Cœleſyria locat: idemque *Lib. 14. cap. 4.* author eſt *Gadaram* a Pompejo *inſtauratam fuiſſe, quæ paullo ante everſa fuerat.*

fuerat. Καὶ Γάδαρα μὲν, μικρὸν ἔμπροσθεν κατασκαφεῖσαν, ἀνέκτισε. Hinc merito Epocham, Gadarensium in ære signatam, ab ab hac instauratione orditur Eminentiss. Norisius, atque ejusdem initium autumno anni V. C. 690. affigit, quo Pompejum in Syria Cœle fuisse e Dione, & Josepho constat.

Congruit cum hac epocha noster, magni moduli, numus, in quo legitur annus 277. Nam si annis V. C. 690. addas 277. habes annum V. C. 967. usque ad autumnum, qui fuit Caracallæ tertius, post mortem Patris. Triremis in hoc numo expressa forma etiam in Elagabali numis reperitur; qua Doctissimus P. Harduinus aut, ut communi symbolo, felicitatem, aut proprio, Pompeji adversus Piratas celeberrimas victorias indicari existimat.

CXXVII.

AT. KAI. M. AYPH. ANTΩNINOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ZΗΛΙΤΩΝ. TOY. ΠΟΝΤ. ЄΤ. CMB. *Zelitarum in Ponto, Anno 242.* Templum sex columnarum, peregrina Architectonices methodo constructum.

ZEla Ponti ad Cappadociam urbs, de qua STRABO *L. 12.* Ἡ δὲ Ζηλῖτις ἔχει πόλιν Ζηλα, ἐπὶ χώματι Σεμιράμιδος τετειχισμένην, ἔχουσαν τὸ ἱερὸν τῆς Ἀναΐτιδος. *Zelitis regio urbem habet Zela, in aggere Semiramidis extructam, in qua habetur templum Anaitidos.* Summam porro isthic fuisse Anaitidos venerationem, idem auctor paullo inferius, & *Lib. 11.* declarat: Ἐστὶ δὲ ἱεροδούλων πόλισμα τὸ πλέον. *Urbs hæc a sacrificulis maximam partem incolitur.* Quare nullus dubito in hoc nostro mediæ formæ numo celebre illud Anaitidos templum referri. Quæ porro Dearum Anaitis dicta sit, apud PAUSANIAM *in Laconicis cap. 16.* reperi: Καὶ τὸ διαμεμένηκεν ἔτι καὶ νῦν τηλικοῦτο ὄνομα τῇ Ταυρικῇ Θεῷ· ὥστε ἀμφισβητοῦσι μὲν Καππάδοκες, καὶ οἱ τὸν Εὔξεινον οἰκοῦντες, τὸ ἄγαλμα εἶναι παρὰ σφίσιν· Ἀμφισβητοῦσι δὲ καὶ Λυδῶν, οἷς ἐστὶν Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος. *Et*

etiamnum nomen iſtud Taurica Dea (Dianæ) *permanſit; atque adeo dubitant Cappadoces, & Euxini accolæ: ſitne apud ſe illud Deæ ſignum? Dubitant etiam Lydi, qui Dianæ Anaitidos ædem habent. Anaitis* Diana dicta eſt, uti opinor, quod nulla certa, ac fixa habitatione uteretur, per ſilvas errare ſolita, uti ab HORATIO: *Montium Cuſtos, nemorumque Virgo*, ſalutatur. Nam ναίω, vel νάω *habitare* ſignificat, unde Ἀναῖτις *habitatione carens* formari poterat.

Rarioribus accenſendi ſunt Zelitarum numi, cum tres tantum Vaillantius protulerit; Idem Vir Cl. initium æræ Zelitarum ducit ab anno V. C. 707. quo Cæſar Pharnacem vicit. 707 + 242 = 949 quo anno usque ad autumnum fluxit annus Zelitarum ducenteſimus quadrageſimus ſecundus, Antonini Caracallæ, conſtituti *Imperatoris*, primus. Mallem tamen Epochæ originem a Pompejo deducere, qui teſte STRABONE *Lib. 11. & 12.* Zela, conductis habitatoribus urbem conſtituit. Tum vero æra hæc inchoaretur an. V. C. 706. quo necatus eſt Pompejus. Poterat vero Caracalla an. 948. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ſignari, cum eo anno in latinis ejusdem numis legatur: DESTINATO. IMPERATORI. Severo autem tum in Meſopotamia bellum gerente, multo antea Zelitæ, quam Romani Caracallam *Imperatorem* in ære ſuo ſalutare potuerant.

CXXVIII.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. *Imperator Cæſar, Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΘЄΑϹ. ϹΥΡΙΑϹ. ΙЄΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Deæ Syriæ Hieropolitarum.* Cybele ſedens inter duos leones, d. ſceptrum, capite turrito.

Hierapolis, ſeu Hieropolis altera Phrygiæ, altera Syriæ erat in Cyrrheſtica regione. Ad Syriacam hic mediæ formæ numus referendus eſt, quod inſcriptio prodit. Quod vero Cybele cum inſcriptione ΘЄΑϹ. ϹΥΡΙΑϹ. *Deæ Syriæ,*

Syria, exhibeatur, quo nomine alioqui Astarte venit, cui leones non attribuuntur; id ita solvit P. Harduinus: Cybelem compellari titulo ΘЄAC. CΥPIAC. ita, ut vocetur Dea Syriæ CΥPIAC. & non Dea Syria, vel Syriaca, quod Astarten denotet. Verum Syriam etiam Deam fuisse ab Hieropolitanis cultam, & situm ejus urbis adnotavit STRABO *Lib. 16.* Ὑπέρκειται τοῦ ποταμοῦ σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν, καὶ Ἱερὰν Πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ Τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὰν τὴν Ἀτεργάτιν. *Trans flumen* (Euphraten) *quatuor Schœnorum spatio est Bambyce, quam etiam Edessam, & sacram urbem* (Hieropolin) *appellant. In ea Syriam Deam colunt, Atargatin dictam.* Atergatis, seu Atargatis eidem Straboni est *Athara:* ubi quidam existimant *Asthara* legi oportere; ut sit propinquius τῷ Astarot, quæ est Astarte, Dea Syria. Nullum hujus urbis numum, sub Caracalla cusum, vidit Vaillantius.







CXXIX.

AΥ. KAI. M. AΥPH. ANTΩNINOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

MHTPOΠO. KAICAPIAC. ЄT. IΔ. *Metropolis Cæsarea, anno 14.* Mons Argæus, cujus vertici corona laurea insistit.

DE hac urbe PLINIUS *Lib. 6. Cappadocia habet sub monte Argæo Mazacam, quæ nunc Cæsarea nominatur.* Cur nomen mutaverit, SEXTUS RUFFUS *cap. 11.* ita refert: *Ita Majestatem Romanam coluisse* (Cappadoces) *ut in honorem Au-*

Augusti Cæsaris, Mazaca, civitas Cappadociæ maxima, Cæsarea nuncuparetur. Ea nominis mutatio sub Tiberio facta teste EUTROPIO *Lib. 7.* & EUSEBIO *in Chronico.* Mazacam *Metropolin* compellat STRABO *Lib. 14.* Annus 14. in hoc, medii moduli, numo notatus, indicat annum quartum decimum Imperii Caracallæ.

CXXX.

AΥ. KAI. M. AΥP. ANTΩNINOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

MHTPOΠO. KAICAPI. KOINOC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. ЄT. IΔ. *Metropolis Cæsareæ, Commune Certamen, Fraterni Amori sacrum: anno 14.* Mons Argæus, flammas emittens, intra duas urnas Certaminum, in quarum utraque ramus.

MOntem Argæum ignes erupisse, testatur STRABO *Lib. 12.* Ὁ Ἀργαῖος ἔχει περικείμενον δρυμὸν, ὥστε ἐγγύθεν ὁ ξυλισμὸς πάρεστιν· ἀλλ' οἱ ὑποκείμενοι τῷ δρυμῷ τόποι, καὶ αὐτοὶ πολλαχῆ πυρὰ ἔχουσιν. *Habet Argæus circumpositam silvam, ut e vicinia ligna petere liceat: sed loca, silvæ illi subjecta, ipsa quoque passim ignem continent.* Ignem vero, quem emittebat mons, fatuum fuisse potius, quam verum, ex iis colligo, quæ paullo inferius de hoc monte STRABO: Ἐστὶ δ' ὅπου καὶ ἑλώδες ἐστὶ τὸ ἔδαφος, καὶ νύκτωρ ἐξάπτονται φλόγες ἀπ' αὐτοῦ. *Est etiam alicubi solum palustre, atque ex eo noctu flammæ prosiliunt.*

Sub illis vocibus KOINOC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. subauditur AΓΩN. *Certamen;* quod etiam urnulæ cum ramo indicant. Legitur in Commodi Numo apud R. P. Harduinum, IЄPOC. AΓΩN. NIKAIЄΩN. *Sacrum Certamen Nicæensium.* De Agonis institutione ita AULUS GELLIUS *Noct. Attic. Lib. 10. cap. 18. Id monumentum Artemisia, cum Diis Manibus Mausoli dicaret,* Ἀγῶνα, *id est, Certamen laudibus ejus dicundis facit: ponitque præmia pecuniæ, aliarumque rerum amplissima.* Inter præmia Agonum palmæ ramos fuisse, victoriæ signa, refert SUETONIUS *in Augusto, & in Claudio.* Agon, in hoc, medii

medii moduli, numo exhibitus, Honoribus Caracallæ, & Getæ, Germanorum fratrum, & optandæ inter eosdem Concordiæ dicatus est.

CXXXI.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΥΗ. ΑΝΤΟΝΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput laur. Caracallæ.

- - - - Ȣ. ΤΕΡ . . . . ΙΑΝȢ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤ . . *Sub . . . Tertulliano Marcianopolitarum.* Figura muliebris stans, d. pateram, s. hastam.

NOmen Magistratus vetustate extritum est; cognomen vix aliud esse potest, quam *Tertulliani*, vel *Terentiani;* notatu dignus est character Ȣ pro *ου*, qui in ære signato horum temporum est admodum rarus, neque in vetustioribus numis me conspexisse memini. Est numus mediæ magnitudinis.



CXXXII.

ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΑΥΓΟΥCΤΟC. ΔΟΜΝΑ. *Antoninus Augustus, Domna.* Caput Caracallæ laureatum, & Juliæ Matris, adversis vultibus.

ΥΠ. ΚΥΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Quintiliano, Marcianopolitarum.* In area Ε. Mulier stans, d. temonem, s. Cornu Copiæ. Numus mediæ formæ.

CXXXIII.

ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ. ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. *Antoninus Augustus, Julia Domna.* Capita adversa Domnæ, & Caracallæ laureatum.

ΥΠ. ΚΥΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Quintiliano Marcianopolitarum.* In area Є. Figura muliebris ſtans, tutulato capite, d. pateram extendit ſuper aram adpoſitam, ſ. Cornu Copiæ geſtat. Mediæ formæ numus eſt.







CXXXIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟϹ. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ЄΠΙ. ΑΙΛΙΑΝΟΥ. ΜΙΛΗϹΙΩΝ. *Sub Æliano Mileſiorum.* Apollo nudus ſtans, capite radiato, d. pateram, ſ. arcam.

Diximus in M. Aurelio, Apollinem una cum Diana cultum eſſe a Mileſiis. Videtur & hic arcus Dianæ Venatricis ſignum eſſe. Apollo, ſeu Phœbus capite radiato ſolem denotat, Diana cum arcu Lunam: quæ duo aſtra primi Idololatræ adoravere, variis ſubinde formis, ſimulacris, & nominibus ad cultum propoſita. Mediæ magnitudinis eſt hic numus.

CXXXV.

CXXXV.

ANTΩNEINOC. AYΓOYCTOC. *Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

NIKAIEΩN. *Nicaensium.* Bacchus nudus stans, dextra elevata vitem attollit, utrimque defluentem; sinistram protendit, sub qua figura, Satyro subsilienti similis, dextra lituum gestans: ad pedes Bacchi tigris.

Figura illa cum lituo, seu virga pastoritia, aut Silenus esse potest, aut Satyrus, aut ipse Pan. Silenus, etsi alioqui cum hircino utre a tergo compareat, lituum gestat; quod vaticinaretur etiam, sed non nisi vinctus. Plutarchus *Consolat. ad Apollon.* Τῦτο δέ φησιν Ἀριστοτέλης, καὶ τὸν Σιληνὸν συλληφθέντα τῷ Μίδᾳ ἀποφηνῆσαι. *Aristoteles hoc refert: Silenum comprehensum, Midæ Vaticinatum esse.*

Satyro etiam lituus, seu pastoritius baculus convenit; cum Pastoritia, & Rustica Numina Fauni, & Satyri habeantur. Bacchi porro comites fuisse Satyros, Apollodorus *Lib. 3.* refert, ubi de Baccho, in Thracia male accepto, hæc narrat: Βάκχαι δὲ ἐγένοντο αἰχμάλωτοι, καὶ τὸ συνεπόμενον Σατύρων πλῆθος αὐτῷ. *Bacchæ autem captæ sunt, & Satyrorum multitudo, qui ipsum* (Bacchum) *sequebantur.* Neque quidquam fere interest: Satyrum, an Silenum dicas hic referri; Quando *ætate provectiores Satyros, Silenos dicunt:* teste Pausania *Attic. cap. 23.* Τὺς γὰρ ἡλικίᾳ τῶν Σατύρων προσήκοντας ὀνομάζυσι Σειληνύς. Et Satyri ipsi apud Ovidium *Lib. 3. Fastor.* Silenum Patrem suum agnoscunt:

Concurrunt Satyri, turgentiaque ora Parentis
Rident, percusso claudicat ille genu.

Denique & Pan, Deus pastorum, & Silvarum habitus, virgam pastoritiam ostentare solet; eumque a Bacchi comitibus unum Baccho addictissimum, ac intimum fuse describit Lucianus *Dial. Panis, & Mercurii.* Medii moduli numus est.

CXXXVI.

CXXXVI.

- - - M. ΑΥΡΗΛ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟϹ. ΑΥΓ. *Marcus Aurelius Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ, facie inberbi: ad occiput impressum signum figuræ stantis.

ϹЄΥΗΡЄΙΑ. ΦΙ. ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Severiana, & Philadelphia*, id est, *Fraterno amori sacra Certamina Nicaensium.* Vir stans d. urnam ludorum attinet.

NUmus est mediæ formæ. De ludis his dictum est ad numum Nicæensem Septimii Severi.



CXXXVII.

ΑΝΤΩΝЄΙΝΟϹ. ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ. *Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicaensium.* Serapis stans, d. elata, f. baculum, aut virgam mensoriam attinet, ad pedes ara: est capite tutulato.

DE capite Serapidis dictum alibi: dextram elevat concionantis ritu; quod mortales a feritate ad civilem societatem traduxerit, & vitis, ac tritici plantationem, cultum, atque usum docuerit. Narrat hæc de Osiride Diodorus Siculus *Lib. 1.* duobus in locis. Porro autem Osirin, etiam Serapin fuisse existimatum, idem Diodorus ita perhibet: Τὸν δὲ Ὄσιριν οἱ μὲν Σάραπιν, οἱ δὲ Διόνυσον . . . . νενομίκασι. *Osirin autem alii Sarapin, alii Bacchum . . . . esse censuerunt.* Baculum, seu virgam, quam sinistra gestat Sarapis, virgam mensoriam esse puto, qua certis in locis Nili

Nili exundantis altitudinem, atque inde anni ejus fecunditatem explorant Ægyptii. Osiris enim, seu Sarapis Nilum, omnem Ægyptum inundationibus obruentem, domuit, & Ægyptiis utilissimum effecit, teste DIODORO *Libro cit.* Τὸν μὲν οὖν Ὄσιριν παραγενόμενον ἐπὶ τοὺς τῆς Αἰθιοπίας ὅρους τὸν ποταμὸν ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν χώμασιν ἀναλαβεῖν, ὥστε κατὰ τὴν πλήρωσιν αὐτοῦ τὴν χώραν μὴ λιμνάζειν παρὰ τὸ συμφέρον, ἀλλὰ διά τινων κατασκευασμένων θυρῶν εἰσαφίεσθαι τὸ ῥεῦμα, καθόσον ἂν ᾖ χρεία. *Osirin igitur, in Æthiopiam profectum, ferunt fluvium illum fossis utrimque factis ita continuisse; ut affluxu suo increscente non plus, quam utile foret, inundare terras illas posset; sed per paratos quosdam meatus tantum aquæ, quantum oporteret, immisisse.* Atque idcirco virga, vel pertica Nilometrica Serapidi tributa videtur. Numus est magni moduli.







CXXXVIII.

Eadem, quæ in priori numo, utriusque partis inscriptio, idem caput.

Jupiter stans, d. pateram, s. hastam, ad pedes aquila. Numus magni moduli.

CXXXIX.

Idem caput, & eadem utrimque inscriptio.

Jupiter sedens, d. pateram, s. hastam, ad pedes aquila. Magnæ formæ.

CXL.

ANTΩNEINOC. AYΓOYCTOC. *Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

TYXH. AΓAΘH. NIKAIEΩN. *Bona Fortuna Nicaensium.* Templum hexastylon.

PRobe conservatus, ac elegans hic numus, qui formam Ædis, a Nicæensibus Bonæ Fortunæ dicatæ, nobis repræsentat, est magni moduli.



CXLI.

ANTΩNINOC. AYΓOYCTOC. *Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

NIKAIЄΩN. *Nicaensium.* Hercules cervam, humi stratam, cornibus apprehendit.

DE Hercule Eruditissimus Lilius Gyraldus hæc adnotavit: *Cervam æripedem, & aurea habentem cornua (si modo in cervis fæminis reperiuntur cornua, quod tamen Poëtæ fingunt) retibus, vel, ut alii dicunt, præ lassitudine dormientem vivam cepit.* Fuit is quartus Herculis labor, uti eosdem enumerat Epigramma Incerti, *Anthelog. Lib.4.*

Χρυσόκερον δ' ἔλαφον μετὰ τᾶυτ' ἤγειρε τέταρτον.

Quarto labore Cervam, aureis cornibus, dormientem cepit.

Plura de Cerva, aureis cornibus decora, videri possunt apud Eruditissimum Spanhemium *Tom. 1. Dissert. 4.* §. 7. & apud Apollodorum *Lib. 2.* Medii moduli numus est.

CXLII.

CXLII.

ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. ΑΥΓΟΥCΤΟC. *Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaensium.* Hercules ſtans d. clavam attollit, ſ. duos equos fræno detinet.

Octavus Herculis labor *Lib. 4. Antholog. Graec.* recenſetur hoc verſu:

Ὄγδοον ἐκ Θρήκης Διομήδεος ἤγαγεν ἵππους.

Octavo labore e Thracia Diomedis equos abduxit.

Equi illi humanis carnibus a Rege paſcebantur, ut innuit Ovidius *in Ibin.*

Ut qua Threicio quondam præſepia Regi
Fecerunt dapibus ſanguinolenta ſuis.

Quod apud Pausaniam *Bœotic. cap. 26.* legeram, de Herculis Ἱπποδέτου (uti recte pro Ἱπποδότου Camerarius reſtituit) appellatione, ſuſpicionem mihi injecerat: an non illud Herculis factum hoc numo exhibeatur, quod ita narrat Pauſanias? Καὶ Ἡρακλέους ἱερὸν μέγα, ἐπίκλησιν Ἱπποδέτου. Τοὺς τε γὰρ Ὀρχομενίους φασὶν ἐς τοῦτο ἀφῖχθαι στρατιᾷ, καὶ τὸν Ἡρακλέα νύκτωρ τοὺς ἵππους λαβόντα συνδῆσαί σφισι, τοὺς ὑπὸ τοῖς ἅρμασι. *Eſt & magnum Herculis templum, dicti: Equorum colligatoris. Orchomenios namque illuc cum exercitu veniſſe ferunt, & Herculem noctu acceptos eorum equos, qui curribus ſubſerviebant, inter ſeſe colligaſſe.* Medii moduli eſt numus.

CXLIII.

Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Marcus Aurelius Antoninus Cæſar.* Caracallæ caput laureatum.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaenſium.* Æſculapius ſtans, d. baculum ſerpente obvolutum. Mediæ formæ eſt numus.







CXLIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΥΠ. ΝΟΒΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤ. *Sub Nobio Rufo, Nicopolitarum ad Istrum.* Figura muliebris ad aram ſtans, d. pateram, ſ. Cornu Copiæ. Eſt medii moduli.

CXLV.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΥΠ. Α. ΝΟΒ. ΡΟΥΦΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟΝ. *Sub Aulo Nobio Rufo, Nicopolitarum ad Istrum.* Vir nudus, ſtans ad aram elegantius expreſſam, d. pateram, ſ. ramum geſtat.

APollo, aut Genius hoc typo exhiberi videtur. Ab omnibus fere gentibus ad ſacra, & luſtrales ritus arborum quarundam rami adhibebantur. De oleæ ramo Virgilius *Æneid. Lib. 6. v. 229.*

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis Olivæ.

Lauri quoque meminit Juvenalis *Satyra 2. v. 157.*

— Cuperent luſtrari, ſi qua darentur
Sulphura cum tædis, & ſi foret humida laurus.

Roboris porro frondibus Germaniæ, Galliæque veteris ſacrificulos uſos fuiſſe, docet Plinius *Lib. 16. Nihil habent Druidæ, ita ſuos appellant Magos, viſco, & arbore,* in

in qua gignatur, si modo sit robur, sacratius. Jam per se roborum eliciunt lucos, nec ulla sacra sine ea fronde conficiunt. Est numus mediæ magnitudinis.

CXLVI.

AY. K. M. AYP. ANTΩNINOC. *Imperator Cæs. Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

YΠ. AY. ΓΑΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩ. ΠΡΟC. I. *Sub Aurelio Gallo, Nicopolitarum ad Istrum.* Hercules stans, d. clavam, f. tria poma, & exuvias leonis.

POma aurea tria, ex Hesperidum hortis ab Atlante decerpta, fraude acquisivit Hercules; aut, ut alii, interfecto Dracone custode, eadem consecutus est: uti narrat Apollodorus *Lib. 2.* Extat hac super fabula *Epigramma* Philippi *Anthol. Græc. Lib. 4.*

Χρύσεα μῆλα κλάσας, Γηρυόνην ἔλαβεν.

Aurea mala decerpens, Geryonem comprehendit.

Et alterum Epigramma Incerti:

Δωδέκατον δ' ἐκόμισσεν ἐς Ἑλλάδα χρύσεα μῆλα.

Duodecimo labore aurea mala Græciæ Hercules intulit.

Numus est medii moduli.



CXLVII.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Imperator Cæs. M. Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΥΠ. Λ. ΟΟΥ. ΤΕΡΤΥΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟ. ΠΡΟC. Ι. *Sub Lucio Ovinio Tertullo, Nicopolitarum ad Istrum.* Mercurius nudus, strophio rejecto, stans, d. crumenam, s. Caduceum.

MErcurius apud Gentiles furum, & mercatorum præses est habitus: utrumque crumena indicare potest. Numus est medii moduli.

CXLVIII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟC. *Imperator Cæsar M. Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΟΤΡΟΗΝΩΝ. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC. ΑCΙΑΡΧΗC. ΑΝЄΘЄΚЄΝ. *Otroënorum: Alexander Asiarcha obtulit.*

NUmi hujus, qui perelegans est, ex ære magno, pulcerrimum aversæ partis typum exponere non tam meis, quam Virgilii verbis volo. Is Æneam, e Troja profugum, ita Patrem suum alloquentem inducit, ÆNEID. *Lib. 2. v. 707.*

Ergo age chare Pater cervici imponere nostra.

Et paullo post:

Tu Genitor cape sacra manu, patriosque Penates

Rursum:

— — — — *Dextræ se parvus Julus*
Implicuit, sequiturque Patrem non passibus æquis.

Julus, pileo Phrygio tectus, scipione dextram fulcit: Æneas amissam Creusam uxorem solicite respicit. VIRGIL. *v. 741.*

Nec prius amissam respexi &c.

Nullus hujus urbis numus apud Vaillantium reperitur, quæ in Phrygia sita erat, cui regioni Anchisis, & Æneæ memoria inprimis congruit. Sed & Juli, qui etiam Ascanius dictus est, memoria apud Otroënos vigebat.

gebat. Teſtis eſt STRABO *Lib. 12.* ubi de Phrygibus agens, ita habet: Μικρὸν δ' ὑπὲρ τῆς Ἀσκανίας λίμνης Ὀτροία πολίχνη πρὸς τοῖς ὅροις τῆς Βιθυνίας ἤδη πρὸς ἕω. Εἰκάζουσι δὲ ἀπὸ Ὀτρέως Ὀτροίας καλεῖσθαι πρότερον. *Paullum ſupra Aſcanium lacum eſt Otræa urbecula in finibus Bithyniæ jam ad orientem. Otræas hoc oppidum ab Otreo dictum putant.* In *Notitia Veteri Eccleſiaſtica* habetur, in Phrygia: ὁ Ὀτρȣ̃, *Otri Epiſcopus.* Et apud PLUTARCHUM *in Lucullo:* Ἐν Φρυγίᾳ περὶ τὰς λεγομένας Ὀτρύας. *In Phrygia circa urbem Otryas.* Ubi profecto emendandus eſt locus, & e numo juxta, atque Strabone reſtituendum eſt: Ὀτρόιας, vel Ὀτρόας. Aſiarcha dicebatur, qui a ſociatis Aſiæ urbibus communibus ſacris, aliiſque negotiis præficiebatur.

CXLIX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ, cum pectore, quod ſquammato thorace riget.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautaliæ.* Mulier ſtans, d. bilancem ſ. Cornu Copiæ. Medii moduli numus.



CL.

Eadem utriuſque partis epigraphe. Caput laureatum Caracallæ.

Mulier ſtans, tutulato capite, d. pateram, ſ. Cornu Copiæ: ad pedes ara. Magni moduli numus eſt.

CLI.

CLI.

A. . . . . ANTΩNI. *Imperator Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautalia.* Leo gradiens.

QUo modo Leonis ſymbolum Caracallæ conveniat, dictum eſt in Appendicula ad Numos Coloniarum. Parvi moduli hic numus eſt.

CLII.

AY. KAI. . . C. ANTΩNINOC. *Imperator Cæſar* . . . *Severus Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Ulpia Pautaliæ.* Figura ſemi-nuda, & coronata ſedens, d. pateram, ſ. haſtam.



CLIII.

AYT. K. M. AYP. ANTΩNЄINOC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Protome Caracallæ laureati, qui dextra haſtam, ſiniſtra clypeum oſtentat.

ΠΛΩΤЄΙΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Plotinopolitarum.* Æſculapius ſtans, d. baculum ſerpente obvolutum.

DE Plotinopoli, Thraciæ urbe, dictum eſt ad numum Fauſtinæ; hic vero mediæ formæ eſt.



CLIV.

CLIV.

M. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΠΟΜΠΗΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΓΞC. *Pompejopolitarum, anno 263.* Jupiter Νικηφόρος ſedens, d. victoriolam, ſ. haſtam.

DUas urbes, Pompejopolis nomine inſignes, in ære veteri haberi, alibi dictum eſt: hic magni moduli numus ad Pompejopolin Ciliciæ pertinet, quæ annorum notas æri ſuo intulit. De hujus urbis varia fortuna, atque nominis immutatione ſcribit STRABO *Lib 14.* Σόλοι πόλις ἀξιόλογος. τῆς ἄλλης Κιλικίας ἀρχὴ, τῆς περὶ τὸν Ἰσσὸν, Ἀχαίων, καὶ Ῥοδίων κτίσμα, τῶν ἐκ Λίνδου. Εἰς ταύτην λειπανδρήσασαν Πομπήιος Μάγνος κατῴκισε τοὺς περιγιγνομένους τῶν πειρατῶν, οὓς μάλιστα ἔγνω σωτηρίας, καὶ προνοίας τινὸς ἀξίους, καὶ μετωνόμασε Πομπηϊούπολιν. *Soli, urbs memorabilis, alterius Ciliciæ initium, quæ ad Iſſum eſt: condita eſt ab Achæis, & Rhodiis e Lindo oriundis. In hanc, incolarum infrequentia laborantem, Pompejus Magnus Piratarum reliquos, a ſe devictos, deduxerat, quos ſalute, & cura aliqua dignos noverat, atque mutato nomine eum locum Pompejopolin appellavit.* Ab hac Pompeji inſtauratione Æram ſuam incepere Pompejopolitani, nempe ab autumno anni V. C. 687. cui numero ſi addas annos 263. in numo noſtro repertos, conficies an. V. C. 950. Septimii Severi Quintum.

CLV.

ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΑΥΓΟΥCΤΟC. *Antoninus Auguſtus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΠΡΟΥCΑΕΩΝ. *Pruſæorum* in Bithynia. Æſculapius ſtans, d. baculum cum ſerpente.

EST parvi æris numus, cujus averſæ faciei typum vide in numo Plotinopolitarum, & Nicæenſium.

CLVI.

ATT. K. M. AT. CET. ANTΩNINOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

CEPΔΩN. *Serdorum.* Harpocrates ſtans, extento digito dextram ori admovet, ſ. Cornu Copiæ geſtat.

VArias Harpocratis ſtantis, & ſedentis, veſtiti, & inveſtis figuras SPONIUS *in Miſcellaneis pag. 16. & ſeqq.* adfert, atque multa erudite adnotat. Fuit nempe Harpocrates Oſiridis, & Iſidis filius, ſilentii Deus, &, ut VARRO *de Lingua Latina* loquitur: *St. Harpocrates digito ſignificat.* Hinc Græcis etiam Σιγαλιών dictus eſt, de quo ita AUSONIUS *Epiſt. 25.*

Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis,
Aut tua Sigalion Ægyptius oſcula ſignet.

Eſt parvi moduli numus.



CLVII.

ATT. K. M. ATP. CЄO. ANTΩNЄINOC. *Imperator Cæſar M. Aurelius Severus, Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

CEPΔΩN. *Serdorum.* Æſculapius ſtans, cujus figuram jam binis imaginibus ſub Caracalla propoſuimus. Parvi moduli eſt numus.

CLVIII.

ATT. K. M. ATPH. CETH. ANTΩNEINOC. *Imperator Cæſ. Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

OTΛΠIAC. CEPΔIKHC. *Ulpia Serdicæ.* Mulier ſtans, d. pateram, ſ. haſtam. Numus eſt magni moduli.

CLIX.

CLIX.

Idem caput: eadem utrimque inſcriptio, quæ in præcedente.

Figura nuda ſtans, d. baculo nititur, cui obvolutus ſerpens, ſ. latus fulcit: ad ſiniſtram nudus puer adſtat.

ÆSculapium inveſtem rarius numi exhibent. Puer adſtans aut Glyconem denotat, qui a LUCIANO *in Pſeudomanti. Æſculapius minor*, dicitur; aut unum e filiis Æſculapii, de quorum ſimulacris PAUSANIAS *in Meſſen. cap. 31.* mentionem facit, & *in Corinth. cap. 10.* ubi, Aratum Æſculapii filium creditum fuiſſe, perhibet; Ἄρατον Ἀσκληπιȣ̃ παῖδα εἶναι νομίζȣσι. APOLLODORUS *Lib. 3.* Machaonem, & Podalirium Æſculapii filios nominat. Fortaſſe hoc ſymbolo Bacchus Medicus eſt repræſentatus, de quo ATHENÆUS *Lib. 2.* videri poteſt. Numus eſt magni moduli.



CLX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΥΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. *Ulpia Serdica.* Aquila expanſis alis baſi inſiſtens, ſertum roſtro gerit. Magni æris numus.

CLXI.

Eadem utrimque Epigraphe: idem caput, ut in numo priore.

Caracalla ſtans, ſagum indutus, laureato capite, d. haſtam præpilatam, ſ. parazonium, aut ſceptrum ſuſtinet: ſiniſtro pede alte ſublato captivum calcat, uno genu humi nixum.

Simili typo, qui in Græcis rarus eſt, ſolet in latinis numis aut gens deviƈta, aut captus gentis Princeps deſignari. Antoninus Caracalla Britannici, & Germanici cognomine gloriatus eſt; unde Britannum hic, aut Germanum ſub pedibus Imperatoris effiƈtum exiſtimo. Niſi quis malit Abgarum Oſroënorum, aut alium Armeniæ Regem denotari, quos Caracalla per fraudem captos ſibi ſubdiderat; teſte Xiphilino *ex Dione Lib. 77.* Veſtitus tamen captivi pro opinione priori facit. Numus eſt elegantiſſimus ex ære magno.

CLXII.

Eadem Epigraphe & caput, uti in præcedentibus.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. *Ulpia Serdicæ.* Caracalla, equo currente veƈtus, ſagum indutus, telum dextra vibrat. Ultimam ſyllabam ΚΗC. male numi veteris ſculptor formavit.

Videtur hic effingi Caracalla, Parthos fugientes perſequens; qua de fuga ipſe, data ad Senatum Epiſtola, gloriatus eſt: ut refert Xiphilinus *ex Dione Lib. 78.* Numus eſt perelegans, & magni moduli.





CLXIII.

CLXIII.

. . . ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝ. . . . *Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

CΗCΤΙΩΝ. *Sestiorum.* Leander natans, & Hero ejusdem amica, e turri allucens lampadem.

TYpum aversæ partis hujus numi, qui medii moduli est, describit conceptis veluti, ad eundem exponendum, verbis *Epigramma* ANTIPATRI *Lib. 3. Anthol. Græc.* εἰς Ἡρω, καὶ Λέανδρον.

Οὗτος ὁ Λειάνδροιο διάπλοος, οὗτος ὁ πόντου
Πορθμὸς, ὁ μὴ μούνῳ τῷ φιλέοντι βαρύς.
Ταῦθ' Ἡροῦς τὰ πάροιθεν ἐπαύλια, τοῦτο τὸ πύργου
Λείψανον, ὁ προδότης ὧδ' ἐπέκειτο λύχνος.

Hic Leandri tranatus est, hic Ponti
Trajectus, qui soli amanti gravis non erat.
Hæc Herus quondam habitatio, hæ turris
Reliquiæ: hic sita est proditoria illa lampas.

Nullum sestiorum numum sub Caracalla deprehendit Vaillantius. Videtur numum, nostro geminum, Patinus habuisse, at inscriptione extrita, quam ita mutilam refert: CΑΔ. . . ΩΝ. Verum situs literæ Η. mutatus in Ι, desideratis etiam aliis characteribus, incertum isthic Patinum reddiderit; qui tamen e figura aversæ partis recte censuit, numum ad aliquam Hellesponti urbem esse referendum.

CLXIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΤΙΒΕΡΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Tiberiopolitarum.* Æsculapius stans, d. baculum serpente obvolutum. Typos similes jam dedimus sub Caracalla.

PHrygiæ urbs erat Tiberiopolis, haud dubie a Tiberio Imperatore nomen sortita. SOCRATES *Lib. 7. histor.*

Ecclef. cap. 46. Ἐν Τιϐεριῦ πόλει τῆς Φρυγίας. Confentit Notitia vetus Ecclefiaftica. Parvi moduli numus eft.

CXLV.

AΥ. K. M. AΥ. ANTΩNЄINOC. *Imperator Cæfar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

MHTPO. ΠONT. TOMЄΩC. Δ. Μητροπόλεως Πόντε Τομέως. *Metropolis Ponti Tomorum.* Templum tetraftylon, in quo fimulacrum Bacchi ftantis, d. cantharum f. Thyrfum.

TEmplum Bacchi, in hoc medii moduli numo expreffum, apud Vaillantium in Tomitarum ære fignato fub nullo Imperatore reperi.



CLXVI.

AΥΤ. M. AΥΡΗΛ. ANTΩNINOC. *Imperator M. Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

AΥΓΟΥCTHC. TPAIANHC. *Augufta Trajana.* Templum tetraftylon, altæ fubftructioni impofitum, in quo Diana gradiens d. fagittam e pharetra eximit, f. arcum geftat: ad latus dextrum fubftructionis cervus profiliens, & arbor; ad latus finiftrum itidem arbor, & canis procurrens.

ELegans hic magni moduli numus, an ad Sarmizgetufam, Daciæ olim Metropolin, nunc Varhel dictam, referendus fit, ambigo. Urbs hæc a PTOLEMÆO *Lib. 8.* Ζαρμισογέθεσα aut Ζαρμιγέθεσα τὸ Βασίλειον. *Zarmifogethufa Regia* appellatur. Eandem deinde *Auguftæ Trajanæ* no-

nomen a Trajano obtinuisse inscriptio apud Gruterum *pag. 437. n. 1.* testatur:

COLON. VLPIA. TRAIANA.
AYG. DACICA. SARMIZGETVSA.

Vaillantius Numos ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ. ΤΡΑΙΑΝΗΣ. Trajanopoli Thraciæ adscribit; credo, ob fabricæ elegantiam, & ἡγεμόνος Magistratum in ejuscemodi numis repertum. R. P. Harduinus Trajanopolin Thraciæ, cum Augusta Trajana Daciæ, seu Sarmizgethusa eandem facit; id quod, ob bene magnam locorum istorum distantiam, qui conciliari possit, non video.

CLXVII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæs. Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Trajanopolitarum.* Cybele, capite turrito, leoni insidens, d. hastam, f. tympanum.

TRajanopolis alia in Cilicia aspera erat, Selinus antea dicta: alia in Phrygia, quæ vitiose, vel contracte Τϱανόπολις *in Veteri Notitia Ecclef.* scribitur. Tertia Thraciæ est, ad quam Vaillantius numos omnes ΤΡΑΙΟΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. refert. Tristanus Numum ΤΡΑΙΑΝΗΣ. ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ. idcirco ad Trajanopolin Phrygiæ retulit; quod Cybelen referret: idque probavit Holstenius *in adnot. ad Ortelium.* Potiori forsan jure numus noster, qui magni moduli est, ad Phrygiæ Trajanopolin tum ob Cybeles typum, tum ob ipsam inscriptionem revocari poterit; quanquam nihil cogat a Trajanopoli Thraciæ discedere.

CLXVIII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝЄΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΤΡΠЄΖΟΥΝΤΙΩΝ. *Trapezuntiorum.* Serapis stans, d. elata, f. baculum, aut virgam mensoriam.

DE Trapezunte, Ponti Cappadocici urbe, dictum est in

in Septimio Severo. Inscriptio ΤΡΠЄΖΟΥΝΤ. . sine Α. interposito, aut τὸ Α. in Ρ. vel in Π. comprehensum, aut artificis Μορφοχαράκτου lapsum arguit. Magni moduli numus est.



CLXIX.

Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤ. . . . . *Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

- - - - - - - Vir, pileo Phrygio tectus, eques aram accedit, cui columna adstituta est: columnæ capitello aquila insistit; a tergo equitis arbor.

URbis nomen in hoc magni moduli numo vetustate extritum est. Verum cum singulari esset aversæ faciei typo, omittendum non putavi; cui locum alius similis, forte olim repeciendus, numus certo assignabit. Conjecturam ex typo, eamque timide feceram: an non ΔΑΡΔΑΝΙΩΝ. *Dardaniorum* in Troade numus esset; quando aversæ partis formam, nostræ aliquantum similem in Appendice ad Græcos Numos Vaillantii videre est. Subinde me Amicus quidam literis admonuit: similes se numos Constantinopoli vidisse, ex Asia allatos, ac numum citra dubium ΤΡΑΠЄΖΟΥΝΤΙΩΝ. *Trapezuntiorum* esse. Luni equitis effigiem, qualis hic etiam repræsentari videtur, jam superius, etsi paullo aliam in Trapezuntino numo dedimus.

Ara, & columna cum aquila (quæ pari forma in Dardaniorum modo memorato numo referuntur) ad sepulcrale aliquod monumentum pertinere videtur. De Si-

cyoniis

cyoniis quidem narrat PAUSANIAS *Corinth. cap. 7.* Eos lapideam basim sepulcris, & columnas, quibus aquila insisteret, imposuisse.

CLXX.

- - - - ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. ΑΥΓ. *Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΤΡΙΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΜΑΙΑΝΔΡΟϹ. *Tripolitarum, Mæander.* Figura inberbis fluvii decumbens, d. ramum frugiferum, s. urnæ innixa arundinem attinet.

HÆc Tripolis, Lydiæ urbs, ab aliis ejusdem nominis urbibus belle se adsignato fluvii nomine, & simulacro discernit. Mæandro adsitam fuisse testatur etiam PLINIUS *Lib. 5. Tripolitani, iidem Antoniopolitæ, Mæandro adluuntur.* Tripolin hanc *Notitia Hieroclis* Lydiæ attribuit: STEPHANUS vero, & PTOLEMÆUS vicinæ Cariæ.

Figura Mæandri fluvii, quæ præter arundinem, fluviis tribui solitam, manu altera ramum frugiferum ostentat, singularem aliquam fertilitatem indicare videtur, qua irrigatæ ab hoc fluvio terræ fuerint gavisæ. Apud STRABONEM *Lib. 13.* me rem deprehendisse puto, ubi de Mæandro fluvio hæc refert: Χώραν δ' ἔχει πολλὴν ἐφ' ἑκάτερα τοῦ ποταμοῦ πᾶσαν εὐδαίμονα· πλείστην δὲ φέρει τὴν καλουμένην Ἀντιοχικὴν ἰσχάδα· τὴν δὲ αὐτὴν καὶ τρίφυλλον ὀνομάζουσιν. *Regio spatiosa est ad utramque fluminis ripam, omnis fertilitate felix; plurima vero illic ficus nascitur, caricas Antiochenas vocant, quæ etiam Trifolium compellantur.* Hunc itaque Mæandri littoribus proprium fructum egregie hic noster, mediæ formæ, numus exprimere videtur.

CLXXI.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ϹΕΥΗΡΟϹ. ΑΝΤΩΝΙΝ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΤΥΡΑΝΩΝ. Δ. *Tyranorum.* Cybele, turrito capite, sedens ad fores templi, d. pateram, s. tympanum, ad pedes duo leones. Numus est medii moduli.



CLXXII.

M. ANTΩNEINOC. AYΓOYCTOC. *Marcus Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ.

KOIN . . . MY . . . Π . . . NEΩKOPΩN. M. ANTΩNEI-NOC. AYΓOYCTOC. Sic legendum conjicio: Κοινὸν Σμυρναίων Πρώτων Ἀσίας, Νεωκόρων, Μάρκος Ἀντωνῖνος Αὐγυστός. *Commune Smyrnaeorum, Primorum Asiæ, Æditnorum: Marcus Antoninus Augustus.* Imperator paludatus, equo insidens.

Singularem hunc, magni moduli, numum postremo loco sub Caracalla retuli; quod lectio loci certa non esset, etsi probabiliter e literarum vestigiis colligatur. Insolita est nominis Augusti in aversa parte repetitio, qua mihi aut Adventus Caracallæ, aut expeditio in Parthos suscepta, aut solemnia illa indicari videntur, quibus Caracalla primum *Antoninus Augustus* renunciatus est; de qua re Æl. Spartianus *in Severo* videri potest.



CLXXIII.

CLXXIII.

ΦΟΤΛΒΙΑ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. *Fulvia Plautilla.* Caput Plautillæ, uxoris Antonini Caracallæ. *Caput hic expressum pertinet ad numum sequentem.*

ЄΡΜΙΟΝЄΩΝ. *Hermionensium.* Figura muliebris, aræ adstans, d. pateram porrigit; capiti insistit ornamentum, flori non absimile.

HErmione urbs Argolidis, provinciæ in Peloponeso, de qua STRABO *Lib. 8.* Ἑρμιόνη δ' ἐςὶ τῶν ὐκ ἀσήμων πόλεων. *Hermione est una de non obscuris urbibus.* Regionem vicinam τὴν Ἑρμιονίδα, *Hermioniden* dictam esse, apud PAUSANIAM *in Corinth.* & THUCYDIDEN *Lib. 2.* reperitur. Nomen gentile Stephano, & numis Ἑρμιονεύς. Origo Nominis a Mercurii cultu, qui Græcis Ἑρμῆς, cujus etiam simulacrum non raro Hermionenses numi exhibent: noster est medii moduli.



CLXXIV.

ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. CЄB. *Fulvia Plautilla Augusta.* Caput ejusdem.

ΥΠ. ΑΥΡ. ΓΑΛΛΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC.Ι. *Sub Aurelio Gallo Nicopolitarum ad Istrum.* Mulier, tutulato capite, stans, d. temonem, s. Cornu Copiæ.

NUmus est mediæ formæ: aversæ partis typum vide in Numo Marcianopolitarum sub Caracalla.

CLXXV.

ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. CЄB. *Fulvia Plautilla Augusta.* Caput ejusdem.

ΥΠ . . . . . . ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC.I. *Sub . . . . . Nicopolitarum ad Istrum.* Cybele ſedens, ſ. tympanum tenet, ad pedes duo leones. Similem typum Cybeles paullo antea in numo Tyranorum, ſub Caracalla, propoſuimus.

CLXXVI.

ΦΟΥΛ. ΠΛΑΥΤΙΛΛΑ. CEBA. *Fulvia Plautilla Augusta.* Caput ejusdem.

ΗΓЄ . . . . . . ΟΥ. ΚΛΑΡΟΥ. ΟΥΛΠΙΑC. ΠΑΥΤΑΛΙΑC. *Sub Præside . . . . . Claro, Ulpia Pautalia.* Victoria ſtans, ſ. pateram gerit, d. coronat Imperatorem ſtantem, qui d. haſtam, ſ. parazonium, vel ſceptrum attinet.

HIc Numus præſtantioribus accenſeri meretur; tum quod magni moduli ſit, & averſæ partis imaginem elegantem offerat: cum etiam propterea, quod Præſidis Magiſtratum, in Pautaliæ numis admodum rarum, exhibeat. Ex cognomine Magiſtratus, nomen me deprehendiſſe arbitror, cui etiam reliqui literarum attritarum ductus reſpondent; legendum nempe ita puto ΗΓΕΜ. ΕΡΥΤΙΟΥ. ΚΛΑΡΟΥ. *Præſide Erytio Claro.* Julius Erytius Clarus cum Q. Soſio Falcone conſulatum geſſit anno V. C. 946. Severi primo. Occiſus quidem eſt a Septimio Severo Erytius Clarus, teſte SPARTIANO *cap. 13.* De tempore tamen non conſtat.





CLXXVII.

CLXXVII.

Π. CЄΠΤΙ. ΓЄΤΑC. Κ. Πόβλιος Σεπτίμιος Γέτας Καῖσαρ. *Publius Septimius Geta Cæsar.* Caput nudum ejusdem.

ΑΔΡΙΑΝЄΩΝ. *Adrianeorum.* Bos ſtans.

ADriani Bithyniæ urbs erat, teſte *Notitia Eccleſiaſt.* HIEROCLIS, & SUIDA, qui ita habet: Ἀδριανοὶ πόλις Μυσίας, τῆς νῦν Βιθυνίας. *Adriani urbs ejus Myſiæ, quæ nunc Bithynia dicitur.* Nullus hujus urbis numus, Getæ inſcriptus, apud Vaillantium extat: noſter ex ære medio eſt.



CLXXVIII.

Π. CЄ. ΓЄΤΑC. Κ. *Publius Septimius Geta Cæſar.* Caput nudum Getæ.

ΑΚΡΑCΙΩΤΩΝ. *Acraſiotarum* in Lydia. Minerva galeata ſtans, d. ramum oleæ porrigit, ſ. haſtam puram tenet.

MInerva, oleæ ramum oſtentans, in latinis numis MINERVA. PACIFERA. inſcribitur. Græci eandem ſimili cum ramo effingere ſolebant, teſte PAUSANIA *in Atticis cap. 24.* Πεποίηται δὲ καὶ τὸ φυτὸν τῆς ἐλαίας Ἀθηνᾶ, καὶ κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν. *Efformata eſt Minerva oleæ plantam: Neptunus vero fluctum proferens.* Minerva inventrix oleæ credebatur, uti canit VIRGILIUS *Lib. 1. Georgic.*

— — — — *Oleæque Minerva*
Inventrix.

Conſentit APOLLODORUS *Lib. 3.* Ἡ χώρα τῆς Ἀθηνᾶς ἐκρίθη, Κέκροπος μαρτυρήσαντος, ὅτι πρῶτον τὴν ἐλαίαν ἐφύτευσεν. *Regio*

(Attica) *Minerva adjudicata est; quando Cecropis testimonio cognitum est, eandem primum plantasse oleam.* Numus est mediæ magnitudinis.



CLXXIX.

ΑΥΤ. ΚΑ. Π. CΕΠ. ΓΕΤΑ. CΕΒ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Πύβλιος Σεπτίμιος Γέτας Σεβαστός. *Imperator Cæsar Publius Septimius Geta Augustus.* Caput Getæ laureatum.

ΒΙΖΥΗΝΩΝ. *Bizyenorum.* Figura muliebris stans, d. pateram, f. hastam, ad pedes clypeus; videtur Palladem referre.

In Astica, Regione Thraciæ, Bizyam locat Stephanus: Βιζύη πόλις Θράκης, τὸ τῶν Ἀστῶν Βασίλειον . . . τὸ ἐθνικὸν Βιζυηνός. *Bizya urbs Thraciæ, Astorum Regia sedes; gentile Bizyenus.* Cænensi Regioni, quæ Asticæ erat contermina, Bizyam tribuit Solinus *cap. 10. In Cænensi Regione, non longe a Flaviopoli Colonia, Bizye oppidum.* Getæ numi Græci, cum Augusti titulo, non sunt frequentes; Bizyæ nullum sub hoc Principe refert Vaillantius: noster magni moduli est.



CLXXX.

CLXXX.

A. CЄΠTIMI. ΓЄTAC. KAIC. *Lucius Septimius Geta Cæsar.*
Caput ejusdem nudum.

ΚΑΛΧΑΔΟΝΙΩΝ. *Calchedoniorum.* Mercurius ſtans, nudo capite, d. Caduceum gerit, ſ. amiculum colligit: pedes cothurnis ornati.

CAlchedon nota Bithyniæ urbs, & Concilio Oecumenico, adverſus Eutychis, & Dioſcori errores, an. Æræ Chriſtianæ 451. celebrato, clara. De ea STEPHANUS: Πρὸς τῷ ϛόματι τȣ̃ πόντȣ καταντικρὺ τȣ̃ Βυζαντίȣ. *Ad Ponti fauces ſita, e regione Byzantii.* A Megarenſibus eandem conditam fuiſſe, Μεγαρέων κτίσμα, STRABO *Lib. 12.* adnotavit. Mediæ formæ numus eſt.

CLXXXI.

A. CЄΠTI. ΓЄTAC. KA. *Lucius Septimius Geta Cæsar.*
Caput nudum.

ΚΙΑΝΩΝ. *Cianorum.* Cupido ſtans, ſiniſtram trunco arboris imponit, dextra ad dorſum rejecta.

DE Cio PLINIUS *Lib. 5. Amnes Hylas, & Cios cum oppido ejusdem nominis, quod fuit Emporium non procul accolentis Phrygia, a Mileſiis conditum.* Conſentit SCYLAX *in cap. Myſia.* Ἀκρωτήριον τȣ̃ Κιανȣ̃ κόλπȣ, καὶ ἐν ἀριϛερᾷ Κίος πόλις, καὶ Κίος ποταμός. *Promontorium Ciani ſinus, & a ſiniſtra Cios urbs, & Cios fluvius.* Ex his, aliisque colligit Cellarius Cion ad Propontidem ſitam, & eandem etiam Πρȣσιάδα τὴν πρὸς θάλασσαν, *Pruſiadem, quæ ad mare eſt*, dictam fuiſſe exiſtimat. Ad noſtrum hunc, parvi moduli, numum id mihi ſatis eſt, Cion Propontidis urbem, atque adeo Helleſponto vicinam fuiſſe. Memorat quippe PAUSANIAS *Bœotic. cap. 27.* Apud Parianos, circa Helleſpontum habitantes, inſignem Amoris, ſeu Cupidinis cultum floruiſſe.

In hoc, & proxime ſuperiore, ac ſequente numo, Getæ Prænomen eſt *Lucius*, in aliis plerisque *Publius.* Ita

Ita etiam in Commodi numismatis alias prænomen *Marcus*, alias *Lucius*, legitur. Neque mutationis istius certa tempora, ac termini assignari possunt. Nullum Getæ numum Cianum Vaillantius exhibuit.

CLXXXII.

A. CЄΠΤΙΜ. ΓЄΤΑC. ΚΑΙ. *Lucius Septimius Geta Cæsar.* Caput nudum Getæ, sub cujus mento parvum Septimii Severi caput impressum comparet: ad occiput aliud signum, forte Monetarii, quod vetustas attrivit.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicæensium.* Jupiter sedens, d. fulmen gerit, f. hastam. Similem aversæ partis typum dabimus in Numo Perinthiorum, sub Gordiano Pio. Hic numus mediæ magnitudinis est.



CLXXXIII.

ΑΥΤ. Κ. Π. CЄΠ. ΓЄΤΑC. ΑΥΤ. *Imperator Cæsar Publius Septimius Geta Augustus.* Caput Getæ laureatum.

Υ. ΦΛ. ΟΥΛΠΙΑΝ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤ. ΠΡΟC. Ι. Ὑπὸ Φλαβίου Οὐλπιανοῦ Νικοπολιτῶν πρὸς Ἴστρον. *Sub Flavio Ulpiano Nicopolitarum ad Istrum.* Templum tetrastylon, in quo Idolum Mercurii stantis, cum strophio, d. crumenam, f. Caduceum. Mediæ formæ numus est.

CLXXXIV.

Π. CЄΠΤΙ. ΓЄΤΑC. ΚΑΙCΑΡ. *Publius Septimius Geta Cæsar.* Caput Getæ nudum.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. Π. Ι. *Nicopolitarum ad Istrum.* Templum tetrastylon, quale in numo superiore, sed sine Idolo. Parvi moduli numus.

CLXXXV.

CLXXXV.

ΑΥΤ. Κ. Π. CΕΠΤ. ΓΕΤΑC. . . *Imperator Cæsar Publius Septimius Geta.* Caput laureatum Getæ.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. *Ulpiæ Serdicæ.* Figura sedens, capite tutulato, d. pateram, s. Cornu Copiæ. Est numus magni moduli.



CLXXXVI.

Π. CΕΠΤ. ΓΕΤΑC. Κ. *Publius Septimius Geta Cæsar.* Caput nudum ejusdem.

ΑΥΓ. ΤΡΑΙΑΝΗC. *Augusta Trajana.* Figura stans d. pateram s. hastam puram. De Augusta Trajana vide dicta ad Numum Caracallæ: hic parvæ formæ est.

CLXXXVII.

Π. CΕΠΤΙ. ΓΕΤΑC. ΚΑ. *Publius Septimius Geta Cæsar.* Caput Getæ nudum.

ΤΥΡΑΝΩΝ. Β. *Tyranorum.* Aquila lauream rostro gerens. Numus est parvi moduli; eadem figura sub Commodo exhibita est.

CLXXXVIII.

ΠΟ. CΕΠ. ΓΕΤΑC. ΚΑΙCΑΡ. *Publius Septimius Geta Cæsar.* Caput nudum Getæ.

ΟΜΟΝ . . . . ΑΙΚΕΦΑΙΜΟΝΙ.ΟΝ. ΦΙΛΑΡΤΕΜΙΔ. Mars gradiens s. scutum, & hastam gestat; d. extensa, sub qua monogramma, aut signum Monetarii: ad pedes vasculum, aut ara.

DOlendum sane, literas quasdam vetustate extritas

totam nobis inscriptionem elegantis hujus numi, qui ex ære medio est, incertam reddere. Suspicor ita legendum esse: OMONοια. ΓαζΑΙων. Και ΕΦεσίων. AIMONIKON. ΦΙΛΑΡΤΕΜΙΔα. Τιμώντων. *Concordia Gazensium, & Ephesiorum, Hæmonicum Dianæ amicum, vel clientem honorantium.* Nomen illud *Gazensium* supplevi idcirco, quod character seu Monogramma istud ꟗ sit simillimum illi, quod in Juliæ Domnæ numo Gazensi, aliisque ejus urbis monetis comparet. Τὸ ΕΦ. Ephesiorum legeram; quando & hoc literarum compendium in Ephesino ære apud R. P. Harduinum legitur: & φιλαρτέμιδος compellatio, Ephesinum quid redolet; cum in Ephesi numis etiam THC. APTEMIΔOC. & APTEMIC. expressum legatur. Neque quis miretur, tanto intervallo dissitos Ephesinos, & Gazenses concordiæ vinculo colligatos fuisse; quando & cum Alexandrinis Ægypti eadem Ephesinis concordia fuit: uti habent numi Antonini Pii, & Macrini apud Doctissimum Harduinum. Accedit: Dianam etiam a Gazensibus singulariter cultam fuisse; nam ejus urbis numos aliquot, Dianæ venatricis simulacro insignes, *Eminentiss.* Noris. *Dissert. 5. de Epochis Syromaced. cap. 3.* produxit. Et vice mutua Ephesii Marnam, Gazensium Deum, coluere; nam ita apud R. P. Harduinum habet Commodi numus ΕΦΕCIΩN. MAPNAC.

AIMONIKON. ΦΙΛΑΡΔΕΜΙΔα. *Hæmonicum, Amicum Dianæ,* quem honorant Ephesii, & Gazenses, Martem ipsum esse, nescio an arbitrari non liceat? Mars enim numi simulacro repræsentatur: Mars ab Homero Ἁιμοχάρης *sanguine gaudens* compellatur; qui æquo jure Ἁιμόνικος pro Ἁιματόνικος *sanguineus Victor*, seu *sanguine vincens* dici potest. Est etiam ea Dianæ cum Marte congruentia: quod uterque armis gaudeat. Incertum tamen est, an non Ἁιμόνικος Magistratus nomen sit, Dianæ devoti, ad quod nomen symbolo Martis allusio quædam facta videri potest. Tædet me jam, tot conjecturis indulsisse; quam vellem, ut numum simi-

lem


lem cum epigraphe minus attrita alius proferat; aut hæc felicius exponat.



CLXXXIX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠ. ΜΑΚΡΙΝΟC. Κ. Μ. ΟΠЄΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ὀπέλιος Μακρῖνος· Καῖσαρ Μάρκος Ὀπέλιος Ἀντωνῖνος. *Imperator Cæsar Marcus Opelius Macrinus: Cæsar Marcus Opelius Antoninus.* Capita adversa Macrini laureatum, & Diadumeniani filii nudum.

ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Є. *Sub Pontiano, Marcianopolitarum.* Figura muliebris sedens, d. pateram f. Cornu Copiæ. Medii moduli numus.



CXC.

Eadem utriusque faciei epigraphe, quæ in priori numo, eadem capita.

Hercules stans, d. exuvias leonis, & poma Hesperidum, f. clavam. Est numus medii moduli.

CXCI.

ΑΥ. Κ. ΟΠΠ€Λ. C€ΥΗ. ΜΑΚΡΙΝΟC. Κ. Μ. ΟΠΠ€Λ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΔΙΑΔΟΥΜΗ. *Imperator Cæsar Oppelius Severus Macrinus: Cæsar Marcus Oppelius Antoninus Diadumenianus.* Capita adversa Macrini, & Diadumeniani.

ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. €. *Sub Pontiano Marcianopolitarum.* Diana gradiens, d. sagittam e pharetra eximit, s. arcum præfert: ad pedes canis.

Mediæ formæ numus. Hic Pontianus ex Ælia familia erat; nam apud P. Harduinum legitur ΑΙΛ. aut in Æliam adoptatus.

CXCII.

ΑΥΤ. ΟΠΠ€Λ. Σ€ΥΗ. ΜΑΚΡ€ΙΝΟC. *Imperator Cæsar Oppelius Severus Macrinus.* Caput laureatum Macrini.

ΥΠ. ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. ΜΑΚΡΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Pontiano Marcianopolitarum.* Fortuna stans, capite tutulato d. temonem, s. Cornu Copiæ. Similem typum exhibui in Anchialensi numo sub Septimio Severo. Mediæ formæ hic numus est.







CXCIII.

ΑΥΤ. ΟΠΠΕΛ. CΕΥΗ. ΜΑΚΡΙΝΟC. *Imperator Oppelius Severus Macrinus.* Caput laureatum.

ΥΠ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤ. *Sub Agrippa, Nicopolitarum ad Istrum.* Figura semi-nuda Istri fluvii decumbens, d. arundinem inflexam sustinet, s. urnæ innititur, ad pedes navis. Est numus mediæ formæ, ad magnam accedentis.

CXCIV.

CXCIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠΠΕΛΙ. ΣΕΥ. ΜΑΚΡΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Oppelius Severus Macrinus.* Caput ejusdem laureatum.

ΥΠ. ΚΛ. ΚΟΥΙΝΤΙΛΙΑΝΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΩ. *Sub Claudio Quintiliano, Nicopolitarum ad Istrum.* Figura nuda ad aram ſtans, d. pateram, ſ. ramum luſtralem geſtat, de quo alibi dictum eſt. Medii moduli eſt numus.

CXCV.

ΑΥΤ. Κ. ΟΠΠЄΛ. ΣЄΟΥΗ. ΜΑΚΡΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Oppelius Severus Macrinus.* Caput ejusdem laureatum.

ΥΠ. ΜΑΡΚ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΩ. *Sub Marcio Agrippa, Nicopolitarum ad Istrum.* Victoria ſtans, d. lauream, ſ. palmæ ramum.

Nicopolin hanc hoc tempore ad Præfecturam Daciæ pertinuiſſe, ex nomine Magiſtratus colligo, quod in hoc, aliisque noſtris Macrini, ac Diadumeniani numis reperitur. Hunc enim Agrippam a Macrino Pannoniæ, ac Daciæ præpoſitum fuiſſe, teſtatur Dio *in fragmentis a Carminio Falcone editis:* Μάρκιόν τε Ἀγρίππαν πρότερον μὲν ἐς Παννονίαν, εἶτ᾽ ἐς Δακίαν Ἡγεμονεύσαντα ἔπεμψεν. *Marcium Agrippam in Pannoniam primum, deinde in Daciam cum Præſidis poteſtate miſit.* Hunc Marcium Agrippam de Macrino bene meritum fuiſſe innuit Ælius Spartianus *in Antonino Caracalla cap. 6.* Ubi Caracallæ cædem, a Macrino inſtitutam, a Martiale perfectam refert, additque id factum eſſe: *Non ignorantibus Marcio Agrippa, qui Claſſi præerat, & præterea plerisque officialium.* Mediæ magnitudinis numus eſt.





CXCVI.

ΑΥΤ. Κ. ΟΠ. . . . . ΜΑΚΡΕΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Opelius Macrinus.* Caput laureatum.

ΥΠ. Λ. ϹΤΑ. ΛΟΝΓΙΝΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΩ. *Sub Lucio Statilio Longino, Nicopolitarum ad Istrum.* Nemesis stans s. flagellum, d. bilancem, ad pedes rota. Ex ære medio numus est.

CXCVII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΟΠЄΛΙ. ϹЄ. ΜΑΚΡΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Opelius Severus Macrinus.* Caput laureatum.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Solæ hæ literæ areæ numi inscriptæ, qui parvæ formæ est.





CXCVIII.

ΑΥΤ. Μ. ΟΠЄΛ. ϹЄΟΥ. ΜΑΚΡЄΙΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Opelius Severus Macrinus.* Caput Macrini laureatum.

ϹΑΜΙΩΝ. *Samiorum.* Meleager nudus, aprum lancea confodiens.

SAmos Insula, & princeps Joniæ urbs, numis testibus:

CA-



CAMIΩN. ΠΡΩΤΩΝ. ΙΩΝΙΑC. De eadem PLINIUS *Lib. 4. Jonia ora habet Samon liberam, circuitu octoginta septem millium passuum.* Meleagri *lanceam, qua aprum interfecerat,* τὴν λόγχην ᾗ τὸν ὗν κατειργάσατο, apud Sicyonios in æde Suadelæ asservatam fuisse, PAUSANIAS *Corinth. cap. 7.* adnotavit. Meleagrum, ob aprum devictum, cum Hercule comparat APOLLONIUS *Lib. 1.* & VALERIUS FLACCUS *Lib. 1.* Numus est ex ære medio.



CXCIX.

ΔΙΩΔΟΥΝΕΝΙΑΝΟC. *Diadumenianus.* Caput ejusdem nudum.

ΙΛΙΕΩΝ. *Iliensium.* Pallas galeata stans, d. globum, cui insistit Victoriola, s. hastam, ad pedes clypeus.

ILium, decantata Phrygiæ urbs, ad Scamandrum fluvium sita: uti comprobant numi Neronis, & Britannici, ΙΛΙΕΩΝ. CKAMANΔPOC. apud R. P. Harduinum. Ilium alia, a Troade Colonia, urbs erat, quam Troadem alioqui Trojæ loco exstructam putant. Fuit vero Troja etiam regionis nomen, si SERVIO *in principium Æneidos* credimus: *Troja regio est Asiæ, Ilium urbs.* Consentit cum his STEPHANUS: Ἴλιον πόλις Τρῳάδος ἀπὸ Ἴλου, ἣν οἱ Τρῶες Ἀκτὴν ἐκάλουν . . . τὸ ἐθνικὸν Ἰλιεύς. *Ilium urbs Troadis, ab Ilo: hanc Trojani Acten vocabant. Gentile nomen Ilieus.*

De Palladis stantis simulacro apud Ilienses hæc animadvertit STRABO *Lib. 13.* Τῆς Ἀθηνᾶς τὸ ξόανον νῦν μὲν ἑστηκὸς ὁρᾶται· Ὅμηρος δὲ καθήμενον ἐμφαίνει. *Palladis simulacrum stantis figura*

figura nunc cernitur, quod Homerus sedentis forma repræsentat. Nullus apud Vaillantium, sub Diadumeniano, reperitur Iliensium numus: noster est parvi moduli.





CC.

ΔΙΑΔΟΥΝΕΝΙΑΝΟC. (*sic.*) ΚΑΙ. *Diadumenianus Cæsar.* Caput ejusdem nudum.

ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Cotiaënsium.* In corona.

HAnc Phrygiæ urbem Plinius *Lib. 5. Cotyajon* scribit. Stephanus: Κοτυάειον πόλις τῆς Ἐπικτήτȣ Φρυγίας . . . τὸ ἐθνικὸν Κοτιαεύς. *Cotyajum urbs Phrygiæ Epicteti: gentile Cotiaeus.* Numus est parvi æris, nullumque Vaillantius sub hoc Cæsare protulit Cotiaji signatum.

CCI.

Μ. ΟΠΕΛ. ΔΙΑ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Marcus Opelius Diadumenianus Antoninus.* Caput ejusdem nudum.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Marcianopolitarum.* Lunæ bicornis astrum, cum tribus stellis. Parvi moduli numus.

CCII.

Κ. Μ. ΟΠΠΕΛ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟC. *Cæsar Marcus Oppelius Antoninus Diadumenianus.* Caput ejus nudum.

ΥΠ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡ. *Sub Agrippa, Nicopolitarum ad Istrum.* Serpens in gyros contortus alte caput erigens, nimbo cinctum. Bacchum, aut Æsculapium indicare videtur serpens. Numus est ex ære medio: typus similis habetur in Gordiani Pii numo, etiam Nicopoli percusso.

CCIII.





CCIII.

Eadem utriusque partis inſcriptio, idem caput.

Murus, cum porta urbis, inter duas turres: e medio muri tertia turris, paullo altior, aſſurgit; faſtigia turrium pinnis ornata. Medii moduli numus.



CCIV.

M. ΟΠЄΛΙ. ΔΙΑΔΟΥΜΗΝΙΑΝΟϹ. K. *Marcus Opelius Diadumenianus Cæſar.* Caput ejusdem nudum.

ΥΠ. ΜΑΡ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΙΚΟΠΟΛЄΙΤ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤ. *Sub Marcio Agrippa Nicopolitarum ad Iſtrum.* Nemeſis ſtans, d. pateram, ſ. flagellum, ad pedes rota. Ex ære medio.



CCV.

K. ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟC. *Cæsar Diadumenianus.* Caput ejusdem nudum.

ΠΡΟΥCΙΕΩΝ. ΠΡΟC. ΥΠΙΩ. *Prusiensium ad Hypium* Muliebris figura stans, d. stylum, aut bacillum, s. quiddam folio simile gestat.

HÆc Prusa, Bithyniæ urbs, ab altera Prusa ejusdem Regionis (de qua in Commodo dictum est) adjecto montis Hypii nomine discernitur. Plinius *Lib. 5. Prusa item altera sub Hypio monte.* Ptolemæus etiam Hypii fluvii meminit: Προῦσα πρὸς τῷ Ὑπίῳ ποταμῷ. *Prusa ad Hypium fluvium.* Ejusdem fluvii nomen ita exponit Apollonii Scholiastes *ad Lib. 2. Argonaut.* Ὁ Ὕπιος ὠνόμασται, ἀπὸ τοῦ καταφέρεσθαι ἀπὸ τῶν ὑπίων ὀρῶν. *Hypius, seu sublimis dicitur; quod a sublimibus deferatur montibus.*

Figuram muliebrem, quam hic parvi æris numus offert, primum Sibyllam referre suspicabar, Hellespontiacam illam, aut Phrygiam; quarum meminit Lactantius *Lib. 1. de falsa Religione.* si nempe id, quod utraque manu figura gestat, stylum, & folium referat; cum de Tiburtina Sibylla Virgilius *Lib. 3. Æneidos v. 444.* canat:

Fata canit, foliisque notas, & carmina mandat.

Fortasse tamen, numi forma minus accurate scalpta, Cybeles sacerdos exhibenda erat, tympanum pulsans; atque adeo tympanum existimandum foret, quod folium videtur.





CCVI.

CCVI.

ATT. K. M. ATP. ANTΩNЄINOC. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ἀυρήλιος Ἀντωνεῖνος. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Antonini Elagabali.

ЄΦЄCIΩN. Δ. NЄΩKOPΩN. *Ephesiorum quater, vel quartum Æditorum.* Genius urbis ſtans figura muliebri, capite tutulato, d. Dianæ Multimammiæ ſigillum attinet, ſ. Cornu Copiæ.

Ephesii in Caracallæ numo, apud R. P. Harduinum, ſe *Solos omnium quater Neoceros* ſcripſere: ЄΦЄCIΩN. MONΩN. AΠACΩN. TЄTPAKI. NЄΩKOPΩN. Verum quoniam idem honos ſub Caracalla Nicæenſibus etiam obtigit, numis eorum teſtantibus; nunc ſub Elagabalo, ac deinceps non jam ſe *Solos omnium*, ſed tantum *quater Neoceros* compellabant. Parvi moduli eſt numus.







CCVII.

ATT. K. M. ATP. ANTΩNINOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

ЄΦЄCIΩN. Δ. NЄΩKOPΩN. *Ephesiorum quater Æditorum.* Navis cum ſex remigibus. Numus eſt parvi moduli.

CCVIII.

AT. K. M. ATP. ANTΩNINOC. *Imperator Caſ. Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Elagabali laureatum.

ΘЄCCAΛONIKЄΩN. *Theſſalonicenſium.* Vir palliatus ſtans, d. fabrile quoddam inſtrumentum, ſ. malleum gerit.

Virum hunc, fabrilibus armis inſtructum, e Cabiris

Diis unum referre, ex numo ſimili, inſcripto: ΚΑΒΕΙΡΟΣ. ſtatuunt antiquitatis periti. Nam & Hesychio teſte: κάβειροι λέγονται εἶναι Ἡφαίστου παῖδες. *Cabiri dicuntur eſſe Vulcani filii.* De Cabirorum numero inter veteres adeo auctores non convenit. Scholiastes Apollonii quatuor Cabiros ſtatuit, quibus hæc dat nomina: Axieros Ceres, Axiocerſa Proſerpina, Axiocerſus Pluto, Camillus, ſeu Caſmillus, qui eſt Mercurius. Tertullianus *de Spectacul.* Tres eſſe Cabiros perhibet: tres item Strabo *Lib. 10.* quos Corybantas quoque appellat: & quibus totidem Cabiridas Nymphas adjungit, e Vulcano, & Cabira, Protei filia, genitas. Terentius Varro duos Cabiros: duos etiam Damascius *apud Photium* numerat, qui Dioſcuri quoque compellati fuerant. Eusebius *Lib. 1. præparat. Evangel.* Plurali quidem numero, non tamen definito, Cabiros adducit: Vide etiam Arnobium *Lib. 5.* & Jul. Firmicum *de Errore profan. Relig. cap. 12.* Cabiri nomen alii ab Hebraico גבר *robuſtus fuit*, *valuit:* alii rectius a כביר derivant, quod apud Hebræos juxta, ac Syros *robuſtum*, *potentem*, ſignificat; quo epitheto etiam Cabiri apud Varronem, & Tertullianum *Libro de Spectac.* cohoneſtati leguntur: *Tres aræ trinis Diis patent, Magnis, Potentibus, Valentibus.* Sanctiſſimus erat in Syria, Samothracia, & Græcia Cabirorum cultus; atque de inexpiabili ſcelere illorum, qui Cabirorum ſacra violaſſent, exempla refert Pausanias *Bœotic. cap. 25.* Mediæ formæ numus eſt.

CCIX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗΛΙ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

ΥΠ. ΙȢΛ. ΑΝΤ. CΕΛΕΥΚΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Julio Antonino, Seleuci filio, Marcianopolitarum.* Figura virilis nuda ſtans, d. pateram, ſ. duas ſpicas. Solet hoc ſimulacro Bonus Eventus in ære priſco exhiberi. Numus eſt medii moduli.

CCX.







CCX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Marcianopolitarum.* Corbis vimineus, frugibus refertus. Numus eſt parvi moduli.

CCXI.

Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΑΥΤ. *Marcus Aurelius Antoninus Auguſtus.* Caput laureatum Elagabali.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaenſium.* Elephas loricatus cum inſeſſore, qui d. ſtimulum aduncum geſtat.

SImilem averſæ partis figuram, quæ in græcis numis rara eſt, in Philippi Patris numis latinis videre eſt, cum Epigraphe: AETERNITAS. AVGG. Eſt vero Æternitatis ſymbolum Elephas ob vitæ diuturnitatem. Aristoteles *Lib. 9. hiſtor. animal. cap. 46.* Ζῆν δέ φασι τὸν ἐλέφαντα, οἱ μὲν ἔτη διακόσια, οἱ δὲ ἑκατὸν εἴκοσι. *Elephantos vivere alii exiſtimant annos ducentos, alii centum viginti.*

Figura elephanto inſidens, & inſtrumento, ſuperne falcato, belluam regens, indicat modum, ac inſtrumentum, quo plures elephanti caperentur, ac regerentur. Refert ſiquidem Aristoteles *libro citato cap. 1.* Elephantorum venatores, Elephantum aliquem, antea manſuefactum, conſcendere, atque ita alios, feros adhuc Elephantos curſu inſequi, dum vires deficiant. *Tum* (pergit Ariſtoteles) *inſiliens in ferum Elephantum venator, falce regit,*

ac mitigat. Τότε δὲ ὁ ἐλεφαντιαςὴς ἐπιπηδήσας κατευθύνει τῷ δρεπάνῳ. Mediæ formæ numus eſt.

CCXII.

Eadem inſcriptio utriusque partis, & idem caput.

Pallas galeata ſedens, d. victoriolam, ſ. haſtam præpilatam. Mediæ formæ numus eſt.



CCXIII.

M. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. ΑΥΓΟΥ. *Marcus Aurelius Antoninus Auguſtus.* Caput Elagabali laureatum.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Nicomedienſium tertium Æditorum.* Urna, ex qua duo rami prominent, Urnæ inſcriptum ΔΗ . . . Τ. ΙΑ. ΔΗΜΗΤΡΙΑ. *Certamina in Cereris honorem, ſeu Cerealia.* Infra urnam ΑΝΤΩΝΙΑ. *Antonia certamina.*

Literarum veſtigia, quæ in urna ſuperſunt, Δημήτρια legendum ſuadent; præterquam quod etiam in Caracallæ numo apud Vaillantium legatur: ΔΗΜΗΤΡΙΑ. ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Cereris nomen apud Græcos eſt Δημήτης, hinc Demetria *Cerealia.* Præter hos ludos alios etiam in honorem Antonini, quem Elagabalum compellant, inſtitutos eſſe, inſcriptio ΑΝΤΩΝΙΑ. & ramus alter, ex urna emicans, clare indicant. Illud tamen inuſitatum, hic ΑΝΤΩΝΙΑ legi, cum ex vocabulo ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. potius ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑΝΑ. vel ΑΝΤΩΝΕΙΝΙΑ. formandum videatur, quibus nominibus etiam alii numi ſignati habentur, qui ludos, in Antonini cujusdam honorem inſtitutos, exhibent

Hæc

Hæc porro Antoninia Certamina Nicomediæ celebrata fuisse anno primo Imperii Elagabali, V. C. 971. Xiphilinus *e Dionis Lib. 79.* comprobat, quo teste Elagabalus, victo Macrino, *Nicomediæ* hiberna egit, *& habitu triumphali Consul votivorum ludorum die usus est.* Concepta nempe Imperii anno primo Vota Quinquennalia. Numus est elegans magni moduli.



CCXIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

ΥΠ. ΝΟΒΙΟΥ. ΡΟΥΦΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟΝ. *Sub Nobio Rufo Nicopolitarum ad Istrum.* Fortuna stans, capite tutulato, d. temonem, f. Cornu Copiæ. Mediæ magnitudinis numus est.

CCXV.

ΑΥ. Κ. Μ. Α. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. Ι. *Nicopolitarum ad Istrum.* Lunæ bicornis sidus, cum stella. Similem typum proposuimus in Severi numo ejusdem urbis. Est hic numus parvi moduli.

CCXVI.

Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. ΑΥΓ. *Marcus Aurelius Antoninus Augustus.* Caput laureatum Elagabali.

ΜΗΤΡΟΠΟ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜЄΟC. *Metropoleos Ponti Tomorum.* Serapis stans, d. elata, f. baculum, aut virgam men-

mensoriam. Typum similem dedimus in icone numi Nicæensium, sub Caracalla. Medii moduli hic numus est.



CCXVII.

ΙΟΥΛ. ΚΟΡΝ. ΠΑΥΛΑ. ϹЄΒ. Ἰȣλία Κορνηλία Παῦλα Σεβαςή. *Julia Cornelia Paula Augusta.* Caput Paulæ, quæ fuit prima Elagabali uxor.

ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛЄΩϹ. ΝЄΩΚΟΡȣ. *Metropolis Philippopolis Æditua.* Hygia stans, d. serpentem, s. pateram.

RArissimis accensentur omnes Juliæ Paulæ Græci numi: noster magni moduli est, cujus typum aversæ partis habes in Numo Veri Pessinuntiorum.

CCXVIII.

ΙΟΥΛΙΑ. ΠΑΥΛΑ. ϹЄΒ. *Julia Paula Augusta.* Caput ejusdem.

L. Γ. Λυκάβαντος γ'. *Anno tertio:* nempe Imperii Elagabali. Figura semi-nuda in lecto decumbens, capite tutulato: Isidem putant.

ÆGyptium hunc, & sequentem, medii moduli numos, quamvis nullo urbis nomine insignes, hic adposui; quando etiam Vaillantius Paulæ, & alios rariores Augustorum id genus numos sæpius adfert.


CCXIX.



CCXIX.

ΙΟΥΛΙΑ. ΠΑΥΛΑ. CЄΒ. *Julia Paula Augusta.* Caput ejusdem.

L. Γ. *Anno tertio.* Caput muliebre, cujus vultui oppositum est Lunæ falcatæ astrum. Videntur ad ipsam Paulam Lunæ symbolo alludere; cum Elagabalus totus Soli devotus, & Solis Elagabali Sacerdos fuerit.



CCXX.

M. AYP. A . . . . AYΓ. Μάρκος Αὐρήλιος Ἀλέξανδρος Αὐγουςός. *Marcus Aurelius Alexander Augustus.* Caput laureatum Severi Alexandri.

ANЄMOYPIЄΩN. *Anemuriensium.* Caput muliebre velatum, ac tutulatum.

DE hac urbe Scylax: Ἀνεμύριον ἄκρα, καὶ πόλις. *Anemurium promontorium, & urbs.* Promontorii etiam meminit Pomponius Mela *Lib. 1. Duo deinde promontoria sunt . . . . quod Ciliciam, a Pamphylia distinguit, Anemurium.* Ad Ciliciam Asperam refertur hic locus. Numus est parvi moduli.



CCXXI.

M. ΑΥΡΗΛΙΟC. ΑΛЄΞΑΝΔΡΟC. K. *Marcus Aurelius Alexander Cæsar.* Caput Alexandri nudum.

ΜΗΤΡΟΠ. ΚΑΙCΑΡ. ЄΤ. Є. Μητροπόλεως Καισαρείας, ἔτους ε. *Metropolis Cæsareæ, anno quinto.* Mons Argæus, basi impositus, in cujus vertice specus; specui vero figura pentagona imminet, stellæ figuræ aliquantum similis.

QUid pentagona illa figura, vertici Argæi montis imminens, sibi velit; videor mihi apud STRABONEM *Lib. 12.* deprehendisse, ubi ita de Mazaca, seu Cæsarea Cappadociæ scribit: Κεῖται γὰρ ὑπὸ τῷ Ἀργαίῳ ὄρει, πάντων ὑψηλοτάτῳ, καὶ ἀνέκλειπτον χιόνι τὴν ἀκρώρειαν ἔχοντι. *Sita est sub Argæo monte, omnium altissimo, qui verticem habet perpetuis nivibus contectum.* Sane stellæ non absimilem flocci angulosi formam, non inepte nivibus indicandis adhibere Monetarius poterat. Nam quod quis fortasse dicat: altitudinem montis, stellæ figura indicari; quasi, ut Poëtæ loquuntur, sidera tangat vertice: vel quod ex eo stellarum contemplatio commodius institui possit; id mihi quidem, si jocari libet, ipsis illis nivibus frigidius videretur.

Medii moduli numus est, in quo ЄΤ. Є. Nequaquam annum quintum Alexandri Cæsaris designare potest; cum Elagabalus haud ita multo ante necem suam Alexandrum Cæsarem renunciaverit, qui ne uno quidem anno *tantum Cæsar* fuerat. Quare Elagabali hic annus Imperii quintus est, ejusdemque ultimus. Et licet Elagabalus anno gesti

Im-

Imperii quarto decesserit; tamen etiam in numis legitur TRIB. POT. V. Cui rei lucem attulit Dio *Lib. 78.* & sequente, ubi refert: Elagabalum Caracallæ filium apud milites proclamatum esse, & non dum decreta sibi nomina Augusti, Proconsulis, ac Tribunitia Potestate, priorem occupasse. Hinc Imperium suum, excluso Macrini tempore, a morte Caracallæ putari constituit; atque ita quinque anni conficiuntur.

CCXXII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander.* Caput laureatum ejusdem.

ΥΠ. ΤΙΒ. ΙΟΥΛ. ΦΗΣΤΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Tiberio Julio Festo Marcianopolitarum.* Aquila fulmini insistens.

Julius Capitolinus *in Macrino cap. 4.* meminit Festi, qui Macrini libertus, & ejus fortunæ adjutor fuerit. Is quidem dubio procul a Macrino ad Magistratus promotus fuerit; &, siquidem promptus ad recipiendum Elagabalum inventus erat, ab eodem etiam in officio confirmatus, aut ad alia promotus fuerit. Hæc interea, dum alius producatur Festus, cui melius hic, mediæ formæ, numus adscribi possit.

CCXXIII.

Eadem utriusque partis inscriptio; nisi ΣΕΥΗ. pro ΣΕΥ. Idem Caput.

Mulier stans, d. bilancem, f. Cornu Copiæ. Typum vide in Severi numo Nicæensi: hic noster est ex ære medio.



CCXXIV.

ATT. K. M. ATP. CET. AΛEZANΔPOC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander.* Caput ejusdem laureatum.

ΥΠ. ΦΙΡΦΙΝΟ. ΠΑΠΠΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Phirphino Pappo*, vel *Pappi filio*, *Marcianopolitarum.* Mulier ſtans, d. pateram, ſ. haſtam.

TYpus ſimilis productus eſt in Caracallæ numo, etiam Marcianopoli ſignato; hic vero eſt medii moduli.

CCXXV.

Idem caput, & inſcriptio, excepto AT. loco ATP.

ΥΠ. ΙΟΥΛ. ΓΕΤΟΥΛ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Julio Getulico Marcianopolitarum.* Hygia ſtans, d. ſerpentem, ſ. pateram. Typum obvium vide in Numo Peſſinuntio Veri.

PRimum legeram *ſub Julio Getulo;* at Amicus, qui alium numum cum integro cognomine nactus eſt, me monuerat: legendum eſſe *Getulico.* Numus hic eſt mediæ formæ.

CCXXVI.

M. ATP. CET. AΛEΞANΔPOC. AV. *Marcus Aurelius Severus Alexander Auguſtus.* Caput laureatum ejusdem.

NIKAIEΩN. *Nicaenſium.* Leo currens. Parvi moduli eſt numus.







CCXXVII.

ATT. K. M. ATP. AΛEZANΔPOC. ATT. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Alexander Auguſtus.* Caput ejusdem laureatum.

NIKAIEΩN. *Nicaenſium.* Figura muliebris ſtans d. bilancem, ſ. Cornu Copiæ. Medii moduli eſt. CCXXVIII.

CCXXVIII.

M. ΑΥΡ. CΕΥΗ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟC. ΑΥΓ. *Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus.*

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaensium.* Templum ſex columnarum. Numus eſt parvi æris.

CCXXIX.

Eadem utriusque partis inſcriptio, idem caput.

Urna ludorum, cum palmæ ramo. Numus parvi moduli eſt.



CCXXX.

M. ΑΥΡ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟC. ΚΑΙC. *Marcus Aurelius Alexander Cæſar.* Caput ejusdem nudum.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaensium.* Diana gradiens, qualis exhibetur in numo Cyziceno Fauſtinæ. Hic numus eſt parvæ formæ.

CCXXXI.

M. ΑΥΡ. CΕΥΗ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟC. ΑΥΓ. *Marcus Aurelius Severus Alexander Auguſtus.* Caput ejusdem laureatum.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΤΡΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Nicomedienſium ter Æditorum.* Æſculapius ſtans, d. baculum, ſerpente obvolutum. Typos ejusdem jam dedimus duos ſub Caracalla. Numus eſt parvi æris.

CCXXXII.

M. ΑΥΡ. CΕ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΑΥ. *Marcus Aurelius Severus Alexander Auguſtus.* Caput laureatum Alexandri.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ.ΤΡΙC.ΝΕΩ. *Nicomedienſium ter Æditorum.* Templum octo columnarum. Parvi moduli numus eſt.



CCXXXIII.

M. ΑΤΡ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟC. ΑΤΤ. *Marcus Aurelius Alexander Augustus.* Caput ejus laureatum.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. *Nicomedienſium.* Fortuna ſtans, d. temonem ſ. Cornu Copiæ. Typus habetur in Elagabali numo Nicopolitano. Parvæ formæ eſt numus.

CCXXXIV.

M. ΑΤΡ. CΕΤΗ. ΑΛΕΖΑΝΔΡΟC. Α. *Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΔΙC. ΜΕΩ. (*ſic.*) *Nicomedienſium bis Æedituorum.* Templum octo columnarum. Parvi moduli eſt.

CCXXXV.

M. ΑΤΡ. CΕΤ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. ΑΤΤ. *Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus.* Caput ejusdem cum corona radiata.

ΝΙΚΟΜΗΔΕΩΝ. ΔΙC. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Nicomedienſium bis Æedituorum.* Muliebris figura ſemicincta ſtans, ſiniſtra ſpicas obtendit Cygno accedenti, dextra flagellum attollere videtur.

Similem averſæ faciei typum nullo in numiſmate me conſpexiſſe memini. Subibat primum Ledæ, & Jovis in Cygnum mutati fabula. Verum cum figura muliebris flagello ſimile quiddam altera manu oſtentaret; de Nemeſi hic aliquid exhibitum eſſe, ſuſpicatus ſum. Atque rem, propudioſam illam quidem, atque ad Jovis ſui dedecus ab ipſis Idololatris confictam, referunt Hyginus *in Olore*, & Apol-

APOLLODORUS *Lib. 3.* Ubi narrant: Jovem, cum Nemesin sollicitasset, repulsam primum tulisse; mutato igitur consilio se ipsum in Cygnum, Venerem autem, sequi jussam, in Aquilam transformasse; Nemesin porro, cum Cygnum libenter, ignara quid subesset, reciperet, deceptam fuisse a Jove, atque ex eo flagitio ipsam duo ova peperisse, quæ Venus Ledæ supposuit.

Nostro igitur in Numo, qui parvi moduli est, Jupiter, Cygnum mentitus, ad Nemesin accedens effingitur; quæ dum altera manu spicas, aut aliud pabulum obtendit, libenter receptum Cygnum denotare videtur: altera vero flagellum attollens, quæ, qualisque ipsa sit, & quod antea Jovi repulsam dederit, satis luculenter indicat. Jovis, in Cygnum mutati ad Nemesin violandam, meminit etiam TZETZES *in Lycophrone:* Ζεὺς ὁμοιωθεὶς κύκνῳ μίγνυται Νεμέσει τῇ Ὠκεανοῦ θυγατρί.

CCXXXVI.

M. ΑΥΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟϹ. ΚΑΙ. *Marcus Aurelius Alexander Cæsar.* Caput ejusdem nudum.

ΝΥϹΑΕΩΝ. *Nysæorum. In Caria*, vel *Lycia.* Muliebris Fortunæ figura stans, d. temonem, f. Cornu Copiæ: typum habes in numo Elagabali Nicopolitarum.

NUllum Alexandri numum, in hac urbe cusum, Vaillantius produxit: noster ex ære parvo est.



CCXXXVII.

CCXXXVII.

M. AT. ΑΛΕΞΑΝΔ. ΚΑΙ. *Marcus Aurelius Alexander Cæsar.* Caput ejus nudum.

CΙΔΗΤΩΝ. *Sidetarum, in Pamphylia.* Templum sex columnarum, in quo figura stans, sago, ut videtur, induta, d. pateram, sin. hastam.

Est Numus magni moduli. Alexandri Numismata, cum solo Cæsaris titulo, non sunt obvia.

CCXXXVIII.

M. AΥΡ. CΕΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC . . . *Marcus Aurelius Severus Alexander* . . . Caput laureatum Alexandri.

ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜΕΩC. *Metropolis Ponti Tomorum.* In area Δ. Muliebris figura stans, d. bilancem, f. Cornu Copiæ, ad pedes rota; forte Nemesis. Numus est ex ære medii moduli.



CCXXXIX.

ΙΟΥΛΙΑ. ΜΑΜΑΙΑ. *Julia Mamæa.* Caput Mamææ, Matris Alexandri.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. ΤΗC. ΑΡΤΕΜΙΔΟC. *Magnesiorum Ædituorum Dianæ.* Figura muliebris stans, sinistra infantem gestans.

Magnesia alia Lydiæ urbs erat, quæ in numis adscripto nomine CΙΠΥΛΟΥ. *Sipyli montis*, dignoscitur. Alia Joniæ erat, ad quam noster magni moduli numus pertinet; id

id quod inscriptio: *Diana*, prodit, in aliis hujus urbis numis etiam deprehensa. Magnesiæ huic, constitutum a Themistoclis filiis, Dianæ signum æneum in veneratione fuisse, narrat PAUSANIAS *in Atticis*, cui Dianæ Leucophrynes cognomen fuisse, præter Pausaniam, etiam Hadriani numus, a Magnesiis percussus, comprobat, inscriptus: ΛΕΥΚΟΦΡΥΣ. ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Diana, albis superciliis decora, Magnesiorum.*

Figura muliebris, infantem gestantis, sitne Isis, Osiridem fovens: an simulacrum γῆς κȣροτρόφȣ, *Terræ, puerorum nutricis*, cujus PAUSANIAS *in Atticis cap. 22.* meminit; an vero Ειρήνη φέρȣσα Πλȣ́τωνα παῖδα, *Pax ferens Plutonem Puerum*, de qua *eodem libro* PAUSAN. *cap. 8.* An Jupiter infans, cui Amalthea lac præbuit, teste APOLLODORO *Lib. 1.* An denique Dindymene, Mater Deum, hic exhibeatur, cujus Templum Magnesiæ fuisse, STRABO *Lib. 14.* perhibet? Nullo certo figuræ indicio discerni potuit.



CCXL.

ΑΥΤ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. ΕΥϹΕΒΗϹ. *Imperator Maximinus Pius.* Caput laureatum Maximini.

ΟΥΛΠΙΑΝΩΝ. ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. *Ulpianorum Anchialensium.* Cupido insistens currui, quem duo alati serpentes trahunt.

QUid effigies faciei posticæ hujus numi, qui mediæ formæ est, sibi velit; videor mihi collegisse ex Epi-

grammate Græco SECUNDI *Lib. 4 Anthol. Græc.* ubi de statuis Amorum, seu Cupidinum ita canit:

Σκυλοχαρεῖς ἴδ' Ἔρωτας, ἴδ' ὡς βριαροῖσιν ἐπ' ὤμοις
Ὅπλα φέρουσι θεῶν, νήπι' ἀγαλλόμενα·
Τύμπανα, καὶ θύρσον Βρομίου, Ζηνὸς δὲ κέραυνον·
Ἀσπίδ' Ἐνυαλίου, καὶ κόρυν ἠύκομον·
Φοίβου δ' εὔτοξον φαρέτρην, Ἀλίουτε τρίαιναν·
Καὶ σθεναρῶν χειρῶν Ἡρακλέους ῥοπαλήν.

Vide spoliis gaudentes Cupidines! vide, ut robustis humeris, Deorum ferant arma, exultantes Pupuli! tympana, & thyrsum Bacchi, & Jovis fulmen: scutum Martis, atque ornatam galeam: Phœbi pharetram, sagittis refertam, ac Neptuni tridentem: tum validarum Herculis manuum clavam.

Tot Numinum prædis insignes Cupidines cum sint a veteribus Græcis effícti; in hoc etiam numi typo Cereris currum, Draconibus jungi solitum, Cupido victor inscendere videtur. Recte alatis serpentibus vectus exhibetur Cupido, quippe malum velocissimum, & omni veneno nocentius.





CCXLI.

ΑΥ. Κ. Γ. ΙΟ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜЄΙΝΟC. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαῖος Ἰούλιος Οὐῆρος Μαξιμεῖνος. *Imperator Cæsar Cajus Julius Verus Maximinus.* Caput ejusdem laureatum.

ΚΑΡΑΛΛΙΩΤΩΝ. *Caralliotarum.* Pluto, quadrigis insistens, Proserpinam abripit.

STEPHANUS: Κάραλλις, ἡ Καράλλεια Ἰσαυρικὴ πόλις· τὸ ἐθνικὸν Καραλλι-

ϱαλλιώτης. Ἐστὶ καὶ Καϱαλία διὰ ἑνὸς λ. *Carallis, aut Carallia urbs Isauriæ: gentile Caralleota. Scribitur etiam Caralia unico l.* Unicum Caralliotarum numum in toto suo volumine protulit Vaillantius, eumque etiam sub Maximino, obvio Victoriæ iconio signatum: noster magni moduli est.

CCXLII.

Α . . . ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. *Imperator . . . Julius Verus Maximinus.* Caput ejusdem laureatum.

ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Metropolitarum.* Fortuna stans, capite tutulato, d. temonem, f. Cornu Copiæ: typus habetur in Elagabali numo Nicopolitano.

DUarum urbium numismata habentur, quæ proprio nomine *Metropolis* appellatæ sunt. Altera in Jonia sita erat; in ære suo Strategos, seu Prætores consignavit, & addidit non raro, discriminis ergo, τὸ ΕΝ. ΙΩΝΙΑ. *In Jonia.* Altera Metropolis, Phrygiæ urbs fuerat, ad quam noster, parvi moduli, numus referendus est. De urbe hac, deque ejus nominis origine ita Stephanus. Μητϱόπολις Φϱυγίας, ἀπὸ τῆς Μητϱὸς τῶν Θεῶν οἰκισθεῖσα. *Metropolis Phrygiæ, a Matre Deum ædificata.* Τὸ ἐθνικὸν Μητϱοπολίτης. *Gentile nomen Metropolita.* Alias adhuc urbes octo, vel novem enumerat Stephanus, Metropolis proprio nomine insignes.

CCXLIII.

Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. ΑΥΓ. *Cajus Julius Verus Maximinus Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaensium.* Imperator Maximinus, equo currenti insidens. Mediæ formæ numus est.



CCXLIV.

AYT. K. Γ. IOY. OYH. MAΞIMЄINOC. Π. Π. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Γαῖος Ἰέλιος Οὐῆρος Μαξιμῖνος Πατὴρ πατρίδος. *Imperator Cæsar Cajus Julius Verus Maximinus, Pater Patriæ.* Caput ejusdem cum corona radiata.

TAPCOY. MHTPOΠOΛ. A M K Γ B. Ταρσȣ̃ μητροπόλεως ἀμφοτέρας Κιλικίας, γράμματι βȣλῆς. *Tarsi Metropolis utriusque Ciliciæ, rescripto Senatus.* Hercules inberbis ſtans, d. clavam, ſub qua caput bovis; ſ. exuvias leonis, ramum, & puellum ſuſtinet, ad quem animal quoddam adſtans caput erigit.

HUnc maximi moduli elegantem numum ante nos vulgavit Vir Eruditus Liebeus *in Gotha Numaria, ſeu Theſauro Fridericiano;* apud eundem tamen inſcriptio capitis non habetur integra, quemadmodum in noſtro: in averſa quoque parte ramum non expreſſit, ſed ejus loco avem: cum in noſtro ramus clare dignoſcatur, cui utrum avis inſideat, dubium eſt. Animal, Herculi adſiſtens, laudatus Liebeus canem, Herculis ſequacem, referre exiſtimat, adducto Pollucis teſtimonio: puelli porro effigie Hyllum, Herculi dilectum, deſignari. Aſt mihi animal illud majuſculum videtur; quam ut canem referre credam. Cervam igitur iſthic effictam eſſe exiſtimo, atque puellum illum Telephum referre, Herculis ex Avage, vel Auge Nympha filium, quem in ſilva exponi avus juſſerat, expoſitum cerva enutrierat. De hoc Ælianus *Lib. 12. Hiſtor. Var.*

Var. cap. 42. hæc perhibet: Κῦρον τὸν Μανδάλης ἔθρεψε φασὶ κύων· Τήλεφον δὲ τὸν Ἀγαυῆς, καὶ Ἡρακλέους, ἔλαφος. *Cyrum Mandales filium canis, ut ajunt, enutrivit, Telephum vero, Herculis ex Agave filium, cerva.* Nomen inde Telepho datum censet APOLLODORUS *Lib. 3.* Θηλὴν ὑποσχούσης ἐλάφου, τήλεφος ἐκλήθη. *Quod ipsi cerva ubera præbuisset, Telephus appellatus est.* Simulacri Telephi, a cerva lactati, etiam PAUSANIAS *Bœot. cap. 31.* meminit.

Hic igitur Herculem repræsentatum existimo, qui Telephum filium in brachia attollit; id quod gestu ipso infans indicare videtur, ambas manus ad cervam suspicientem tendens, ac toto corpusculo ad nutricem inclinatus; ramus silvam indicare potest, in qua expositus erat Telephus. Leonis exuviæ, & bovis caput, ad Nemeæ leonem, & Marathonis taurum, vel ad Acheloum pertinent, quæ omnibus nota sunt.

Tarsus, Sancti Pauli Apostoli patria, a STEPHANO Ἐπισημοτάτη πόλις Κιλικίας. *Urbs Ciliciæ maxime insignis*, appellatur: quam etiam Strabo inter potentissimas urbes numerat. Metropolin fuisse, numi testantur. Literas illas, in Tarsensium numis frequentes: A M K Γ B. alii aliter exponunt: mihi illa, quam initio exposui, præ cæteris placet; quod simplex, & veterum stylo conformis sit. Neque illa opinio prætermittenda est, quæ suadet legendum: A M K. Πρώτη Μόνη Κιλικίας. *Prima sola Ciliciæ* metropolis.



CCXLV.

Eadem, quæ in priori, inſcriptio, idem caput.

ΤΑΡϹΟΥ. ΤΗϹ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. Α Μ Κ Γ Β. *Tarſi Metropolis utriusque Ciliciæ, reſcripto Senatus.* Vir nudus, inter duos canes aſſilientes ſtans, extenſis manibus.

LEpido hujus numi typo Æſculapium exhiberi ſuſpicor. Festus *in voce Inſula* de Ædibus Æſculapio ſacris ſcribens, ita habet: *Canes adhibentur ejus templo; quod is uberibus canis ſit nutritus.* Plutarchus etiam in Opuſculo *de Solertia animalium*, Æſculapii templum à cane, cui nomen Capparis, vindicatum eſſe narrat. Æſculapii ſignum ita deſcribit Pausanias *Corinth cap. 27.* Ὧι κύων κατακείμενος πεποίηται. *Cui Canis adjacens effictus eſt.* Accedit, etiam nudum nonnunquam in ære veteri exhiberi Æſculapium, qualem in Serdicenſi Caracallæ numo propoſuimus.

Fortaſſe tamen hoc ſymbolo Tarſenſium Religio, ac Pietas deſignata eſt. Apud Oiselium *Tab. 78.* latini numi poſtica pars exhibetur, in qua ad figuram ſtantem canis aſſilit, cum Epigraphe PIETAS. Huc item faciunt, quæ de Mercurio Camillo, & cane eidem adſignato ad numum Antonini Pii, a Perinthiis percuſſum, adnotavi. Huic etiam expoſitioni, ipſique numi imagini congruunt, quæ Ælianus *Lib. 11. hiſt. animal.* enarrat, de Vulcani templo agens. Εἰσὶ δὲ κύνες περί τε τὸν νεὼν, καὶ τὸ ἄλσος ἱεροί· καὶ τοὺς μὲν σωφρόνως, καὶ ὡς πρέπει τε, ἅμα καὶ χρὴ παριόντας εἰς τὸν νεὼν, καὶ τὸ ἄλσος, οἱ δὲ σαίνουσι, καὶ ἀικάλλουσι, δια φιλόφροσιν ἐυμενοί τε, καὶ γνωρίζοντες δήπου. Ἐὰν δὲ τὶς ᾗ χεῖρας ἐναγής, τοῦτον μὲν δάκνουσι, καὶ ἀμύσσουσι &c. *Sunt autem canes ſacri circa templum, & lucum, qui caſte, & uti decet, ac oportet, accedentibus ad templum, & lucum adulantur, & cauda adblandiuntur, eosdem tanquam amicos agnoſcentes, & libenter recipientes. Si quis autem contaminatas aliquo ſcelere manus attulerit; hunc morſu, atque unguibus impetunt.* Hic numus eſt maximi moduli.

CCXLVI.

CCXLVI.

ΑΥΤ. ΜΑΞΙΜΕΙΝΟϹ. ΕΥϹΕΒ. ΑΥΓ. *Imperator Maximinus Pius Augustus.* Caput Maximini laureatum.

ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜΕΩC. Δ. *Metropolis Ponti Tomorum.* Bacchus nudus ſtans, d. cantharum, ſ. thyrſum; ad pedes lynx, vel tigris. Mediæ formæ numus eſt.






CCXLVII.

Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΟϹ. Κ. Γαΐος Ιούλιος Ουῆρος Μάξιμος Καῖσαρ. *Cajus Julius Verus Maximus Cæſar.* Caput nudum Maximi, filii Maximini, cum alio minuſculo capite, ad collum impreſſo.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicaenſium.* Figura muliebris ſedens, capite turrito, ſ. ſcipionem, vel ſceptrum gerit: videtur Cybelen referre.

NUmi Maximi in rarorum numero habentur; hic noſter medii moduli eſt.







CCXLVIII.

sic. CCXLVIII.

Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΖΙΝΟC. Κ. *Cajus Julius Verus Maximus Cæsar.* Caput ejusdem nudum.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicaensium.* Templum ſex columnarum, cujus tectum pinnulis ornatum. Medii moduli numus.

CCXLIX.

Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΟC. Κ. *Cajus Julius Verus Maximus Cæsar.* Caput ejusdem nudum.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicaensium.* Vir nudus gradiens, ſiniſtra ſublata arcum tenet, dextra ſagittam e pharetra, ex humeris pendente, eximit, & ſolicite in altum ſuſpicit; pone ipſum aves, telo transfixæ, decidunt.

ELegantiſſimum hujus numi typum referre Herculem, Stymphalidas aves ſagittis conficientem, nullum dubium eſt. Nam præterquam quod ſcriptores prope omnes, qui ſtymphalidum meminere, easdem ab Hercule ſagittis confixas perhibeant; Pausanias etiam earundem avium formam, apte omnino ad numi noſtri effigiem depingit. Ita habet Arcadic. *cap.* 22. Ἐπὶ δὲ τῷ ὕδατι, τῷ ἐν Στυμφάλῳ κατέχει λόγος, ὄρνιθάς ποτε ἀνδροφάγους ἐπ' αὐτῷ τραφῆναι. *Narratione fertur, in aquis Stymphali montis aves ſe ſe ſuſtinuiſſe, quæ homines abſumpſiſſent.* Ταύτας κατατοξεῦσαι τὰς ὄρνιθας Ἡρακλῆς λέγεται. *Quas aves dicitur Hercules ſagittis confixiſſe.* Deinde pergit Pauſanias narrando: ejuscemodi aves in Arabia reperiri, quarum denique formam his nobis verbis depingit: Αὗται μέγεθος μὲν κατὰ γέρανον εἰσὶν αἱ ὄρνιθες· Ἐοίκασι δὲ Ἴβισι. Ῥάμφη δὲ ἀλκιμώτερα φέρουσι, καὶ οὐ σκόλια ὥσπερ αἱ Ἴβεις. *Aves iſtæ magnitudine gruibus pares ſunt, ſimiles vero Ibidibus; roſtrum autem validius habent, neque tamen ita curvatum, ſicut Ibides.* Ibidis formam in numis, Ægypti effigie, vel ſymbolo ſignatis, videre eſt, cui ſi inflexum roſtrum demas, habes plane volucres in noſtro numo expreſſas, alto collo, & longis pedibus: gruesque magnitudine,quantum colligi poteſt,adæquantes.

Gra-

Gratulabatur sibi olim Patinus, adstipulante GRONOVIO *in Thesauro Antiquitat. Græc. Tom. 1.* reperisse se in Temenothyrensium numo desideratam Stymphalidum formam. Verum detectum subinde fuit, Cupidinis in eo numo effigiem potius, quam avis, consignatam videri; qua de re SPANHEMIUS *Tom. 1. Dissert. 5.* §. 4. videri potest. Atque idem Doctissimus Spanhemius in alio gentis Valeriæ argenteo numo Stymphalidem se deprehendisse existimabat, in quo avis, facie humana, caput galea tecta, tum latus scuto, & hasta munita visitur. Ea species Symbolicæ figuræ, & Ægyptio Hieroglyphico, quam avi propior, neque numismatis ipsius, neque scriptoris ullius satis idonea auctoritate, Stymphalidibus exacte congruit. Nostro igitur, parvi moduli, elegantissimo, ac integerrimo numo vera Stymphalidum forma, abstersis fabulis repræsentata, deberi videtur.

CCL.

Γ. ΙΟΥ. ΟΥΗ. ΜΑΞΙΜΟC. Κ. *Cajus Julius Verus Maximus Cæsar.* Caput nudum.

ΝΙΚΑΙЄΩΝ. *Nicaensium.* Tria signa militaria, cum coronis impositis.

HActenus numi omnes, ΝΙΚΑΙΕΩΝ. aut ΝΙΚΑΕΩΝ. inscripti, ab Antiquariis Nicææ Bithyniæ adjudicati sunt, demptis illis: ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΝΙΚΑΙΕΩΝ. de quibus sub initium hujus Appendiculæ actum est. Verum cum Amicus quidam meus, rei numariæ egregie peritus, ad me Belgrado perscripsisset: numos ΝΙΚΑΙΕΩΝ. inscriptos magno numero in Mœsia, seu Servia e terra erui; monuit, ut de altera quadam Nicæa, quæ ad Mœsiam, aut vicinam Thraciam pertinuisset, e vetustis scriptoribus detegenda serio cogitarem.

Atque in Mœsia quidem nullam ejus nominis urbem, at in vicina Thracia aliquam deprehendi, quæ Νίκη, aut Νίκα appellabatur: eamque fragmenta S. HILARII *Tom. 2. Concil.*

Editionis Venetæ noviſſ. relata *Nicæam* nominant. Attamen a THEODORITO *Lib. 2. cap. 21.* a SOCRATE *Lib. 2. cap. 37.* & a SOZOMENO *Lib. 4 cap. 19.* Νίκη *Nice* & quidem πόλις *urbs* compellatur. Addit etiam Socrates: Arianos Urſacianos illic Concilium celebraſſe, & formulam fidei Ariminenſem vulgaſſe ſub nomine Concilii Niceni Oecumenici: τῷ παρομοίῳ τοῦ ὀνόματος συναρπάζειν τοὺς ἁπλουστέρους βουλόμενοι. *Similitudine nominis ſimpliciores in fraudem inducere volentes.* Ex quo conficio, inter nomina ex NIKAIA. & NIKH. vel NIKA. derivata, plurimum, aut omnino conveniſſe. Id quod magis adhuc confirmat STEPHANUS, in verbo NIKAIA. ubi habet: Ὀγδόη Θρᾴκης, *Octava Nicæa Thraciæ.* Igitur inſcriptio NIKAIЄΩN. æque Thracicæ ſeu Nicæ, ſeu Nicææ convenit, atque Bithynicæ.

Præterea Ammianus Marcellinus Nicen Thraciæ, quam jam alii urbem dixere, ſtationem militum compellat; ii vero numi NIKAIЄΩN. qui militaria ſigna præ ſe ferunt, magno præter cæteros numero e Thracia, & Mœſia ad nos afferuntur. Quare numos NIKAIЄΩN. quibus præſertim elegantia Thracicæ fabricæ favet, atque illos in primis frequentiſſimos, qui ſigna militaria exhibent, ad Nicæam, ſeu Nicen Thraciæ referri poſſe conjicio; e quorum numero eſt etiam hic noſter, parvi æris, numus.



CCLI.

Α. Κ. Μ. ΑΝ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. ΑΦΡ. ЄΥϹЄΒ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ἀντώνιος Γορδιανὸς Σεβαςὸς Ἀφρικανὸς Ἐυσεβής. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus Africanus Pius.*

Caput laureatum Gordiani Africani Senioris.

L. A. Λυκάβαντος ά. *Anno primo imperii.* Caput Phœbi radiatum.

OB insignem numorum Gordiani Africani raritatem, Ægyptius hic, medii moduli, numus adjectus est; etsi urbis nomine careat. Vaillantius quatuor etiam id genus Ægyptia numismata exhibuit, sed posticæ partis diversa effigie. Eandem quoque, quæ hic data est, capitis Gordiani inscriptionem adducit Cl. Vaillantius, atque ultimam vocem ЄΥϹЄΒ. in duas ЄΥ. ϹЄΒ. disjungit, legitque Ἐυσεβὴς Σεβαςός. Quod probare non possum; cum jam antea ϹЄ-Βαςός legatur. Nam ut *Augusti* titulus bis in eadem capitis epigraphe collocetur, exemplo caret; contra vero congrue plane ЄΥϹЄΒ. Ἐυσεβής *Pius* legitur.



CCLII.

ΑΥΤ. Κ. ΔЄ. ΚЄΛ. ΒΑΛΒЄΙΝΟϹ. ϹЄΒ. Π. Π. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Δεκιμὸς Κέλιος Βαλβῖνος Σεβαςὸς, Πατὴρ Πατρίδος. *Imperator Cæsar Decimus Cœlius Balbinus Augustus, Pater Patriæ.*

Caput laureatum Balbini.

ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟ. Α Μ Κ Γ Β. *Tarsi metropolis utriusque Ciliciæ, Rescripto Senatus.* Tres Deæ stantes, quarum media d. temonem s. Cornu Copiæ; quæ ad dextram adstat,

 ga-

galeato capite est, & d. hastam, f. clypeum gerit; tertia, quæ a sinistris, dextram faciei admovet, f. flagellum gerit.

Figuram illam, quæ a sinistris adstat, & flagellum ostentat, Nemesin esse, nullus dubito. Verum omnes tres, tanquam Nemeses hic exhiberi, mihi quidem haud procul a vero alienum videtur. Plures quippe Nemeses a veteribus Dearum numero fuisse insertas, Pausanias nos docet *in Achaicis.* Καὶ Θεῶν Νεμέσεις πλείους νομίζουσιν ἀντὶ μιᾶς. *Plures una Nemeses inter Deas reputant.* Atque aliæ duæ illæ figuræ, quarum altera Palladis armatæ, altera Fortunæ simulacrum refert, ea probe exprimunt, quæ Nemesi attribui solent. Nemesin enim *Fortunæ vim* esse, & eidem Romanos, antequam ad *bellum* procederent, sacrificare solitos fuisse, Pomponius Lætus *de Nemesi* testatur.

Terno porro propositæ numero, fortassis eædem sunt, quæ tres Parcæ. Idem certe utrisque munus commissum est; cum & *Nemesis* nomen a νεμεσάω *distribuo* deductum fuisse constet: & idem de Parcis canat Hesiodus *in Theogonia:*

— — — — αἵ τε διδοῦσι
Θνητοῖς ἀνθρώποισιν ἔχειν ἀγαθόν τε, κακόν τε.

Quæ distribuunt mortalibus hominis mala, & bona.

Si quis symbolicam interpretationem potiorem putat; dici potest, indicari hisce tribus figuris: *bellum*, justæ *vindictæ* ergo susceptum, *Fortunam* comitari, ac regere. Duos duntaxat Balbini nummos protulit Vaillantius, Milesium alterum, alterum Tarsensem, cum typo trium Charitum, maximi moduli, qualis etiam noster est.



CCLIII.

CCLIII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΓ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ἀντώνιος Γορδιανὸς Ἀυγυστός. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum Gordiani Pii.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Luna, ſeu Diana lucifera, currens, utraque manu facem apprehendens: a tergo ſignum Lunæ falcatæ. Mediæ magnitudinis numus eſt.



CCLIV.

Eadem utriusque partis epigraphe, idem caput.

Mercurius columnæ innititur, cui capitis ſimulacrum impoſitum eſt; d. Caduceum geſtat, ſ. amiculum ſuſtinet.

COlumna hæc, humano capite decorata, veteribus Ἑρμῆς, *Hermes* dicebatur: quo vocabulo *Mercurius* apud Græcos, uti notum eſt, compellatur, ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας, *ab interpretandi munere.* De forma ejusmodi columnarum ita Macrobius *Lib. 1. Saturnal. cap. 19. Pleraquê etiam ſimulacra Mercurii quadrato ſtatu figurantur, ſolo capite inſignita.* Cui conſentit, quod Pausanias *Meſſen. cap. 23.* ſcriptum reliquit: Τὸ σχῆμα τὸ τετράγωνόν ἐστιν ταῖς Ἑρμαῖς. *Figura quadrangula ſunt Hermæ.* Numus noſter eadem figura columnam exhibet. Cauſam attingit Servius *in Lib. 8. Æneid.* ubi refert: Mercurio dormienti manus amputatas fuiſſe, & idcirco eundem ſolo capite,

quod trunco insistit, repræsentari. Ad hoc pariter allusit JUVENALIS *Satyr. 8. versu 53.*

Nil nisi Cecropides, Truncoque simillimus Hermæ.

Id genus columnæ in viis olim statui solebant, peregrinantium instructioni, atque etiam superstitioni servientes. STRABO *Lib. 8.* Pisæam regionem describens, ita habet: Συχνὰ δὲ καὶ τὰ Ἑρμεῖα ἐν ταῖς ὁδοῖς. *Sunt quoque frequentia in viis Mercurii simulacra.* Est medii moduli numus.

CCLV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Serapis stans, d. elata, s. baculum, aut virgam mensoriam gestat. Numus est medii moduli, cujus typum vide in Caracallæ numo, Nicææ signato.

CCLVI.

Eadem utriusque faciei inscriptio, idem caput.

Figura virilis sedens, capite tutulato, d. pateram, s. hastam: ad pedes Cerberi trifaucis simulacrum.

DOctissimus P. Harduinus similem numi Trallianorum typum, *Jovis Venatoris* Κυνηγέτου signum esse contendit: negatque, recte hactenus ab Antiquariis in similibus numis Cerberi figuram visam fuisse; verum illic tres canes, Jovi adblandientes, exhiberi. Ut ut sit de aliis numis, in nostro certe, qui mediæ formæ est, tria colla, uno e corpore existentia, perspicue dignoscuntur. Mallem igitur Plutonem hic quidem indicatum existimare.

CCLVII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟC. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus.* Caput ejusdem cum corona radiata.

ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛ. ЄΤ. ΞC. *Anazarbi Metropolis, anno 260.* Mercurius stans, d. crumenam, s. Caduceum, ex humeris pendet strophium.

HÆc urbs a STEPHANO Ἀνάζαρβα πόλις Κιλικίας. *Anazarba urbs*

urbs Ciliciæ, dicitur, qua terminatione in ære veteri non reperitur, sed Ἀνάζαρβος. Uti *in Notitia vetere Ecclesiastica* Ἐπαρχία Κιλικίας β'. Ἀνάζαρβος Μητρόπολις. *Provincia Cilicia secunda, Metropolis Anazarbus.* Æræ Anazarbensium annus 260. fuit Gordiani annus quartus; cum ea æra cœperit anno V. C. 734. de qua plura in Decio. Medii moduli numus est.



CCLVIII.

M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. AΥ. *Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem cum corona radiata.

ΔΟΡΥΛΑΕΩΝ. *Dorylensium.* Nemesis stans, d. faciem versus adducta, f. flagellum gerit, ad pedes rota.

STEPHANUS: Δορυλάειον πόλις Φρυγίας . . . . τὸ ἐθνικὸν Δορυλαεύς. *Dorylaeum urbs Phrygiæ; gentile nomen Dorylensis.* Urbibus Phrygiæ Epicteti Δορύλαιον adnumerat STRABO *Lib. 12.* Δορύλλειον scribitur apud Eustathium: Stephano favent numi. Hujus urbis monetæ veteres admodum raræ habentur; cum duas duntaxat Vaillantius exhibuerit, M. Aurelii unam, alteram Maximini: nostra mediæ magnitudinis est.

CCLIX.

M. ANT. ΓΟΡΔ . . . . *Marcus Antonius Gordianus.* Caput ejusdem cum corona radiata.

ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Juliopolitarum in Bithynia.* Tria signa militaria, quorum medio aquila insistit, reliquis duobus corona. Numus est æris parvi.

CCLX.

CCLX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΟ . . . . *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus.* Caput laureatum.

ΛΥΡΒЄΙΤΩΝ. *Lyrbitarum.* Hygia, & Æsculapius stantes, solita figura; in medio stans Telesphorus, pallio, & cucullo tectus: inferius stella.

LYrbe urbs Phrygiæ, aut Pisidiæ: *in Notitia Ecclesiastica Hieroclis* Λύϐεη; at melius *in Leonis Notitia* Λύϐη. Magni moduli est numus.

CCLXI.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus.* Caput laureatum.

ΛΥΡΒЄΙΤΩΝ. *Lyrbitarum.* Fortuna stans, d. temonem, s. Cornu Copiæ.

TYpum dedimus in Numo Nicopolitano Elagabali. Mediæ formæ est hic numus.



CCLXII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput Gordiani cum corona radiata, pectoris item pars, & dextra erecta, sinistra globum tenet.

ΥΠ. ΤΕΡΤΥΛΛΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Tertulliano Marcianopolitarum.* Gordianus, laureato capite, stans, dextram jungit cum figura muliebri, quæ turrito capite

capite eſt, & a cujus tergo Cornu Copiæ promicat: in medio ara, inferius: OMONOIA. *Concordia.*

HUnc maximi moduli elegantem numum, in Vaillantio deſideratum, vulgavit quidem ante nos Doctiſſimus BEGERUS, *in Theſauro Brandeburgico;* Noſter tamen Magiſtratus nomen ſupplet, quod in Brandeburgico non legebatur.

Hoc vocabulum ὁμόνοια, *Concordia*, tum adhiberi in ære veteri ſolet, cum duarum ſaltem urbium expreſſa comparent nomina, quarum concordia indicaretur. Aſt hic ſola Marcianopolis inſcripta legitur: typus vero Gordianum Imperatorem exhibet cum Genio urbis dextram committentem. Non adducor, ut credam: Gordiani Concordiam cum Marcianopolitanis hic indicatam eſſe; id enim Auguſto, & urbis, civiumque ſupremo capiti non congruebat. Malim conjugalem Concordiam hoc typo commendari, atque ſub Muliebri Urbis Genii ſpecie Tranquillinam, Gordiani uxorem, repræſentari: id quod in veteribus numis minime inſolitum eſt.







CCLXIII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus.* Caput laureatum.

ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΤΩΝ. ЄΝ. ΙΩΝΙΑ. *Metropolitarum, qui in Jonia ſunt.* Cybele ſedens inter duos leones, turrito capite, d. pateram ſ. tympanum, vel cymbalum.

HAnc urbem, *Metropolis* nomine gaudentem, hoc tempore

pore ad Joniam pertinuisse, numus ipse eloquitur, qui æris magni est. R. P. Harduinus hanc *Metropolin* a PTOLEMÆO *Lib. 5.* Lydiæ attributam fuisse, adnotavit. Verum aliam hoc nomine urbem in Lydia etiam fuisse, STEPHANUS contestatur, qui post duas Phrygiæ urbes, eodem *Metropolis* nomine insignes, scribit: Τρίτη Λυδίας, *Tertia Lydiæ.* De Cybele PROPERTIUS *Lib. 3. Eleg. 15. v. 35.* ita canit:

Vertice Turrigero juxta Dea magna Cybele
Tundet ad Idæos Cymbala rauca choros.

CCLXIV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. Ϲ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem.

ΙΕΡΑϹ. ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩϹ. *Sacræ Nicopolis.* Tripus serpente obvolutus, e vase, tripodi imposito, ramus prominet.

TRipodem, & lauri ramum ad vaticinia Apollinis, serpentem vero ad *Apollinem Salutarem* indicandum pertinere, facile quisque conjiciet. Floruit autem Apollinis cultus Actii, & Nicopoli, quæ Actio proxima fuit; uti & hæc duo loca conjungit PLINIUS *Lib. 4. Colonia Augusti Actium, cum civitate libera Nicopolitana.* Ludos etiam in honorem Apollinis hic celebratos esse, præter Strabonem, alibi adductum, ita SUETONIUS *in Aug. cap. 18.* perhibet: *Nicopolim apud Actium condidit, ludosque illic quinquennales constituit, & ampliato vetere Apollinis templo* &c. Ludos hos, seu hunc agonem DIO CASSIUS Ἱερὸν *sacrum* appellat, atque inde etiam ΝΕΙΚΟΠΟΛΙϹ. ΙΕΡΑ. dicta est. Est medii æris numus.

CCLXV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

- - - - - - - ЄϹΤ. ΝΙΚΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΟΝ. *Sub Sabino Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Templum tetrastylon, in quo scapi columnarum tortiles videntur.

Nomen

Nomen Magistratus mancum ex aliis numis suppleri potest. Mediæ formæ est.



CCLXVI.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum.

ΥΠ. CAB. ΜΟΔΕCΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟΝ. *Sub Sabino Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Nemesis stans, d. flagellum, s. Cornu Copiæ, ad pedes rota.

MEdii moduli numus est. Sabinum Consulem sub Gordiano fuisse, refert Jul. Capitolinus *in Gordiano Tertio.* Et *Fasti Consulares, e MS. Bibliothecæ Vindobonensis Auctoris Anonymi*, ab Eminentissimo Norisio editi, ita habent:

Anno Urbis 993. B. Sabino, & Venusto
994. Gordiano II. & Pompejano &c.

CCLXVII.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum.

ΥΠ. CAB. ΜΟΔΕCΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟΝ. *Sub Sabino Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Nemesis stans, dextra faciem versus adducta, s. flagellum, ad pedes rota.

TYpus hujus numi, qui mediæ formæ est, jam in Dorylensi Gordiani hujus numo datus est. Nemesin Vindictæ, ac Justitiæ Præsidem, moderationis tamen,

adducta dextra, admonere mortales, existimavit PHILIPPUS, Poëta Græcus, *Lib. 4. Anthologiæ.*

Ἡ Νέμεσις πῆχυν κατέχω. Τίνος εἵνεκα; λέξεις.
Πᾶσι παραγγέλλω, μηδὲν ὑπὲρ τὸ μέτρον.
Ego Nemesis cubitum adduco. Cur autem istud? inquies.
Omnibus annuncio: ne quid nimis.

CCLXVIII.

Eadem utriusque partis inscriptio, idem caput.

Serapis stans, tutulato capite, dextra elata, s. baculum, aut virgam mensoriam gestat. Typum vide in Numo Nicæensium, sub Caracalla: hic est magni moduli. Inscriptio, a numo priori, in hoc solum diversa est: ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΟΝ.

CCLXIX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΤ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum.

ΥΠ. ϹΑΒ. ΜΟΔΕϹΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΟ. *Sub Sabino Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Hygia stans, d. serpentem, s. pateram. Typus jam propositus est in Numo Veri, Pessinuntiorum: hic vero mediæ magnitudinis est.

CCLXX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤΩ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus.* Caput ejusdem laureatum.

ΥΠ. ΜΟΔΕϹΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΟΝ. *Sub Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Diana gradiens, d. sagittam e pharetra eximit, s. arcum gerit; ad pedes canis. Typus similis exhibitus est in Caracallæ numo Hadrianopolitano. Medii moduli est hic numus.

CCLXXI.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΤ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum.

ΥΠ. ϹΑΒ. ΜΟΔΕϹΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤ. *Sub Sabino Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Serpens in gyros

gyros contortus, caput coronatum, & nimbo ornatum erigit.

SErpentes quosdam sacros idololatris fuisse, nimbus arguit. De similibus aliis narrat PAUSANIAS *Corinth. c. 28.* Ἱεροὶ μὲν τοῦ Ἀσκληπιοῦ εἶναι νομίζονται, καὶ εἰσὶν ἀνθρώποις ἥμεροι. *Æsculapio sacri* (serpentes quidam) *habentur, & erga homines mansueti sunt.* Æsculapium ipsum, aut Bacchum a Mœsiis, ac Thracibus hoc symbolo repræsentatum fuisse, ex aliis eorundem numis conjicere licet. Numus est ex ære medio.



CCLXXII.

ΑΥΤ. Μ. ΑΝΤΩΝΙΟC. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *Imperator Marcus Antonius Gordianus.* Capita adversa Gordiani laureatum, & Serapidis tutulatum.

ΟΔΗCCΕΙΤΩΝ. Ε. *Odessitarum.* Hygia stans, d. serpentem, f. pateram.

IN Thracia inter Calatidem, & Apolloniam a STRABONE *Lib. 7.* locatur : Ὀδησσὸς Μιλησίων ἄποικος, *Odessus Milesiorum Colonia.* Consentit DIODORUS SICULUS *Lib 20.* παρῆλθεν εἰς Ὀδησσὸν ἣ κεῖται μεταξὺ τῆς τε Ἀπολλωνίας, καὶ Καλατίας. *Transivit Odessum, quæ sita est inter Apolloniam, & Calatiam.* STEPHANUS ob viciniam, aut de suo tempore locutus, eam Ponto adscripsit : Ὀδησσὸς πόλις ἐν τῷ Πόντῳ . . . ὁ πολίτης Ὀδησσίτης, καὶ Ὀδησσεύς. Apud PTOLEMÆUM *Lib. 3.* Ὀδυσσός vitiose legitur. Medii moduli numus est.

CCLXXIII.

ΑΤΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΤΤ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum.

ΟΔΗϹϹΕΙΤΩΝ. *Odessitarum.* Mulier stans, tutulato capite, d. pateram, s. Cornu Copiæ. Mediæ magnitudinis est numus, cujus imaginem dedi in numo Caracallæ, Ulpiæ Pautaliæ.

CCLXXIV.

ΑΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. C. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

ΠΕΡΓΑΙΩΝ. *Pergæorum.* Mercurius stans, d. crumenam, s. Caduceum.

PAmphyliæ urbs erat Perge, teste ipso S. LUCA *Actor. 13. v. 13.* Ἦλθον εἰς Πέργην τῆς Παμφυλίας. *Venerunt Pergen Pamphyliæ.* Pariter apud STEPHANUM habetur: Πέργη πόλις Παμφυλίας· τὸ ἐθνικὸν Περγαῖος. *Perge Pamphyliæ urbs: gentile nomen, Pergæus.* Situm urbis indicat POMPONIUS MELA *Lib. 1. cap. 14. Validissimi fluvii Cestros, & Cataractes . . . . inter eos Perga est oppidum, & Dianæ, quam ab oppido Pergæam vocant, templum.* Numus est parvi æris: typum habes in numo Anazarbi sub eodem hoc Gordiano.

CCLXXV.

ΑΤΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΤ. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput laureatum.

ΠΕΡΙΝΘΙΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Perinthiorum iterum Ædituorum.* Jupiter sedens, d. fulmen, s. hastam puram. Medii moduli hic numus est.

CCLXXVI.



CCLXXVI.

ANTONIOC. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. CEBAC. *Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem laureatum: ad occiput litera Є. impressa cernitur, quæ Εὐσεβής, *Pius*, legi posset; si non potius incerta monetarii nota dicenda esset.

sic.

CЄΛЄΤΚЄΩΝ. ΤΩ. ΠΡΟC. ΤΩ. ΚΑΛΤΚΑΔΝΩ. *Seleucensium, qui ad Calycadnum siti sunt.* Muliebris figura sedens, capite corona radiata ornato, d. pateram f. Cornu Copiæ.

SEleucia alia Syriæ erat, cujus etiam habentur numismata: alia in Cilicia, cujus numi, uti noster magni moduli ostendit, adsignato fluvii Calycadni nomine, dignoscuntur. Plinius *Lib.* 5. *Seleucia supra amnem Calycadnum, Tracheotis cognomine.* Laudat hanc urbem Strabo *Lib.* 14. agens de Cilicia: πλησίον ἐςὶ τȣ̃ Καλυκάδνȣ καὶ τὸ Ζεφύριον, καὶ αὐτη ἄκρα· Ἔχει δὲ ὁ ποταμὸς ἀνάπλȣν εἰς τὴν Σελύκειαν πόλιν ἐυ συνοικȣμένην, καὶ πόλυ ἀφεςῶσαν τȣ̃ Κιλικίȣ, καὶ Παμφυλίȣ τρόπȣ. *Prope Calycadnum est Zephyrium promontorium; adverso autem hoc fluvio Seleuciam navigatur, urbem bene constructam, & multum diversam ab aliarum Ciliciæ, & Pamphyliæ urbium modo.* Nomen ΑΝΤΩΝΙΟC. integre in hoc, atque aliis numis expressum, omne dubium de Gordianorum nomine eximit, de quo antea nonnulli ambigebant: an *Marcus Antonius*, vel *Antoninus* legendum esset. Jam vero numismata, & marmora pro *Antonii* nomine pronunciarunt.

CCLXXVII.



CCLXXVII.

A . . M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. *Imperator Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

CΙΔΗΤΩΝ. *Sidetum.* Imperator paludatus ſtans, ſ. haſtam gerit, dextram jungit dextræ Palladis Sideticæ, quæ ſ. haſtam tenet, ad ejus pedes clypeus.

DE Pallade Sidetum in Pamphylia, quam hic ſalutat Gordianus, dictum eſt in Domitiano. Hic numus eſt magni moduli.

CCLXXVIII.

ſic. ſic.
ATT. K. M. ANTΩNIOC. ΓΟΡΔΥΑΝΩC. Π. Π. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus, Pater Patriæ.* Caput cum corona radiata.

TAPCOT. MHTPOΠΟΛЄΟC. A M K Γ B. *Tarſi Metropolis Utriusque Ciliciæ, Reſcripto Senatus.* Diana properans, alte ſuccincta, d. arcum adducit, quem ſiniſtra ſuſtinet: uno genu cervæ proſtratæ innixa, in aliam collimat.

MOduli bene magni eſt hic numus, cujus typus in Tarſenſi ære non perinde frequens eſt, atque in Epheſino.

CCLXXIX.



CCLXXIX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. Π. Π. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus, Pater Patriæ.* Caput ejusdem cum corona radiata.

ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. Α Μ Κ Γ Β. *Tarſi metropolis utriusque Ciliciæ, Reſcripto Senatus.* Minerva galeata ſtans, d. haſtam, ſ. clypeum. Maximi moduli numus eſt.



CCLXXX.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. . . . ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. Π. Π. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus, Pater Patriæ.* Caput laureatum.

ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄωϹ. Α Μ Κ Γ Β. *Tarſi Metropolis utriusque Ciliciæ, Reſcripto Senatus.* Muliebris figura ſtans, d. ſpicas ſ. Cornu Copiæ; ad pedes modius cum ſpicis. Numus eſt ex ære magno, procuratæ annonæ abundantiam indicans.

CCLXXXI.

M. ANT. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ϹЄΒ. . . *Marcus Antonius Gordianus Augustus.* Caput Gordiani Pii laureatum.

ΤΡΑΠЄΖΟΥΝΤΙΩΝ. *Trapezuntiorum.* Fortuna ſtans, tutulato capite, d. temonem, ſ. Cornu Copiæ. Typus obvius eſt, & alibi exhibitus. Eſt numus magni moduli, ac tertius e Cimelio noſtro hujus urbis, de qua nulla apud Vaillantium mentio.



CCLXXXII.

ϹΑΒЄΙΝΑ. ΤΡΑΝΚΥΛΛЄΙΝΑ. *Sabina Tranquillina.* Caput Tranquillinæ, uxoris Gordiani Pii. Sæpius legitur *Sabinia.*

ΚΙΑΝΩΝ. *Cianorum.* Caput galeatum.

RETracto hic errorem oculorum, quem admiſi in prima numi hujus editione; Nam ΤΡΚΑΝΩΝ. pro ΚΙΑΝΩΝ. legeram, literarum primarum, jam fugientium, veſtigiis deceptus. Mediæ formæ numus eſt. De Cianorum urbe in Geta dictum eſt. Caput videtur eſſe Cii, Socii Herculis, & Conditoris urbis Cii; uti habet numus apud P. Harduinum, & STRABO *Lib. 12.*

CCLXXXIII.

ϹΑΒ. ΤΡΑΝΚΥΛΛЄΙΝΑ. ϹЄΒΑϹΤ. *Sabinia Tranquillina Augusta.* Caput ejusdem.

ΛΥΡΒЄΙΤΩΝ. *Lyrbitarum: in Phrygia.* Fortuna ſtans, d. temonem, ſ. Cornu Copiæ. Typum obvium alibi vide. Numus eſt parvi moduli.

CCLXXXIV.

CCLXXXIV.

ΣΑΒ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. ΑΥΓ. *Sabinia Tranquillina Augusta.* Caput ejusdem.

sic.

ΜΗΤΡΟ. ΠΟΝΤΟΥ. ΤΟΜΕΟϹ. Γ. *Metropolis Ponti Tomorum.* Victoria ſtans, d. coronam, ſ. palmæ ramum geſtat.

EX ære medio eſt hic numus, qui rurſum literam Γ. & non ſolitum illud Δ. exhibet. Videri poſſunt dicta ad numum Tomitarum M. Aurelii. Imaginem poſticæ faciei propoſitam habes in Nicopolitano Macrini numiſmate.





CCLXXXV.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ΑΥΓ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ἰέλιος Φίλιππος Ἀυγυςός. *Imperator Cæſar Marcus Julius Philippus Auguſtus.* Caput laureatum Philippi Senioris.

ΒΙΖΥΗΝΩΝ. *Bizyenorum: in Thracia.* Figura nuda virilis ſtans, d. lauri ramum protendit, ſiniſtram extendit ſuper ſerpentem, ex arula aſcendentem.

SImili figura Apollo in latinis numis, & ſingillatim in Valeriani numo apud Celeberrimum Bandurium repræſentatur, cum epigraphe: APOLLINI. CONSERVATORI. Idem apud Græcos ΣΩΤΗΡ. *Servator* appellatur, aut Ἐπικέριος, Ἀλεξίκακος, Ἀκέσιος. *Auxiliator, Averruncus, Medicus.* Congruit hic ſerpens, aræ circumplexus, notum ſalutis ſymbolum, itemque laurus, Apollini chara. Magni moduli eſt hic numus.

Uu 2 CCLXXXVI.



CCLXXXVI.

Μ. ΙΟΥΛΙΟϹ. ΦΙΛΙΠΠΟϹ. ΑΥΓ. *Marcus Julius Philippus Augustus.* Caput Philippi Senioris cum corona radiata.

ΕΠΙ. ΠΟΥ. ΠΟΝΤΙΚΟΥ. ΑΡΧΙΕΡΕΩϹ. ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Sub Publio Pontico Summo Sacerdote Cotiaënsium.* Figura muliebri vestitu, currui insidens, leonum biga vehitur.

FIguram in hoc, parvi æris, numo expressam, Cybelen existimo propterea, quod leonibus vehatur; etsi cætera signa desint. Huic enim Deæ proprium erat, leonibus aut vehi, aut stipari. De eadem ita Macrobius *Lib. 1. Saturnal. cap. 21. Quis enim ambigat Matrem Deum Terram haberi? Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu, atque fervore animalibus, quæ natura cœli est, cujus ambitu aër continetur, qui vehit terram.* Accedit, Cotiaëum Phrygiæ urbem esse, quæ regio Cybeles cultui præter cæteras addictam se ferebat.

Illud notatu dignum in hoc numo occurrit: *Publium Ponticum summum sacerdotem* expressa voce ΑΡΧΙЄΡЄΩϹ. inscriptum legi; Nam in aliis Cotiaënsium numis τὸ ΑΡΧ. deprehensum, hactenus legebatur: Ἄρχοντος. *Archonte.* Cum vero in nostro hoc numo Ἀρχιερέως integre, ac perspicue habeatur; existimarem ita etiam reliquos Cotiaënsium numos exponendos esse, qui τὸ ΑΡΧ. præ se ferunt. Fortasse iidem Archontes, & sumi sacerdotes fuerunt; quoniam late admodum Archontum nomen patebat. Profert quidem numum unum Agrippinæ Cotiaënsem R.

P. Har-

P. Harduinus, in quo legeretur: ΑΡΧΟΝΤ. ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ. Ast ubi ille numus extet, aut an probe conservatus, inspectusque sit, nulla mentio.



CCLXXXVII.

Μ. ΙΟΥΛΙΟC. ΦΙΛΙΠΠΟC. Κ. *Marcus Julius Philippus Cæsar.* Caput nudum Philippi filii.

ΚΟΤΙΑΕΩΝ. *Cotiaënsium.* Corona ex lauro. Parvi moduli numus est.



CCLXXXVIII.

ΜΑΡ. ΙΟΥΛΙΟC. ΦΙΛΙΠΠΟC. ΚΑΙCΑΡ. *Marcus Julius Philippus Cæsar.* Capita adversa Philippi Junioris nudum, & Serapidis tutulatum.

ΜΕCΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. *Mesambrianorum.* Ceres stans, d. spicas, s. facem.

ACcensa face, raptam a Plutone sub Ætna monte,

Proſerpinam filiam inquirebat Ceres, quam eleganter ita deſcripſit Statius *Thebaidos Lib.* 12.

> *Qualis ab Ætnaïs accenſa lampade ſaxis*
> *Orba Ceres magna variabat imagine flamma*
> *Auſonium, Siculumque latus.*

Mediæ formæ numus eſt.



CCLXXXIX.

ΑΥΤ. . . . . . ΤΡΑΙΑΝ. ΔЄΚΙΟϹ. ϹЄΒ. Ἀυτοκράτωρ Τραιανὸς Δέκιος Σεβαςός. *Imperator Trajanus Decius Auguſtus.* Caput Trajani Decii cum corona radiata.

ΑΝΑΖΑΡΒΟΥ. ЄΝΔΟΞΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟ. ЄΤ. ΙЄΡΟΥ. ΝЄΟΥ. ΠΡΩ. ΖΞϹ. Γ. Γ. Ἀναζάρβου Ἐνδόξου Μητροπόλεως. Ἔτους Ἱεροῦ νέου πρώτου ζξς. Γράμματι Γερουσίας. *Anazarbi Illuſtris Metropolis, Anno ſacro novo primo 267. Reſcripto Senatus.* Quinque urnæ ludorum cum ramis.

HActenus numi inſcripti: *Anno novo ſacro*, ΕΤΟΥΣ. ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ. ſub Flaviis tantum Imperatoribus, Veſpaſiano, Tito, ac Domitiano producta ſunt, & ſub Nerva, qui eosdem proxime conſecutus eſt. Numos hos ſub unum conſpectum poſuit R. P. Harduinus *in Hiſtoria Auguſta ex Numis, Oper. Select. pag.* 737. Annum illum Novum, Sacrum, Seguinus ab Æde Jovis Capitolini, per Veſpaſianum inſtaurata, deducit: Doctiſſimus Henricus Valeſius vero, ab Imperio Veſpaſiani, cujus annos exi-

ſtimat

ſtimat idcircò ſacros eſſe appellatos; quod Rem Publicam in bonum ſtatum reſtituiſſet. R. P. Piovene *Tom. 9. Tavola 1. Medaglia 12. pag. 35.* multis oſtendere conatur: numos, ejuscemodi anno ſignatos, didrachmum fuiſſe, Judæis a Tito imperatum, qui Templo Jovis Capitolini inſtaurato penderetur; atque ita legendum quadam interpunctione cenſet ΕΤΟΥΣ. (ΝΕΟΥ. ΙΕΡΟΥ.) Α. *Anno (Novi templi moneta) Primò Imperii.* Verum eruditæ huic conjecturæ, præter alia non pauca, & lectionem iſtam extortam potius, quam elicitam; obſtat numus noſter, qui neque ex Argento eſt, nec de Jovis ſymbolis quidquam exhibet, neque ullum cum tributo illo, jam dudum haud dubie ſublato, nexum præ ſe fert, aut, cum Anazarbenſis Urbis nomine, præ ſe ferre congruenter poteſt. *Eminentiſſimus* Norisius *de Epochis Syromaced. Diſſert. 3 cap. 6.* & Harduinus, *loco laudato*, ad annos Imperii hos *Annos Novos*, *& Sacros*, atque adjunctos numeros referunt. Annum *Novum* dici, novo initio, a ſuſcepto Imperio, redeunte. Quod pulcherrime comprobant Numi Hadriani, & Antonini Pii, in quibus legitur: S. P. Q. R. A. N. F. F. OPTIMO. PRINCIPI. *Senatus Populusque Romanus Annum Novum, Fauſtum, Felicem, Optimo Principi.* Porro *Sacrum* fuiſſe Annum Imperii initi, ejusque recurſum, tum ob Imperatores *Auguſtos*, ſeu *Sacros* (cum τὸ Ἱερός etiam *Auguſtum* ſignificet) qui accepta Tribunitia Poteſtate Sacroſancti habebantur, manifeſtum eſt; tum ex celebritate ludorum, ac votorum conceptorum ſolemnitate colligitur, de quibus ita Plinius *Jun. Epiſtola 103. Diem Imperii debita Religione celebravimus, commendantes Diis Imperii Tui auctoribus & vota publica, & gaudia.*

Hanc ſententiam mirifice illuſtrat, & confirmat elegantiſſimus numus noſter, qui magni moduli eſt. Exhibet is cum *Anno, Novo, Sacro*, publica illa gaudia, & voti-

votivos ludos, quinque urnarum, & variorum ramorum ſymbolo, quibus Primum Imperii Decii annum condecorabant Anazarbenſes. Exhibet porro, quod numus, quantum novi, hactenus alter nullus, una cum *Anno Sacro*, *Novo*, *Primo*, ipſos Æræ urbis Anazarbenſis annos, qui illum *primum* annum, eſſe Imperii, a Decio ſuſcepti, primum, plane commonſtrant. Nam Vaillantius, Noriſius, & Harduinus uno calculo Anazarbenſis æræ initium ſtatuunt Anno V. C. 734. Id quod ex Valeriani numo inſcripto BOC=272. erudite deducit Doctiſſimus P. Harduinus. Igitur ſi cœpto, an. V. C. 734. in autumno, anno primo Anazarbenſium, adnumerem annos, in noſtro numo conſignatos, 267. exibit annus V. C. 1001. cujus autumno finiit annus Anazarbenſium 267. Quare ante autumnum anni V. C. 1001. Decium, qui hoc in numo jam *Auguſtus* ſalutatur, ad Imperium perveniſſe neceſſe eſt. At enim præter R. P. Harduinum, etiam Cel. P. Pagius, & Cl. Vaillantius ſtatuunt, Decium anno demum V. C. 1002. Imperium in Martio, aut in Julio adiiſſe. Ex quo conficio: adeo certum eſſe, non poſſe, niſi cum Primo Imperii Decii anno, noſtrum Anazarbenſium annum congruere; ut etiam, ad conciliandam temporum rationem, aut Anazarbenſium Æram uno anno tardius, aut Imperium Decii uno item anno cœpiſſe citius, quam ſit hactenus creditum, conſtitui oporteat: de quo porro Chronologi viderint.



CCXC.

CCXC.

KAI. OC. CEB. . . . . *Καῖσαρ Ὀστιλιανὸς Σεβαστός. Cæsar Hostilianus Augustus.* . . . . . . Caput Hostiliani laureatum, cum adverso capite fœminæ, sub cujus protome parvum quoddam viri caput impressum cernitur, penes quod character, similis literæ V.

. . . . ΠΕΡΠΕΡΗИWИ. ΔΙΟИΥCΙΟИ. *Perperenorum Bacchum Colentium.* Figura muliebri vestitu stans, capite Luna falcata ornato, & tutulo superposito; f. facem attollit, in d. pateræ simile aliquid videtur, ad pedes animal, quod certo indicio non dignoscitur.

OPtandum sane esset, ut rarissimi hujus numi, qui maximi moduli est, inscriptio integra compareret; ex qua fortasse certius aliquid de Hostiliani uxore constitui posset. Probabile certe est, fœminæ effigiem, cum Hostiliani solius expressam capite, ejusdem uxorem referre; præsertim, cum spatium bene magnum in ora numi, fugientibus characteribus notatum, habeatur, quod spatium longius quoddam, aut plura potius nomina requirit. Pluribus vero nominibus appellatam Hostiliani uxorem fuisse, bene ex numis duobus collegisse videtur Tristanus, quos ita inscriptos exhibet:

Γ. ΟΥ. ΟCΤΙΛ. Μ. ΚΟΙΝΤΟC. CEB. *Cajus Valens Hostilianus Messius Quintus Augustus.* Caput Hostiliani laureatum.

ΓΝ. CE. ΗΡΕΝΝ. CAΛ. Β. ΟΡΒ. CEB. *Gnea Seja Herennia Sallustia Barbia Orbiana Aug.* Caput Fœminæ admodum juvenis. Alter numus est ex argento.

GN. SEIA. SALL. BARBIA. ORBIANA. AVG. Caput Fœminæ admodum juvenis.

CONCORDIA. AVGVSTORVM. Muliebris figura stans, d. pateram f. duo Cornua Copiæ.

E quibus numis recte conficitur: hanc Orbianam (quæ fortasse Sallustiæ Barbiæ Orbianæ, Alexandri uxoris, filia, aut sanguine juncta fuerit) Hostiliani uxorem habendam esse. Atque ut ad numum nostrum revertar; illud Hostiliani effigiei adjunctum Fœminæ caput, hanc Gneam Sejam Sallustiam Barbiam Orbianam referre arbitror; quod multa extritæ inscriptionis vestigia etiam indicare videntur.

Aversæ partis simulacrum vel πάνθεον esse, vel Bacchantis figuram existimo. Faces a Bacchantibus gestatas fuisse Euripides *in Bacch.* testatur.

> Ὁ Βακχεὺς δ' ἔχων
> Πυρσώδη φλόγα πεύκης.
> *Bacchans autem gestans*
> *Multo igne ardentem pineam tadam.*

Perperenos porro Baccho singulariter devotos fuisse, & nostri numi inscriptio, & alia eorundem numismata comprobant, pene omnia Bacchi simulacro, aut symbolo quopiam insignita. Animal denique, figuræ adsistens, asino haud est multum dissimile; Silenum porro, Bacchi alumnum, & comitem eodem vehi solitum fuisse, omnes norunt. Perperene urbs in Æolide locatur a Plinio *Lib. 5.* In Lydia vero a Ptolemæo, per R. P. Sirmondum S. J. restituto. Cellarius hanc urbem attribuit Mysiæ, inter Æolidem, Lydiamque mediæ.





CCXCI.

CCXCI.

ATT. KAI. Γ. OYЄ. TPЄB. ΓΑΛΟC. CЄB. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γάϊος Οὐίβιος Τρεβωνιανὸς Γάλλος Σεβαςός. *Imperator Cæsar Cajus Vibius Trebonianus Gallus Augustus.* Caput Treboniani Galli laureatum.

ΦΛ. NЄAC. ΠΟΛЄΩC. *Flavia Neapolis.* Figura paludata stans, d. hastam, f. simulacrum montis Garizim, cum imposito templo gerit: sinistro pede figuram jacentem premit.

AD Samariæ Neapolim similis epigraphes numos pertinere, numi Titi, ac Domitiani certos nos reddunt, in quibus præter Φλαϐίας Νέας Πόλεως adjungitur ΣΑΜΑΡΕΙΑΣ. *Samaria.* De hac urbe PROCOPIUS *de Ædific. Lib. 5. cap. 7.* Ἔςι τις πόλις ἐπὶ Παλαιςίνης Νεάπολις ὄνομα, ἐφ' ἧς δὲ ὄρος ὑψηλὸν ἀνέχει, Γαριζὶν ὄνομα. *Est in Palæstina urbs, nomine Neapolis, prope quam altus mons exurgit, dictus Garizin.* Olim Sichem hic locus appellatus est, atque isthic Abraham altare Deo erexerat, *Genes. 12. v. 6. & 7.* Subinde, tempore Alexandri Magni, Manasses, Pontifex Judæorum, ab iisdem, quod Samaritanam duxisset, sacerdotio abdicatus, in monte Garizim templum, Hierosolymitano simile, erexit, & Levitas instituit. Eam ædem post annos ducentos Hyrcanus Macchabæus evertit. Narrat hæc FLAV. JOSEPHUS *Antiquit. Lib. 11. cap. 7. & Lib. 13. cap. 16.* Non destitere tamen Samaritani Deos suos in montis istius vertice adorare. Nam summi Jovis Sacratissimum templum in monte Garizim exstitisse, perhibet DAMASCIUS *apud Photium.* Ejus templi formam numi quidam hujus urbis eleganter exhibent, quos apud Eminentiss. Norisium, aliosque videre licet. Noster hic numus medii moduli est.

Neapolis Samariæ sub Philippo Coloniæ jure fuisse cohonestata videtur; cum ab eo tempore latini ejusdem numi compareant, cum Coloniæ, & Ædituæ titulis

Unde Cl. Vaillantius existimat *in Opere de numis Colon. in Treb. Gallo*, hujus Neapoleos, a Philippi temporibus signatos numos, græcis characteribus inscriptos, incuria sculptorum formatos fuisse, qui adhuc adsueti priorum temporum formis, græce aliquos sculpserint. Verum liceat mihi a Viri tanti opinione discedere; nam ob numorum Græcorum Neapoleos, sub Gallo, & Volusiano prolatorum, varietatem, & moderatam raritatem, mallem utraque lingua insignes numos Neapoli procusos esse: Latinos a deductis colonis, Græcos a veteribus incolis, prisco suo more.



CCXCII.

ΑΥΤΟΚΡΑ. ΚΑΙ. ΓΑΙ. ΟΥ. ΤΡЄ. ΓΑΛΛΟΝ. Αὐτοκράτορα Καίσαρα Γαΐου Οὐΐϐιον Τρεβωνιανὸν Γάλλον. *Imperatorem Cæsarem Cajum Vibium Trebonianum Gallum*, honorant Syedrenses. Caput laureatum ejusdem.

ϹΥЄΔΡЄΩΝ. *Syedrensium.* Pluto, quadrigis insistens, Proserpinam abripit; equos præcedit figura, quasi viæ dux, aut explorator præmissus.

TReboniani Galli numismata raris adnumerantur, noster magni moduli est. Figura, quadrigas præcedens, videtur exploratorem præmissum, & nescio quid manu protensa significantem, respectantemque referre; siquidem *furtim Proserpinam, ipso Jove adjuvante, abripuit Pluto, ejus amore succensus.* uti refert Apollodorus *Lib. 1.* Πλούτων δὲ Περσε-

σιφόνης ἱεραθεὶς, Διὸς συνεργοῦντος, ἥρπασεν αὐτὴν χερῦφα. Forte Jupiter ipſe *Adjutor* hic exhibetur; cujus tamen certum indicium deſideratur.



CCXCIII.

Ae.

Γ. ΟΥ. ΓΑ. ΦΙ. ΓΑΛΛΟC. ΟΥΟΛΟCΙΑΝ. Γαῖος Οὐΐβιος, Γαλινδικὸς, Φιννικὸς, Γάλλος Ουολουσιανός. *Cajus Vibius*, *Galindicus*, *Phinnicus*, *Gallus Voluſianus.* Caput Voluſiani laureatum.

ΚΙΑΝΩΝ. *Cianorum.* Hygia ſtans, d. ſerpentem, ſ. pateram; ejus typum jam aliquoties dedimus.

COgnomina Voluſiani: *Galindicus*, *Phinnicus* item in aliis numis *Vendenicus* a deviĉtis Sarmatiæ populis originem ducunt; uti colligitur e Zosimo *Lib. 1.* & ex Ptolemæo *Lib. 3. cap. 7.* R. P. Harduinus *in Hiſtoria Aug.* τὸ ΓΑ. ΦΙ. ΟΥЄΝΔ. legendum putat Γαῖος Φίννιος Οὐένδιξ. *Cajus*, *Phinnius*, *Vindex.* At enim in hoc noſtro numo, qui parvæ formæ eſt, primum Γ. *Cajum* denotat, & ΓΑΛΛΟC. integre ſcriptum habetur; aliter igitur, hic certe, ΓΑ. ΦΙ. legendum eſt.



CCXCIV.

ΑΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑ. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Πούβλιος Λικίνιος Ουαλεριανός. *Imperator Cæsar Publius Licinius Valerianus.*

Caput Valeriani Senioris cum corona radiata.

ΚΟΙΝΟΝ. ΘΕΣσαλων. *Commune Thessalorum.* In area Δ. Pallas galeata gradiens, d. elata telum vibrat, f. clypeum sustinet.

DOctissimus Patinus ad similem numi effigiem adnotavit: Apollonii interpretem tres Pallades recensere, Bœotiæ unam, alteram Thessaliæ, tertiam Lybiæ. De Pallade Itonia (quæ Itone, Thessaliæ oppido colebatur) Stephanus hæc refert: Ἴτων πόλις Θεσσαλίας, ἀπὸ Ἰτώνυ Ἥρωος, ἀφ' οὗ καὶ Ἰτωνία ἡ Ἀθηνᾶ. *Iton urbs Thessaliæ: ab Itone Heroë, a quo etiam Itonia Minerva.* Parvi moduli numus est.



CCXCV.

ΠΟΥ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. CE. *Publius Licinius Valerianus Augustus.* Caput cum corona radiata.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicaensium.* Imperator Paludatus cum corona radiata stans, dextram committit cum alio viro paludato, cujus caput turritum est: ambo sinistram hasta pura fulciunt; ad latus Imperatoris alia figura adstat, d. pateram tenens, vel globum.

SImilem aversæ partis typum in Niceno Valeriani numo Celeberrimus Bandurius, cum alia tamen capitis epigraphe, protulit. Is ambos illos viros paludatos, caput corona radiata redimitos exhibet, & Valerianum cum Gal-

Gallieno repræsentari putat. In nostro vero, medii moduli, numo figura altera, uti exposui, manifeste caput turritum ostendit. Mallem igitur hac figura Genium Urbis Nicææ effictum, seu ipsos Cives, Valerianum salutantes, existimare; præsertim cum similis plane numi Niceni effigies, sub Salonina mox proferenda, virum illum, capite turrito, in hoc numo insignem, genu curvantem exhibeat; quod in hoc item typo, sed minus notabili flexu, conspicere licet. Tertia figura videtur Fortunam, globum dextra ostentantem, referre.



CCXCVI.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟϹ. *Imperator Cæsar Publius Licinius Valerianus.* Caput laureatum ejusdem.

ϹΥΕΔΡΕΩΝ. *Syedreorum.* Tres Deæ stantes, junctis manibus, earum media capite galeato, quæ a sinistris adstat, sinistra flagellum gerit.

TRes has Deas Nemeses esse conjicio, de quibus vide, quæ ad Balbini numum adnotaverim. Ea hoc multum simili figurarum, manus jungentium, typo aliquid majoris probabilitatis consequi opinor. Numus noster ex ære magno est; hujus urbis nullum sub Valeriano vidit Vaillantius.

CCXCVII.

CCXCVII.

ΑΥ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟΝ. ΣΕΒ. Π. Π. *Imperatorem Cæsarem Publium Licinium Valerianum, Augustum, Patrem Patriæ*, honorant Tarsenses. Caput Valeriani Senioris cum corona radiata.

ΤΑΡΣΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΩΣ. Α Μ Κ Γ Β. *Tarsi Metropolis utriusque Ciliciæ, Rescripto Senatus.* Fortuna stans, d. temonem, s. Cornu Copiæ. Typus jam alias est exhibitus.

TArsensem Valeriani numum similis omnino figuræ protulit R. P. Bandurius; attamen utriusque faciei epigraphe aliter se habet in numismate nostro, quod maximæ formæ est.





CCXCVIII.

ΑΥΤ. Κ. Π. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. Αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Πύβλιος Λικίνιος Γαλλιῆνος. *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus.* Caput Gallieni laureatum, cum pectore, erecta manu sinistra.

ϹΤΡ. Λ. ϹΤΗΛΛΟΥ. ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝΕΟΚΟ. Στρατηγοῦ Λουκίου Στήλλου Κυζικηνῶν Νεωκόρων. *Prætore Lucio Stello, Cyzicenorum Ædituorum.* Ara inter duas faces, quarum utrique serpens obvolutus.

HUjus aversæ faciei typum, in duobus Gallieni numis Cyzicenis, produxit quidem Cl. Vaillantius; verum alio Magistratus nomine illi ambo inscripti habentur: alter Socratis, alter Lucii Hermolai. Faces, & serpentes ad Bacchi, vel Cereris cultum pertinere videntur. Numus est medii moduli.

CCXCIX.






CCXCIX.

ΠΟ. ΛΙ. ЄΓΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. Πέβλιος Λικίνιος Ἐγνάτιος Γαλλιῆνος. *Publius Licinius Egnatius Gallienus.* Caput Gallieni laureatum.

ΝΙΚΟΜΗΔЄΩΝ. ΤΡΙC. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Nicomedienſium ter Æredituorum.* Tres urnæ ludorum, cum binis ramis.

HIc poſticæ partis typus in Vaillantii opere reperitur, cum adverſa parte, capita Valeriani, & Gallieni ſimul exhibente, ſed non cum ſolo Gallieni capite. Mediæ formæ eſt numus.

CCC.

ΑΥ. Κ. Π. ΛΙΚΙΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. *Imperator Cæſar Publius Licinius Gallienus.* Caput ejusdem cum corona radiata.

CЄΛЄΥΚЄΩΝ. ΤΩΝ. Π. ΚΑΛΥΚΑΔΝΩ. *Seleucenſium, qui ad Calycadnum ſunt.* Victoria ſtans, d. coronam, ſ. palmæ ramum præfert: dextro pede globum calcat, in area Caduceus.

NUmus hic magni moduli eſt, qui ſuperato per *Victorias* terrarum *Orbe*, Caduceo *Pacem* reſtitutam indicare videtur. Quare ad prima Gallieni Imperantis tempora referendus eſt hic numus; quoniam tum de Germanis, ac Sarmatis utiliſſimas Romanæ Rei Publicæ per Gallienum relatas eſſe Victorias Zosimus *Lib. 1.* itemque Eutropius *Lib. 9.* atque adeo numi Gallieni complures, apud R. P. Bandurium relati, conteſtantur.

CCCI.

ΑΥΤ. Κ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. ΑΥΓ. *Imperator Cæsar Gallienus Augustus.* Caput ejus laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. Figura nuda ſtans, d. haſtæ puræ innititur, ſ. amiculum rejicit: caput pileolo tegitur. Mediæ formæ eſt hic numus.



CCCII.


ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΠΟ. ΛΙ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus.* Caput Gallieni laureatum, infra quod aquila; ante faciem ſignum quoddam Monetarii, cujus forma non dignoſcitur.

CΙΔΗΤΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. *Sidetum Æedituorum.* Mulier ſtans, d. pateram attollit, cui ſubſtituta eſt amphora, ſ. palmæ ramum gerit: ad latus ſiniſtrum planta, florem ferens, & baculum ambiens, aſſurgit.

EX ære magno eſt hic numus, qui Victoriæ ſimulacrum exhibere videtur. Numiſmata Sidetum alioqui fere ſemper Palladis ſimulacrum referunt. Conciliari vero hæc fortaſſe poterunt; ſi hic Palladem Victricem, ſeu Victoriam effictam dicamus. Nam Pausanias quidem certe, *in Atticis*, templi meminit: Ἀθηνᾶς τῆς καλȣμένης Νίκης. *Palladis, quæ Victoria dicta eſt.* Vicit vero Pallas Pallantem, unum e Gigantibus, adverſum Deos inſurgentibus; qua de re ita, Apollodorus *Lib. 1.* Πάλλαντος δὲ τὴν δορὰν ἐκτεμȣ̃σα, ταυτῇ κατὰ τὴν μάχην τὸ ἴδιον ἐπέσκεπε σῶμα. *Detracta Pallanti pelle, in pugna, eadem proprium corpus contexit.* Ab hoc

Pal-

Pallante, etiam *Palladis* nomen τῇ Ἀθηνᾷ accessisse Eustathius *in Lib. 1. Iliados* adnotavit. De amphora, & planta, in hac numi effigie expressis, divinare non libet.



CCCIII.

ΑΥΤ. Κ. ΠΟ. ΛΙ. ΓΑΛΛΙΗΝΟC. *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus.* Caput ejusdem laureatum.

CΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Smyrnaeorum.* Hercules stans, d. scyphum, s. clavam, & exuvias leonis.

SMyrna, celeberrima Joniæ urbs, hodieque suo nomine, & commerciis insignis. De ea Plinius *Lib. 5. Ab Amazone condita, restituta ab Alexandro, in ora Smyrne, amne Melete gaudens, non procul orto.* Contra vero Strabo *L. 14.* Smyrnam ab Antigono primum, dein a Lysimacho instauratam fuisse perhibet. Smyrne, seu Smyrna Amazon, etiam in nostri Cimelii numo repræsentatur; & apud R. P. Harduinum, bipenne armata, & dextram jungens cum Turrita Asiæ figura, aptaque plane inscriptione adposita: ΑCΙΑ. CΜΥΡΝΑ. ΟΜΟΝΙΑ. *Asia, & Smyrna concordia.* Primam Asiæ se etiam in ære suo urbs ista compellat.

Herculem, Scypho armatum, Macrobius *Lib. 5. Saturn. cap. 21.* ita fusius descripserat: *Scyphus Herculis poculum est, ita, ut Liberi Patris Cantharus. Herculem vero fictores non*

sine causa cum poculo fecerunt, & nonnunquam casabundum, & ebrium; non solum quod is heros bibax fuisse perhibetur, sed etiam quod antiqua historia est: Herculem poculo, tanquam navigio, ventis immensa maria transisse. Addit deinde: *Nationem quandam hominum fuisse prope Heracleam, ab Hercule constitutam, Cylicranorum composito nomine ἀπὸ τȣ̃ κύλικος. quod poculi genus nos una litera immutata calicem dicimus.* Poculo hoc a sole donatum fuisse Herculem, dum in Africæ, & Europæ finibus columnas constitueret, APOLLODORUS *Lib. 2.* ita exequitur: Θερμαινόμενος δὲ ὑπὸ Ἡλίȣ κατὰ τὴν πορείαν τὸ τόξον ἐπὶ τὸν Θεὸν ἐνέτεινεν· ὁ δὲ τὴν ἀνδρείαν αὐτȣ̃ θαυμάσας, χρύσεον ἔδωκε δέπας, ἐν ᾧ τὸν Ὠκεανὸν διεπέρασε. *Incalescens a sole Hercules, arcum in Deum ipsum intendit. Hic vero fortitudem ejus admiratus, aureo poculo donavit Herculem, quo is Oceanum trajecit.*

Potuit etiam hac numi effigie id Herculis factum indicari, quod narrat PAUSANIAS, *in Corinthiacis cap. 13.* Ab Hercule, cum apud Oeneum socerum cœnaret, puerum pocillatorem, cui κύαθος *Cyathus* nomen erat, uno digiti afflictu necatum esse; quod porrectum ab eo puero poculum Herculi non arrisisset. Numus hic est ex ære parvi moduli.



CCCIV.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΠΟ. ΛΙΚ. ΓΑΛΛΙΗΝΟΣ. ΣΕ. *Imperator Cæsar Publius Licinius Gallienus Augustus.* In area ante vultum legitur ΙΑ; cujus interpretatio incerta est. Capitis unius, alteri adsignati, effigies.

ΣΥΕΔΡΕΩΝ. *Syedreorum.* Vir semi-nudus sedens, d. hastam puram, s. clypeum ad pedes attinet.

IN antica parte numi hujus, duo capita efformata fuisse, modulo sub geminato ictu aberrante, timide suspicabar. Verum, re melius perpensa, suspicionem omnem literæ, in ora numi integræ, nihilque geminatæ, ademerunt. Itaque resignatum potius numum veterem existimo, de quo numorum genere egi *in Dissertatione: De Numis, Monetariorum Veterum culpa, vitiosis, cap. ultimo.* Postica vero pars numi simulacrum exhibet, quali solet Jupiter in ære veteri repræsentari, si clypeum excipias. At enim clypeum quoque, eumque Ægidis nomine insignem, Jovi hic apte attributum esse testatur *Epigrammatistes* ANONYMUS *Lib. 1. Antholog. Græc.*

Κισσῷ μὲν Διόνυσος ἀγάλλεται, Αἰγίδι δὲ Ζεύς.

Bacchus quidem hedera gaudet, sed Jupiter Ægide.

Magni moduli est hic numus.



CCCV.

ΑΥ. ΚΑΙ. Π. ΗΓ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. ϹЄΒ. Π. Π. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Πύβλιος Ἠγνάτιος Γαλλιῆνος Σεβαςὸς, Πατὴρ Πατρίδος. *Imperator Cæsar Publius Egnatius Gallienus Augustus, Pater Patriæ.* Caput Gallieni cum corona radiata.

ΤΑΡϹΟΥ. ΜΗΤΡΟΠΟΛЄΩϹ. Α Μ Κ Γ Γ. *Tarsi Metropolis utriusque Ciliciæ, Rescripto Senatus.* Diana succincta stans, d. sagittam e pharetra depromit, s. arcum gerit. Magni moduli numus est.

CCCVI.

ΠΟ. ΛΙΚΙΝ. ΓΑΛΛΙΗΝΟϹ. Κ. *Publius Licinius Gallienus Cæsar.* Caput Gallieni laureatum.

ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. *Trallianorum.* Fortuna stans, capite tutulato, d. temonem, s. Cornu Copiæ. Typum hunc obvium alibi dedimus.

HIc parvæ formæ numus, ob adversæ faciei epigraphen, merito rariorum classi adjudicandus est; quando Gallieni numum unicum duntaxat, cum solo *Cæsaris* titulo, eumque Græcum item, ac Trallibus percussum, in uberrima R. P. Bandurii collectione reperire est.



CCCVII.

CCCVII.

ΚΟΡ. CΑΛΩΝЄΙΝΑ. CЄΒ. Κορνηλία Σαλωνεῖνα Σεβαστή. *Cornelia Salonina Auguſta.* Caput Saloninæ, Uxoris Gallieni.

ΜΗΤΡΟ. ΑΝΚΥΡΑC. *Metropolis Ancyræ.* Figura muliebris gradiens, d. facem attollit, ſ. quid geſtet, diſcerni nequit; Videtur Ceres exhiberi, utraque manu facem vibrans, & Proſerpinam raptam inquirens. Eſt Numus parvi moduli.

CCCVIII.

CΑΛΩΝЄΙΝΑ. CЄΒ. *Salonina Auguſta.* Caput ejusdem.

ΚΥΖΙΚΗΝΩΝ. ΝЄΟΚΟΡΩΝ. *Cyzicenorum Ædituorum.* Fortuna ſtans, tutulato capite, d. temonem, ſ. Cornu Copiæ. Medii moduli numus eſt, cujus averſa facies obvia, & alibi exhibita.



CCCIX.

ΚΟΡΝ. ϹΑΛΩΝΕΙΝΑ. ϹΕΒ. *Cornelia Salonina Auguſta.* Caput ejusdem.

ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *Nicæenſium.* Imperator ſtans paludatus, dextram jungit cum alio viro paludato, qui ſiniſtrum genu incurvat: ambo ſiniſtra haſtam puram tenent; ad latus Imperatoris Figura muliebris, uti videtur, d. globum porrigens.

Hic numus eſt mediæ formæ. Videri poſſunt, quæ ad ſimilem typum, in Valeriani numo propoſitum, dicta ſunt.




CCCX.

ΚΟΡΝΗΛΙΑ. CΑΛΩΝЄΙΝΑ. *Cornelia Salonina.* Caput ejusdem. In area H.

CΙΔΗΤΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. *Sidetum Æedituorum.* Pallas ſtans, capite galeato, d. haſtam præpilatam, ſ. quid ſuſtineat, non diſcernitur. In area quiddam ſimile galero cum infula, & tutulo ſine apice: fortaſſe denotatur Sacerdotium Palladis Sideticæ, de qua alibi dictum. Numus eſt magni moduli.



DIS-



DISSERTATIO
DE
NUMIS, MONETARIORUM VETERUM CULPA, VITIOSIS.

Caput I.

Εἰσαγωγικόν.

De numis, Monetariorum veterum culpa, vitiosis, tum iis, qui certo sese prodant indicio, tum aliis, qui suspicionem erroris haud inutilem injiciant, in præsenti sermo erit. Neque totius Antiquitatis æs, & argentum signatum excutere propositum est; sed intra prima fere tria ab Julio Cæs. sæcula me continens, raro in quartum excurram. *Quorum temporum nummi expendantur.*

Porro autem ad conciliandam sententiæ meæ fidem, numos illos duntaxat adhibere constitui, qui vetustatis dubium nullum peritis movere possint. Ejuscemodi numos, non paucos, e Cimelio R. P. C. G. Viri Doctissimi e Soc. JEsu, mihi benignissime exhibitos, atque, quod sciam, plerosque hactenus non vulgatos, sedulo perlustravi oculo, ærique incidendos curavi, a me majori fide, quam arte, depictos. Alios autem e probatissimis Anti- *Certe antiqui, & anecdoti.*

quariorum libris, eosque illic, singulari fere mentione erroris facta, indicatos in medium adduxi.

Fraude recentiorum vitiati rejiciuntur.

Nam de illis certe numismatis, quæ, licet antiqui æris, ac typarii sint, recentiorum tamen παραχαραχτῶν arte, aliqua sui parte vitiata, lapsus monetarii speciem, aut portenti simile aliquid præ se ferunt, hic nihil attingere certum est: sive in his novitio scalpro immutata epigraphe, vel transformati vultus: sive diversæ duorum numorum facies subtili dolo coaptatæ, itaque sit altera alteri afferruminata, ut juncturam lynceus etiam oculus vix detegat: sive alterius e numi media area excisa figura, & in alterum sit, commissura quam aptissima, inserta, inscriptione tamen, cum insititio hoc typo, parum congruente: sive aliæ quæpiam hominum, in turpia lucra projectorum, fraudes errati, a Monetario vetere admissi, speciem incautis objiciant; de his, inquam, omnibus altum silebitur.

Numi adulterini veteres recipiuntur.

Quamquam vero de numis certæ, integræque vetustatis, in quibus menda Monetariorum deprehendi possunt, aut posse putantur, hæc dissertatio tantum sit instituta; nequaquam tamen Adulterinos numos, dum veteres modo sint, isthinc excludimus. Imo vero prolixus de iisdem sermo texetur; quod aut frequentiora in his, aut magis insignia vitia, quam in sinceris, conspiciantur.

Adulterinorum copia.

Priscis vero etiam Romæ Imperantis temporibus, haud exiguum fuisse hominum nequissimorum numerum, qui adulterinas monetas flarent, & ferirent, etsi e numis ipsis periti satis condiscunt; in aliorum tamen gratiam veterum testimoniis, iisque talibus comprobabo, qualia ad id penitius intelligendum, non parum, credo, conferent, quod de modo, quo varia in monetas aliquas vitia irrepserant, suo loco proferetur.

Sane Plinius *Hist. Nat. Lib. XXXIII. cap. 47.* testatur, increbescenti olim adulterinæ pecuniæ, quæ argenteam justi pon-

ponderis mentiebatur, multa arte occurrendum fuisse: Ita habet: *Miscentur æra falsa moneta, alii e pondere subtrahunt, cum sit justum LXXXIV. e libris signari. Igitur ars facta Denarios probare, tam jucunda lege Plebi, ut M. Mario Gratidiano vicatim totas statuas dicaverit. Mirumque in hac artium sola vitia discuntur, & falsi Denarii spectatur exemplar, pluribusque veris Denariis, adulterinus emitur.*

Ea de causa Numularii publice constituti sunt, genus hominum, qui numorum sinceritatem dignoscerent, quorum fit mentio *L. 46. ff. de solut. & liber.* §. *39. si soluturus pecuniam tibi jussu tuo signatam, eam apud Numularium, quoad probaretur, deposuerim.* Præterea, ut adulterinis denariis occurreretur, olim eosdem serratos, id est, ora tamquam serra incisa, ac denticulata fuisse efformatos, memoravit in aureolo libello: *La science de medailles, Instruc. 8.* R. P. Jobert S. J. Atque eadem de causa inferioribus Augustorum sæculis tenuiori lamella pecuniam argenteam signatam esse; ne ejus crassitie abusi falsarii, subtili argenti pellicula vilius metallum vestirent.

Legum rigor, ac frequentia, quæ in falsæ monetæ fabricatores latæ sunt, eorumdem hominum, criminumque frequentiam, ac varietatem luculenter commonstrant. *In Cod. Lib. 9. tit. 24 de falsa moneta.* tres leges in falsarios promulgatæ ignis adeo supplicium, & in conscios capitales pœnas statuunt. Et *in Cod. Theodos. lib. 9. tit. 22.* ita Constantinus Aug. Leontio PP. rescribit: *Quod ille etiam patietur* (nempe capitis, aut flammarum pœnam) *qui mensuram circuli exterioris adraserit, ut ponderis minuat quantitatem, vel figuratum Solidum adultera imitatione in vendendo subjecerit.* Ubi aliud quoddam criminis genus adfertur, quo sinceros numos vitiabant, eorundem, ac præsertim Solidorum (ita aurei numi appellantur) oram circumcidentes, qui Græcis παραψαλισαί dicuntur. *Tertul-*

Leges in adulterinos monetarios latæ.

Et vitiorum in Numis varietas.

 liani

liani verba *de pœnit. cap. 6.* huc faciunt: *Numum, quo paciscuntur examinant, ne scalptus, neve rasus, ne adulter sit.*

Alios præterea modos, quo aut sinceri numi vitiabantur, aut adulterini procudebantur, legere est *apud Ulpianum L. 48. ff tit. 10. §. 8. Quicunque numos aureos partim raserit, partim tinxerit, vel finxerit, siquidem liberi sunt, ad bestias dari, si servi, summo supplicio affici debent.* Et eodem loco §. *9. Lege Cornelia cavetur, ut, qui in aurum vitii quid addiderit, qui argenteos numos adulterinos conflaverit, falsi crimine teneri. - - - - Eadem lege exprimitur, ne quis numos stanneos, plumbeos emere, vendere dolo malo vellet.* Multa paucis complexus est *Paulus Recept. sent. lib. 5. tit. 25. Lege Cornelia testamentaria tenetur, qui numos aureos, argenteos adulteraverit, laverit, conflaverit, raserit, corruperit, vitiaverit:* Ærosæ pecuniæ, quæ admixtionem æris justo majorem acceperit, meminit Scævola *L. 46. ff. de solut. & lib.* §. *102.* similique notione *Plinius lib. XXXIII. cap. 5.* aurum, & argentum *ærosum* compellat.

Cuprei numi, & ferrei bracteati. Præterire hic nolo, præter cupreos, ferreos etiam numos, & quod mirum est, non argenti, sed æris flavi bracteola vestitos, à veteribus signatos esse. Ejuscemodi numos binos habeo, multum attritos, & erosos: alter Septimii Severi est, magni moduli: medii alter, & cujus vultus penitus absumptus est. Ferrum magnete exploravi; æris porro bracteola manifesta, & extra omne dubium comparet. Hinc colligo: illis temporibus artem, numos pelliculatos cudendi, facilem, ac promptam, æs vero flavum satis magno pretio fuisse.

Vitia rem literariam contingentia. En! quot numorum veterum vitia, quot legibus vetita ex antiquis monumentis discimus! è quibus tamen omnibus in ea potissimum inquirere, apud animum constitui, quibus in rem literariam, & singillatim in Orthographiam, Historiam, Chronologiam, & constantem quemdam rei Antiquariæ tenorem, ac Numorum consensum aliquid peccatum fuerat, aut fuisse videatur. Id

Id genus errores cum in iis potissimum adulterinis numis inveniantur, quos ære conflatos, tenera argenti pellicula crustulave, seu bracteola obduxere falsarii, quosque pelliculatos, incrustatos, subæratos, aut etiam bracteatos dicimus; facile alios numos, ærosos, scalptos, rasos, accisos, aliave simili ratione vitiosos, Monetariæ, ac Flaturariæ artis peritis ulterius examinandos relinquo. *Subærati Numi.*

Neque pretium in subæratis illis numis aliud, quam vitia, rei literariæ officientia, contemplabor. Est vero pelliculatorum numorum non exigua etiamnum inter manus eruditorum copia; etsi multi, quorum detecta esset falsitas, jam olim conflati, atque aboliti fuissent. Frequentiam tantam insana lucri cupido peperit, quod utique magnum è bracteatis his Denariis, ac Solidis collegere falsarii. De aureis porro subæratis, etsi leges adductæ frequentem eorum faciant mentionem, rariora aut superant, aut superare scimus exempla: quod & aurei in universum numis argenteis sunt multo rariores; & majorem veteres in illis dignoscendis, falsisque abolendis industriam collocarint: ac præterea, minus fere attriti, fraudem diutius abscondant. Denariorum, quos hodieque tenemus, subæratorum copiam idcirco minus miror; quod fædus lucri amor, Principum adeo, non modo abjectæ plebis animos ad procudendos hosce numos impulerit.

Nam ut nihil de eo dicam, quod refert *Plinius lib. XXXIII. cap. 47.* M. Antonium III. Virum Denario ferrum miscuisse. Quam fædum est, quod de Antonino, quem Caracallam compellant, prodidit *Xiphilinus è Dione lib. LXXVII.* Τῷ ἐν Ἀντωνίνῳ τάτε ἄλλα, καὶ τὸ νόμισμα κίβδηλον ἦν. Τότε ἀργύριον, καὶ χρύσιον, ὃ παρεῖχεν ἡμῖν, τὸ μὲν ἐκ μολύβδου καταργυρωμένου, τὸ δὲ καὶ ἐκ χαλκοῦ καταχρυσωμένου ἐσκευάζετο. *Antonino cum alia, tum pecunia vitiosa fuit. Nam Denarii, Solidique, quos nobis præberet, aut plumbo, argento inducto, aut ære inaurato parabantur.* *Procusi etiam publica auctoritate.*

Quem Xiphilini locum transpositione ita sanandum puto. Τὸ μὲν ἐκ μολύβδου καταχρυσωμένου, τὸ δὲ ἐκ χαλκοῦ καταργυρωμένου. Quando plumbum pondere suo, ac mollitie aptius est, ut auri bracteola obductum, Solidi loco obtrudatur; tum Denarii adulterini, qui magno numero, ad Caracallæ præcipue, & vicina tempora pertinentes, habentur, omnes sub argenti pellicula, quod ego viderim, æs cyprium abscondunt.

Iidem eruditis in pretio. Subærati id genus Denarii, etsi, quod modo diximus, satis magno numero in Cimeliis ostendantur; esse tamen peritis in magno pretio, etiam præ sinceris: tum inprimis, cum lepidi, ac peregrini quidpiam exhibent, laudatus Jobertus loco indicato his verbis monuit: *Lorsque les medailles fourrées ont une tête, & un revers curieux, elles sont ordinairement rares, & d'un plus grand prix, que celles, qui sont de bon alloi; parce que les coins en ayant été cassez, & l'espece decriée, il est de necessité, qu'il y en ait un bien plus petit nombre. Subærati numi, qui capitis, aut aversæ faciei typo, peregrini quiddam offerente, habentur, raris accenseri solent, & majori pretio, quam ipsi sinceri, æstimantur. Cum enim detecta fraude ea Moneta species nullius esse valoris promulgaretur, ac typaria confringerentur; consequens erat: eam ad nos pervenire haud ita magno numero potuisse.* Raris pariter adnumerandi sunt sinceri, publicique commatis numi, quocunque è metallo conflati, in quibus Monetarii vitium, insoliti quidpiam ostentans, offenditur. Deprehenso quippe errore, typarium illico remotum, nec eo signata moneta, quin etiam signata, quæ redhiberi poterat, abolita fuit: id quod ejusmodi numi ipsi testantur, qui, ejusdem omnino erroris nota vitiati, singuli fere tantum habentur, aut paucissimi. De vitiorum porro frequentia, atque origine hic prævie aliqua sunt indicanda.

De lapsibus Monetariorum vari- Aliquos in antiquo ære, argentoque signato Monetariorum errores certis indiciis deprehendi, neminem esse anti-

antiquitatis peritum puto, qui vocet in dubium. Certe *aut sententia.* vel numi illi, quos è Cimelio nostro proferam, id manifeste conficiunt. De frequentia lis est. Sunt equidem nonnulli, arguto ingenio, qui, quæ alii Monetariorum menda, aut libere appellant, aut merito suspicantur, ipsi arbitrentur mysteria. Hic enim vero eruditionis, & fecundæ imaginationis vim omnem exserunt, novas vetustatis eruendæ semitas rimantur, & ingenii sui ductum, ut cùm Poëta loquar: *Metam. lib. III.*

Quaque est dificilis, quaque est via nulla, sequuntur.

Hi, conjecturis quibusdam freti, in eos diserte declamant, qui Monetarios veteres erratorum sæpius arguunt, oggeruntque hæc talia: si Monetarios veteres erroris illico postulare fas sit, vix quidquam reconditi expeditum iri: esse hoc aut ignorantiæ, aut socordiæ effugium: ita nodum oblatum scindi, non solvi: instaurari denique hic etiam posse querelas illas Thucydidis L. I. Ὄυτως ἀταλαίπωρος, τοῖς πολλοῖς ἡ ζήτησις τῆς ἀληθείας, καὶ ἐπὶ τὰ ἕτοιμα μᾶλλον τρέπονται. *Ita molestiæ expertem plerique esse volunt inquisitionem veritatis, & ad facilia, & magis parabilia sese lubentius convertunt.*

E converso alii illam arguti ingenii laudem nihil pensi habent; dum ad veritatem propius accedant modo: ad quam neque dificiles aditus horrent, neque faciles aspernantur. De numorum vitiis, neque soliciti sunt, ut satis manifesta excusent; neque nimium securi, ut ambigua illico damnent; quando in re numaria item

— — — — — — *peccant*

Securæ nimium solicitaque manus. Martial. lib. XIV.

Ubi ratio major, & numorum consensus ad Monetarium damnandum, quam ad excusationem, novitatis, & mysterii plenam, extorquendam facit; nodum scindere malunt, quam in scirpo quærere: quæ certo comprobare possunt, explicant: de nonnullis dubitant, & conjecturas, siquas

siquas haud vanas fecere, conjecturas, non oracula haberi volunt: de quibusdam candide profitentur: se ea nescire; cum existiment sapientiæ laudem non exiguam esse: Scire, quantum nescias, & quantum scire non possis. Itaque, siquis est, qui se penetrasse credat omnia maxime, ab eo dissentiunt maxime, qui fortasse:

Quod mecum ignorat, solus vult scire videri. Horat. II. Epist. 1.

Subæratorum frequentia vitia. Sunt eorum non pauci, qui in sinceris numis lapsus Monetariorum nolint agnoscere; neque vero desunt, qui è subæratis etiam ejuscemodi vitia excusando delere, atque hos numos ad instaurandam Historiam valere contendant. Ejus rei exempla, & opinionis fautores qui quærit, adeat *Memoirs de Trevoux. May. 1729.* Cui tamen sententiæ ab Anonymo illic etiam acriter contradicitur his verbis: *L'on fait cas de cette sorte de medailles, je dis de fourrées, parce qu'elles ne peuvent être contrefaites; mais pour l'histoire elles sont peu d'usage; elles n'ont point l'avantage d'être de titres authentiques, étant de la fausse monnoye. Et de plus, quoiqu'il m'en ait passé beaucoup par les mains; s'en ai trouvé peu, ou il n'y eût des fautes marquées, ou par de repetitions des mêmes titres, sur la tête, & sur le revers, ou des anachronismes decidez. Non desunt, qui momenti aliquid in subæratis illis numis ponant; propterea, quod similes fingi hoc tempore non possint Verum, quantum ad historiæ fidem, ii non magnopere prosunt. Nam adulterinæ monetæ cum sint, authentica instrumenta dici nequeunt. Accedit, inter complures, quos contrectaveram, ejusmodi numos, paucos fuisse, qui non errata quædam præ se tulerint, aut repetitis, quos adversa monetæ facies exhibebat, in aversa titulis, aut plane certis anachronismis.* Ab hac sentententia nihil fere discrepant ea, quæ laudandus sæpius *R. P. Jobertus*, *Instructione 8.* de subæratis id genus numis, eorumque vitiis breviter adnotavit. Unum hic moneo: haud esse subæratos numos ideo certo

certo antiquos, quia similes nunc efformari non possint. Ipse enim majorem monetam ex argento, qualis in Gallia cudi solet, contrectavi, plane affabre subæratam: simileque numisma modernum Gallicum se aliquot abhinc annis vidisse, alius mihi, vir omni fide dignissimus, retulit.

Jam vero, ut de Monetariorum lapsibus, quæ prævie pertractanda sunt, perspicue, atque ordine porro exequamur; quinam illi, de quibus perpetuus sermo, sint Monetarii: qua deinde ratione, modoque ab iis admissa sint in numis, incurrentia in rem literariam, vitia, videamus. *Qui Monetarii peccarint.*

Monetarios dum appello, nolim quisquam de illis me III. Viris vel IIII. Viris Monetalibus, qui A. A. A. F. F. *auro, argento, are, flando, feriundo* præpositi erant, loqui existimet. Hi vetustissimo Magistratus, etsi minoris, jure gaudebant, etiam legibus XII. Tabularum expressi, e quibus *M. Tullius lib. III. de leg.* hæc refert: *Minores Magistratus domi pecuniam publicam custodiunto . . . . . es, argentum, aurumve publice signanto.* Neque tamen ipsi monetam flabant, aut signabant; quamquam *L. 1. ff. de orig. juri* §. *30.* de iisdem hæc memorentur: *Eodem tempore constituti sunt Triumviri Monetales, æris, argenti, auri flatores.* Ubi sunt, qui legendum cum Frehero putent: *Flandi, feriundi latores.* Ita etiam, licet in Flaminiæ Familiæ numo apud Vaillantium legatur: L. FLAMIN. CHILO. PRI. F. *Lucius Flaminius Chilo primus flavit.* Non continuo efficitur: ipsum Flaminium admovisse manus, sed supremam flandi Denarii curam gessisse; id quod manifestius alter, apud eundem cl. Vaillantium, numus ita exponit: LENT. CVR. X. FLAND. *Lentulus curavit Denarium flandum*, aut *Lentulus Curator Denariorum flandorum.* Signandæ itaque pecuniæ hi Monetales Magistratus præerant, uti & subinde *Monetæ Præpositi*, *ab Ammiano Marcell. Lib. XXVIII. cap. 1.* compellati sunt; neque manus ipsi signandæ pecuniæ, sed curam, & imperium adhibebant, typorumque formas, *Non Triumviri Monetales.*

ac inſcriptiones deſignabant. Qua in re ab ipſis, quippe viris rerum peritis, ac tanto muneri omni cura intentis, nihil peccatum fuiſſe exiſtimo, cujus quidem eosdem certe arguere poſſimus.

Sed formarum ſculptores, & Signatores.

Monetarios autem, de quorum lapſibus hic agitur, intelligi volo, quales apud Suidam appellantur: Μονητάριοι οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται, *qui circa numiſmata fabrilem operam exercent.* Horum duo genera præcipue in conſiderationem veniunt, alterum eorum, qui formas, ſeu typaria ſculperent: qui metallum flarent, ferirent, ſignarent, alterum: Malliatores, Suppoſtores, Signatores vetus inſcriptio apud Gruterum nominat. Amborum quidem certe manifeſti lapſus in moneta antiqua extant.

Errorum varietas, & origo.

Atque eorum, qui figuras, ac literas artifici ſcalpro chalybeis typariis inciderent, varia σφάλματα, epigraphen vitiantia, comparent; cum aut omiſſæ, aut adjectæ, aut transpoſitæ ſunt, quas non oportebat, literæ, aliove modo per oblivionem, inſcititiam, aut oſcitantiam depravata eſt inſcriptio. Fabrorum porro monetalium, qui feriundis numis operam navabant, feſtinatione, aut indiligentia, cum varia alia vitia monetæ accepere, tum illud non levis momenti, quo nempe, capitis typo formam averſæ partis, aut Auguſto alteri propriam: aut ejusdem quidem Imperatoris, ſed ad illud capitis iconium impertinentem adſignarant. Error iſte, in tanta typariorum varietate, & copia, nihil pronius erat, quam ut interdum admitteretur; dum formam unam, alterius loco, ſæpe perſimilis, arriperent, non probe antea inſpectam, aut cognitam: ſeu memoria etiam lapſi, utram priorem adhibuiſſent. Atque illud animadvertendum eſt: non niſi eorundem, aut quam proximorum temporum ſphragiſteria, quæ nempe tum ipſis una inter manus verſabantur, publicos Monetarios mendoſe uni numo conſignaſſe; id quod exempla ſuo loco ſtabilient.

Inepta

Inepta hac facierum, ac typorum commissura adulterinorum numorum fabri frequentius lapsi sunt. Ejus rei originem præter oscitantiam, & imperitiam, aliam etiam fuisse mihi persuadeo. *Falsariorum qui lapsus frequentiores.*

Falsarii isti (quos inter monetæ publicæ fabri interdum fuerint) ut pecuniam, ab sinceræ iconio nihil abludentem, procuderent; e publicis Monetis (ita etiam officinæ monetariæ nominantur) typaria, ubiubi poterant, sublegebant, iisque pecunias abditis in locis signabant.

Alterum horum *D. Hieronymus in vita S. Antonii Erem.* nos docet, dum refert: falsæ monetæ auctores in eremis antra sibi parasse, & furtivæ, falsæque monetæ officinas. Ita etiam in insula S. Jacobi, quæ ex Diomedeis, seu Tremitanis una est, in antro, ad mare in rupe profunde excavato, malleos, & incudes, cineres, & monetas repertas esse, memorat *Benedictus Cochorella in Descriptione Tremitanæ Ins. Lib. II cap. 1. apud Grævium Italiæ Vol. XIV.* Alterum *Lib. XLVIII. ff. ad Leg. Jul. pecul.* §. *6.* haud obscure indicatur: *Qui, cum in moneta publica operarentur, extrinsecus sibi signant pecuniam forma publica, sive signatam furantur* &c.

Non paucæ sane sincerorum numorum posticæ formæ, in adulterinis Denariis capiti, cui non conveniunt, adjunctæ conspiciuntur, ad eadem tamen, aut propius remota tempora pertinentes. Id quod necessitate haud rarius, quam dolo, aut ignoratione factum esse arbitror; cum alia, magis fortasse congrua, typaria suffurari ipsi non possent. Negare tamen nolim, propria sibi itidem iconia, parum, aut nihil omnino a publicis abhorrentia, falsarios efformasse. Qua in re admodum cautos illos fuisse, uti & in avertendis charagmatis publicis, non nisi usu probatissima sublegendo, inde colligo: quod sculptoris error vix ullus in adulterinis monetis deprehendi soleat.

Reliquum est, ut quæ de vitiorum, veris perinde, atque adulterinis numis inhærentium, varietate, & origine

hic delibata sunt, productis veterum numorum nonnullis exemplis uberius prosequar, & confirmem.

CAPUT II.

De Sculptorum erroribus certis, in formis numorum sincerorum.

Sculptorum errores quidam dubii.

ERrores μορφοχαρακτῶν *forma sculptorum*, alii certi sese offerunt in moneta vetere, alii dubii, & qui excusari etiam non raro mereantur. Verum in excusando modum excedere videri possent ii, qui, ut artificem ab errato, in literis typario insculpendis admisso, purgent, acuto interpretandi genere singulis e literis, vocabula singula comminiscuntur.

Nimia argutia non excusandi.

Cujus rei felicia quidem extant super græcis, latinisque numis suscepta ab eruditis tentamina; magno tamen cum delectu hoc exponendi genus opus habet: ne, nimia subtilitate divinando item, ut nimium altercando fit, veritas amittatur. Quare, nisi aliorum numorum exempla complura, aut scriptorum veterum ingens consensus, aut res ipsa denique, ita explicari debere, moneat; mallem candidum quoddam *nescio* proferre: aut, si clariora adsint indicia, Monetarii μορφοχαράκτυ lapsum compellare. Sane vir eruditissimus R. P. Harduinus, cum de aliis pluribus, tum de celebri illo Gallieni numo agens, in quo legitur: GALLIENAE. AUGUSTAE. VBIQUE. PAX. non erat, cur prodigiosam istam expositionem daret, qua e singulis fere literis, tamquam initialibus, singulas voces confecerat: GALLIENO. *Augusto. Edua. Augusta. Urbis. Servatori. Triumphalem. Arcum. Erexit. Victoria. Beatitatem. Imperio. Quietem. Edua. Peperit. Augusti. X. seu Decennalibus. Memoirs de Trevoux 1729. Juin. art. 63.* Hæc etsi ingenii felicitate, & antiqui sermonis lepore suavia, atque ejusmodi

modi sint, quæ ita concepta fuisse mereantur; quis tamen credat (si longior etiam hisce sub literis lateret oratio) eam integre, riteque post tot sæcula ingenii viribus quempiam assecutum esse, aut etiam potuisse? Quis vero non hic potius, etsi ne id quidem omnino certum sit, lapsum sculptoris arguat, qui Orthographiæ fortasse non satis gnarus, & soni similitudine deceptus GALLIENAE. AUGUSTAE. loco GALLIENE. AUGUSTE. formaverit.

Id quod idem vir Clarissimus antehac senserat, & erudite, more suo, aliorum numorum testimonio comprobarat: *Num. Sac. Constantin p. 448. in Oper. Select.* Nam & in Carausii numo legitur FORT. RAEDVX. loco REDVX. & in alio Probi: PIAETAS. AVG. & in alio Maximiani: BAEATISSIMO. SEN. AVG. E converso BONO. REIPVBLICE. in numo Flav. Victoris; itidem CESAR nonnunquam loco CAESAR. mendose insculptum observatur.

Mitto hæc, atque ad certa sculptorum errata gradum facio, quorum illustriora duo exempla, ad alterum Augustorum sæculum pertinentia, initio adducam: minora alia suas deinde in classes dispertiar. Primus exhibetur numus Trajani Argenteus, sincerus, & integerrimus, cujus epigraphe ita habet:



IMP. CAES. D. TRAIANO. OPITIMO. AVG. GER. DAC. *Imperatori Cæsari Divo Trajano Opitimo Augusto Germanico Dacico.* Caput Trajani laureatum.

Duplex error sculptoris.

CONSENCAVTIO. *sic.* Aquila fulmen unguibus corripiens.


In sculpenda hujus numi inscriptione binis locis lapsus est artifex. Atque illud quidem condonabitur: *Divi* titulum conjunxisse cum illis viventium propriis IMP. CAES. & GER. DAC. ubi interea *Divi* titulum non fuisse cum tot similibus vocabulis compositum, constanter in veteribus numis observatur. Alterum porro aperto vitio laborat, ubi insculptum legimus *opitimo* loco *optimo;* cum Trajanus hoc epitheto: OPTIMVS. fere perpetuo, & proprio, in ære antiquo compelletur. Ipsum etiam aversæ partis vitium sculptoris insignem imperitiam, aut oscitantiam luculenter coarguit. Hic enim notissimus Consecrationis Augustorum typus, *Aquila;* cui pariter *Divi* titulus congruit, solitam utique epigraphen exigit, quæ certe CONSECRATIO. & non CONSENCAVTIO. esse debuerat.

Fingat hic alius e literis his mysteria, & somniet, quæ volet: sinam illum, ut, cum Plautina illa muliere, experrectus Jovi Prodigiali mola salsa, aut thure comprecetur; ego interea τυποχαράκτȣ errorem securus credam. Sane numi argentei Trajani apud Com. Mediobarbum, & alibi ita habent.

DIVO. TRAIANO. Caput Trajani.

CONSECRATIO. Aquila.

Alter numus, quem hic sistimus, est ex ære magni moduli exquisitæ integritatis, & elegantiæ.



AVRE-

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS. *Aurelius Cæsar, Augusti Pii Filius, Consul.* Caput nudum M. Aurelii.

DES. NOS. S. C. legendum *Honos. Senatus Consulto.* Vir togatus stans d. ramum, f. Cornu Copiæ.

Errorem epigraphes figura ipsa manifestat, quæ in compluribus aliis, & ipsius M. Aurelii numis expressa, inscribi solet: HONOS.

Videor mihi originem, modumque hujus lapsus probabili conjectura assecutus esse. Nam a Triumviro Monetali epigraphen eam præscriptam fuisse existimo, quæ habetur in argenteo ejusdem Cæsaris numo apud Com. Mediobarbum. *Vitii origo ex aliis numis indagatur.*

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS. DES.

HONOS. Figura eadem, quæ in priori numo.

In nostro itaque numo artifex aut τὸ DES. in antica numi parte ponere oblitus, aut literarum spatia non probe illic distribuerit, ut nullus jam locus pro DES. reliquus esset. Quare in postica numi facie τὸ DES. insculpserit, ac tum forte alio repente sevocatus, interruptum opus reliquerit. Reversus ad laborem, cum figuram insculptam, & cœptæ inscriptionis partem obiter inspiceret; oblitus ejus syllabæ, quam antea intulisset, putansque τὸ HO. insculptum esse, ex altero latere τὸ NOS. efformaverit, atque ita charagma exiverit, vitiose exhibens DES NOS. pro HONOS.

Pro qua conjectura facit etiam alius M. Aurelii numus argenteus Cimelii nostri, qui eandem prorsus capitis, & aversæ partis iconem, quam æneus ille vitiosus refert, ita inscriptus:

AVRELIVS. CAESAR. AVG. PII. F. COS.
HONOS.

In utroque numo τὸ NOS. eundem in area numi situm obtinet, & in vitioso illic DES. ubi in probo numo

HO.

HO. insculptum est; clariusque inde colligitur, aut DES. loco HO. positum, aut HO. per oblivionem, interrupto fors opere, omissum fuisse.

Nunc ad minores quosdam Μορφοχαραλτῶν errores paucis descendamus: quos aut transpositione, aut adjectione vel omissione literæ, aliave substituta: aut perverso, ac perturbato scribendi ordine numorum formis intulerant. *Transpositione* literæ peccatum est in numo nostro argenteo sincero Alexandri, quem subjicimus:



IMP. SEV. ALEXAND. AVG. *Imperator Severus Alexander Augustus.* Caput Laureatum Alexandri.

Transpositio literarum vitiosa. P. T. M. R. P. COS. mulier stans d. temonem s. Cornu Copiæ. In aperto est: P. M. TR. P. COS. *Pontifex Maximus Tribunitia Potestate Consul*, insculpendum fuisse.

Simile quid alius Neronis numus offert, quales alioqui ingenti numero habentur, & vel ideo erratum tanto manifestius existit; cum alii omnes aliter eandem vocem, recteque exhibeant, noster vero ita:



NERO.

NERO. CLAVD. CAESAR. AVG. GER. P. M... *Nero Claudius Cæsar Augustus Germanicus Pontifex Maximus.* Caput Laureatum.

PACE. P R. TERRA. MARIQ. PARTA. IANVM. CLVSTI. *Pace Populo Romano Terra, Marique Parta, Janum Clusti;* Cum tamen alii omnes: *Janum Clusit*, uti oportet, præ se ferant. Neque hic, quasi per Apostrophen ad Neronem: *clusti*, pro *clusisti*, quisquam extorqueat, numis omnibus invitis. In Lysimachi numo nostro argenteo ΤΑΣΙΜΑΧΟΥ pro ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. legitur: in argenteo Valeriani senioris LERIGIO. AVG. pro RELIGIO. AVG.

Adjectione elementi superflui, sculptoris erratum extat in Græco Domitiæ numo, quem adducit *R P. Harduinus in Hist. Aug. e numis* in quo habetur ΔΟΜΙΤΙΑ ΑΥΓΟΥΣΤΑ. Huc etiam pertinet illud in Trajani numo superius observatum OPITIMVS. pro OPTIMVS. item Galli numus argenteus musei nostri, inscriptus SAECVLLVM. NOVVM. Græcus Thasiorum, in quo ΗΡΗΑΚΛΕΟΥΣ. habetur pro ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. & alia ejusmodi. *Adjectio mendosa.*

Subductione, *vel omissione* literæ laborat numus parvi æris, quem Cimelio Collegii Græcensis S. J. intuleram, in quo CONSTATINVS. loco CONSTANTINVS legitur, spatio nullo, pro litera N. relicto. Novi erroris occasionem incautioribus præbere posset relatus *a R. P. Bandurio Tom. I.* Trajani Decii numus, in cujus aversa facie solito Ubertatis simulacro adscriptum visitur: VERITAS. loco VBERITAS. cujus numi etiam *Liebeus in Gotha Numaria pag. 256.* meminit; ubi alii ejusdem Decii, & Etruscillæ numi aurei, & argentei, eandem effigiem, cum epigraphe VBERITAS. exhibentes, erratum in aperto ponunt. *Omissio erronea.*

Philippi Patris caput inscriptum PHILIBPS. in numo Cassandrensis coloniæ Cimelii nostri legitur. Alia quoque his similia sunt, quæ in Appendicula ad Numos Colon. & Græcos Vaillantii protulimus, ut: CORN. SALONA.

pro SALONINA. item ΤΡΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ pro ΤΡΑΠΕΖΟΥΝΤΙΩΝ.

Omitto Tetrici quosdam numos, in quibus habetur IMP. C. TRICVS. Quod R. P. Harduinus ad compendiariam quamdam ſcribendi rationem rejicit; uti & illa DV. CONSTANTINVS. PT. AVGG. *Divus Conſtantinus Pater Auguſtorum.*

Vitioſa elementi mutatio. *Subſtitutione* alius pro alia litera, vitiatos quosdam numos videre eſt. Treboniani Galli apud celeber. Bandurium APPOLL. SVLVTARI. pro SALVTARI. Alium in Indice Patini FORTVNAE. REDVCA. ubi Patinus ipſe adnotat REDVCI inſculpi numo debuiſſe: niſi quis id ita excuſare velit; ut τὸ A ſeorſim legatur: *Fortunæ Reduci* AVGVSTI. Quamquam in ſimilibus numis vocabulum Auguſti non unica litera A, ſed Syllaba AVG. indicari ſoleat. In Tarſenſi Gordiani Pii numo, Cimelii noſtri legi diſtincte ΓΟΡΔΤΑΝΩC. loco ΓΟΡΔΙΑΝΟC. duplici ſculptoris lapſu. In Appendicula ad numos Græcos, Diadumeniani numum edideram, cujus epigraphe ΔΙΩΔΟΥΝΕΝΙΑΝΟC. pro ΔΙΑΔΟΥΜΕΝΙΑΝΟC. & in alio Alexandri ΔΙC. ΜΕΩ. pro ΔΙC. ΝΕΩκόρων. PQNT. MAX. pro PONT. MAX. in numo æneo Tiberii apud Amicum legeram. Atque alia ſimilia.

Domitiani numus vitioſus excuſatur. R. P. Piovene S. J. in erudito opere *I Ceſari in Metallo mezzano e picolo &c. Tom. IX. Tav. 3. medaglia 24.* Domitiani numum adfert, in cujus adverſa facie legitur: COS. XIII. DES. VIIII. *Conſul decimum tertium, deſignatus nonum:* Quam numerorum Conſulatus inſolitam compoſitionem, & minime cohærentem, ab errore liberare, & ingenio expedire laudatus Auctor contendit. Priori ſiquidem numero COS. XIII. omnes Conſulatus, a Domitiano uſque ad id tempus geſtos, etiam ſuffectos, computari cenſet; altero vero numero DES. VIIII. ordinarios duntaxat Conſulatus, a Domitiano geſtos, indicari; atque adeo inter geſtos eo uſque Conſulatus, quinque ſuffectos fuiſſe,

&

& quidem primo proximos : quos si a tredecim demas, reliqui erunt octo Consulatus ordinarii. Ita, dum universim COS. XIII. una ordinarius COS. VIII. & *Designatus nonum* DES. VIIII. esse potuit, omissoque numero Consulatus ordinarii, quem eo anno gerebat, solus numerus designati Consulatus numo illatus est.

Ego vero paucis ita mentem meam aperio : COS. XIII. DES. VIIII. errorem esse sculptoris, facili lapsu, ut V. loco X, aut vice versa, formaretur, itaque sculpendum fuisse, ac legi debere : COS XIII. DES. XIIII. aut potius, quod in Domitiani numis frequentissimum est, COS. VIII. DES. VIIII. Nam primum, constanter in omnibus numis, & ipsius Domitiani compluribus, numero Consulatus Designati, præfigitur numerus unitate minor Consulatus postremo suscepti, adeoque Consulatus ejusdem rationis; uti non pauci Domitiani numi habent id ipsum DES. VIIII. semper cum præfixo : COS. VIII. in collectione Mediobarbi, & in museo nostro. *Excusatio infirmatur.*

Deinde, si etiam daretur : Consulatus suffectos in numis adscriptos, & cum ordinariis computatos esse ; congruere tamen COS. XIII. cum Consulatu ordinario DES. VIIII. seu cum COS. VIII. non posset.

Nam, primum COS. fuit Domitianus an. V. C. 825. aut ut alii 824. & COS. VIII. an. V. C. 835. atque adeo e communi numorum, & Chronologorum Petavii, Pagii, Norisii, Harduini, Mediobarbi consensu colligitur, ab anno COS. I. usque COS. VIII. spatium duodecim annorum nondum esse absolutum ; igitur jam COS. XIII. cum COS. VIII. quo pacto numis inscriptus est ? si dicatur : antea Consulem suffectum fuisse, quam in numis COS. notaretur. Contra facit : non videri in hoc denique numo eum Consulatum ad summam Consulatuum explendam assumi, qui antea numerandis Domitiani Consulatibus adhiberi non meruisset. Quod si porro etiam Domitianus intra

eundem aliquem annum, & Consul ordinarius, & suffectus fuisset; quod fieri poterat, si depositos mox, uti sæpe fiebat, post initum Consulatum fasces, deinde intra idem anni spatium resumpsisset; nunquam tamen adducar, ut credam: duos Consulatus suos, eodem anno gestos, aut eundem potius resumptum, duplo numero in numis, aliisque instrumentis publicis consignatos fuisse; ne etiam annorum numeri, a Consulibus ordinariis desumpti, ita inepte multiplicarentur, & publica temporum ratio turbaretur.

Numi male conservati, speciem vitii objiciunt.

Nolo hic illud suspicari, quod nonnullis numis accidisse, ipse sensi; nempe partem unam, ductumve literæ, intactis aliis lineolis, vetustate absumptam, aut recentis impostoris manu ita erasam esse, ut nullum sui vestigium reliquerit. Quæ res, haud ita dudum est, cum nihil propius erat, quam ut in fraudem me induceret. Nam, apud Amicum, Græcum numum elegantissimum, &, ut videbatur, integerrime servatum, inspiciens, ita inscriptum offendi:

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΤΙΡΟC. ΑΝΤΩΙΕΙΝΟC. Pene crediderem sculptoris lapsum; cum subiit, lineolas teneriore ductu formatas desiderari, vetustate extritas, horizontalem unam in CΕΤΗΡΟC. ut extaret: CΕΤΗΡΟC. ac transversam alteram in ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. ut esset: ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. qui literarum binarum nexus in Græcis numis, circa hæc tempora, non infrequens est. Unde & in allato Domitiani numo suspicari quis posset, e litera X in XIIII. inferiores lineolas edaci vetustatis denti cessisse, atque ita VIIII. loco XIIII. comparere. Sed nihil opus his suspicionibus; errorem sculptoris confidenter pronuntio, si numus integer est, fretus totius Rei publicæ numariæ consensu.

Incongrua literarum collocatio.

Inverso, ac perturbato scribendi ordine epigraphen exhibent illa numismata Cimelii nostri. ΝΟΙΝΑΣΣΣΜ. loco ΜΕΣΣΑΝΙΩΝ. in argenteo. Item ΑΙΑΚΛΡΗ. ΑΙΠΜΥΛΟ. pro ΗΡΑΚΛΙΑ. ΟΛΥΜΠΙΑ. in Aquiliæ numo Tyrio, quem in

Appen-

Appendicula protuli. Tum numi ab Illustrissimo Spanhemio indicati ꟽΩI ϽƎΦƎ. ƎIMƎꞮꟼA. pro APTЄMIC. ЄΦЄCIΩN. ΠIΛ. pro AIΠαϱαίων. ATAꓘ. pro KATAλωνιατῶν. Talis est a Cl. Patino editus ϽHИAIA T. ƎHT ƎTOᒣTA. pro ATTOTCTHC. TPAIANHЄ. & si qui sunt præterea.

Pertinere huc potest numus ille, olim Dñi Foucault, nunc Parmensis Cimeliarchii, in quo ipse R. P. Harduinus fatetur vitiose insculptum fuisse CONMAXANTINVS. Ita in Constantini numo R. P. Chamillart BARNAT. pro BRP. NAT. *Bono Reipublicæ Nato*, deprehensum est. Plura id genus, ad quartum potissimum Augustorum sæculum spectantia, vel antea sub Claudio Gothico, ac Tyrannis etiam occurrentia errata, negligenda censet Jobertus, *Instruction. 8. Ce sont des monstres, dont il ne faut faire des miracles, & sur quoi il ne faut jamais rien établir; car quoique cela n'empeche pas, que la medaille ne soit antique, cela en diminuë notablement le prix. Monstra hæc sunt, e quibus elicienda non sunt prodigia: neque super his unquam fundamentis quidquam stabilire oportet. Licet enim, quo minus antiquus habeatur numus, ea vitia non obsint; ejusdem tamen de pretio multum detrahunt.* Ejuscemodi monstrosum Cimelii nostri numum æneum parvi moduli, quid sibi vellet, frustra fui, cum indagassem; ita habet:

Ordo vel e turbatus.

IMP. CAERAS ⅃ ⅃ DVNAHSAV. KA ⅃ ⅃ PVNAHFAV.

Haud multo minori literarum perturbatione insignem numum refert Doctissimus *P. Jobertus Instruct. XI.* in cujus aversa parte ita habetur.

AꝜΩ. CꟻNϽTVNNOTCNE.

Ex qua Epigraphe precationem integram elicere tentavit R. P. Harduinus, incredibili ingenio.

Egregie vero ad hanc rem faciunt, quæ Illustrissimus, atque Doctissimus Marchio *Scipio Maffeius Epistola XXII. ad Cl. Apostolum Zeno*, acerrimo illo, quo pollet, judicio adnotaverat: *Quid autem dicemus de nunquam auditis Imperatori-*

ratoribus, qui his ipsis diebus noviter in scenam prodeunt? Posthuma percelebris scriptoris vulgantur opera, in quibus post Magnum Maximum D. N. EOANVS. P. F. AVG. & D. N. C. BRITIVS. tamquam ex antiquis numis obtruduntur nobis. Ejusdem auctoris schedas apud D. de Cleves nuper vidi, in quibus D. N. CALPITIANVS. P. AVG. & D. N. VECVNINVS. P. F. AVG. item recensebantur. Ex nominibus perperam insculptis monstra hæc exoriri aliquando possunt. AVLENAVS pro ignoto hucusque Principe ab eodem Auctore venditatur. Numisma in Museo Rothel: occurrit mihi. D. N. AVLENAVS. P. AVG. sed facies Valentem prodit: sculpi ergo debuerat VALENS.

Caput III.

De inscriptionibus, inusitata forma insculptis, quæ vitiosa non sunt.

Orthographia mutatur cum tempore.

POssent nonnulla, ab antiquis sculptoribus numorum formis inserta, vitiose scripta videri Tironibus, quibus Ortographiæ veteris ratio non satis perspecta est. Cavendum certe incipientibus, ne, quæ præter solitum scripta legerint, *vetustioribus* præsertim in monetis, illico τυποχαρακτῶν lapsus arbitrentur. Multa quippe, quæ serius recte hoc modo, alio item olim recte scribebantur. Valent huc etiam, quæ dudum monuit Doctissimus Romanorum *Terentius Varro, Lib. IV. de Lingua Lat.* *Quoniam verborum novorum, & veterum discordia omnis in consuetudine communi, quot modis literarum commutatio sit facta, qui animadverterit, scrutari facilius origines patietur verborum. Reperiet enim esse commutata, ut in superioribus libris ostendi, maxime propter bis quaternas causas. Literarum enim fit demptione, aut additione, & propter earum artationem, aut commutationem, item syllabarum productionem &c.* Hos aliter

ter usurpatos aliis temporibus scribendi modos, quibusdam e re numaria exemplis illustrabo.

Additione literæ insignia sunt illa in familiarum numis: VAALA. VIIRTVS. FEELIX. pro VALA. VIRTVS. FELIX. superfluam hic vocalem nemo suspicetur, sed *Quintilianum* audiat: *Lib. 1. Cap. 5. Aut vocales junguntur, aut unam longam faciunt, ut veteres scripsere, qui geminatione earum, velut apice, utebantur.* Longam syllabam etiam longiori charactere expressam in Augusti numo conspicere est: OB. CIVIS. SERVATOS. Adjectionem literæ hæc etiam præ se ferunt, vetustate excusandam: AXSIVS. MAXSVMVS. ALEXSANDREA. Nam & Tabulæ Græcæ vetustissimæ proferuntur ab Eruditissimis Viris, Sponio, & Masseio, in quibus, ante literam Ξ usitatam, ejus loco, ΧΣ adhibitum legitur, ut: ΧΣΕΝΟΦΙΛΟΣ. pro ΞΕΝΟΦΙΛΟΣ. quod latini imitati fuisse videntur, retento Græco charactere X. ne duo alii CH. ponendi essent ante S. uti & solum C. ante S. legitur in vetusto numo, PACS. loco PAX. Deinde FOVRIVS. FOVLVIVS. pro FVRIVS. FVLVIVS. similia sunt: EID. MART. *Idibus Martii* LEIBERTAS. PREIVERNVM. SERVEILIVS. DEIDIVS. CASSEIVS. PLEBEI. DE PARTHEIS. PREIMVS. de quibus ita *Quintilianus Lib. I. cap. 12. Diutius duravit, ut EI. jungendis eadem ratione, qua Græcis EI. uterentur.* Pariter in Græcorum numis, Latina nomina, & alia, quæ I. longum complectuntur, jam per EI. jam per I. scripta extant: ΑΝΤΩΝΙΝΟC, & ΑΝΤΩΝΕΙΝΩC. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. & ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Atque alia ejus generis. *Adjecta olim litera.*

Demptionis specimen offerunt prisca illa: NASIDIV. desiderata litera S. & PREIVERNVM. CAPTV. pro CAPTVM. & in medio vocabulo SVLA pro SVLLA. CRASVS pro CRASSVS. item PILIPVS. unico P. medio, cum alias duplici scribatur: PILIPPVS. vel PHILIPPVS. Nam aspirationem H. ubi præter solitum omissam quis viderit; *Subtractio earum.*

scul-

sculptorem erroris continuo arguere non debet. Ita præter τὸ PILIPPVS. reperiuntur : TRIVMPVS. YPSAEVS. GRACCVS. pro TRIVMPHVS. HYPSAEVS. GRACCHVS. De his *Quintilianus Lib. I. cap. 9.* ita docet: *Apud nos potest quæri: an in scripto sit vitium, si H. litera est, non nota? cujus quidem ratio mutua cum temporibus est sæpius. Parcissime ea veteres usi, etiam in vocalibus, cum Ædos, Ircosque dicebant. Diu deinde reservatum, ne consonantibus aspiraretur, ut in Graccis, & Triumpis. Erupit brevi tempore nimius usus, ut: Chorona, Chenturiones, Præchones, adhuc quibusdam inscriptionibus maneant.* Quod Grammatici Veteris testimonium illa etiam excusat, in M. Antonii numis: CHORTIS. SPECVLATORVM. & CHORTIVM. PRAETORIARVM. cum enim Varrone teste, *Cors* diceretur, quod deinde *Cohors* dictum est; Antonii tempore τὸ Cors, cum aspiratione, Chors scribi solitum fuisse videtur. In Gallieni porro numis COOR. PRAET. VI. P. VI. F. *Cohors prætoria sextum pia, sextum felix*, affectatio quædam antiquitatis est, si ex proposito aspirationem omisit sculptor: aut si loco CORS. per duo O. longam exprimere voluit.

Aspirationis Characteres apud Græcos. Neque vero in Græcis numis vitiosa est scriptura, cum hæc, latinis usitata, aspirationis nota H, græcis vocabulis præfigitur. Nam eadem hæc nota H, quæ græcis vocabulis E longum, id est duo E brevia valebat, olim etiam sic scripta Ͱ, quorum duo Ͱ Ⅎ = H. hæc eadem inquam litera Ἦτα, apud veteres græcos aspirationis vim obtinuit, eandemque ad latinos, una cum forma characteris H, transtulit. Id perspicue ex *Athenæo* discimus, qui *Lib. IX.* ita habet. Οἶμαι δὲ καὶ διὰ τοῦ Η στοιχείου τυπώσαθαι τοὺς παλαιοὺς τὴν δασεῖαν. διόπερ καὶ Ῥωμαῖοι πρὸ πάντων τῶν δασυνομένων ὀνομάτων τὸ Η προγράφουσι. *Existimo veteres (Græcos) ipso elemento H aspirationem figurasse; quocirca etiam Romani aspiratis omnibus vocabulis τὸ H præscribunt.*

Recte

Recte igitur more prisco in numis habetur : H ME-PA. pro Ἱμέρα. HYѰAC. pro Ὕψας ΗΙΠΠΟΝΙΚΩΝ pro Ἱππονικῶν. Et in Ephesino Helvii Pertinacis numo, quem e Cimelio D. Begon. R.P. Harduinus singulariter, ob hanc etiam literæ H. notam, produxit, legitur : Π. ΗΕΛΥ. ΠΕΡΤΙΝ. Πύβλιος Ἕλβιος Περτινάξ.. Lapidem item antiquum, horum testem, *Celeberrimus Maffeius Epist. XIX. lib. Galliæ Antiq. quædam selectæ :* producit, quales apud Gruterum quoque videre est. Sunt etiam, qui notam H in duas olim sectam fuisse putent, nempe Ⱶ & ⱶ, quarum prior asperi, lenis altera spiritus valorem haberet. Ita e numis Mekerchus apud *Gretserum Lib. de Pronunt.* hæc protulit : ȻΡΑΚΛΕΩΝ. ȻΡΑΚΛΗΤΩΝ. pro Ἡρακλέων. Ἡρακλητῶν. Quin Æolicum adeo illud Δίγαμμα Ⅎ, (quod Claudius Augustus Latinæ Orthographiæ pro V consonante intulit) pro aspirationis charactere usurpatum olim fuisse, apud Victorinum habetur, ut Ⅎάμαξα pro ἅμαξα. Et apud Priscianum pro spiritu leni, in Tripode Delphis Byzantium allato : ΔΗΜΟΦΟℲΩΝ. & ΛΑℲΟΚΟℲΩΝ. pro ΔΗΜΟΦΟΩΝ. ΛΑΟΚΟΩΝ.

Jam de *artatione*, & *commutatione* literarum. *Artationis* pauca exempla sunt in numis ; FOSTLVS. pro FAVSTVLVS. in numo Pompejæ familiæ legitur. *Commutationis* diversæ superant species, quæ fere omnes, ob soni similitudinem factæ, & usu tum fortasse receptæ, excusationem aliquam a vitio merentur: Commutatio hæc in vocalibus, & consonantibus locum habuit, in latinis juxta, ac Græcis numis conspicua. *Artatio, & immutatio elementorum.*

Excusari a sculptoris lapsu an hac ratione possit numisma sequens, ex argento puro, Musei nostri, in medio relinquo.





P. SEPT. GETA. PIVS. AVG. BRIT. *Publius Septimius Geta Pius Augustus Britannicus.* Caput Laureatum Getæ.

FED. EXERC. TR. P. III. COS. II. *Fedes exercituum, Tribunitia potestate tertium, Consul iterum.* Mulier velata stans, utraque manu signum militare attinet, tertium signum ad sinistrum latus humi defixum.

Vocalium permutatio. Frequentissima hæc epigraphe, semper FIDES scripta deprehenditur, non FEDES. unde, etsi ab Orthographiæ vitio purgari sculptor posset, ab affectata quadam vetustatis imitatione non potest. Siquidem erant voces quæpiam veteribus, quas per E alii, alii per I vocalem exararent. Ita GENETRIX. in veteribus numis legitur, quod subinde GENITRIX. scriptum est. DOMETIVS. & DOMITIVS itidem numi habent. *Quintilianus* rursum hæc comprobat: *Lib. 1. cap. 12. Here nunc E litera terminamus; at veterum comicorum adhuc libris invenio: Heri ad me venit &c.* Et hæret etiamnum in Italico idiomate hæc pronuntiatio *fede*, ex vocabulo *fides*, quod fortasse olim litera E, scriptum, aut ejusdem sono, præsertim a plebe enunciatum fuit; quando etiamnum E clausum Itali, & Galli præsertim, quasi cum I permixtum efferunt.

Veniam præterea utcunque merentur ista: AETRVSCVS. pro ETRVSCVS. & similia alia, præsertim dum græcis literis scripta sunt: ΑΙΤΡΩΣΚΙΛΑΑΝ. pro ΕΤΡΟΥΣΚΙΛΑΝ.

ΛAN. ubi pariter Ω pro OΥ positum, ad dialectum Doricam confugere potest: uti & illa AMYMTA pro AMYNTA. ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. pro ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ. ejusdem dialecti beneficio ab erratis eximuntur. Vetera item illa errore carent; COILIVS. pro COELIVS. DOSSENI. pro DORSENI. CAISAR pro CAESAR.

Latini veteres, quod omnes norunt, sæpe O loco V posuere. Numi hæc offerunt: DIVOS. IVLIOS. AEGYPTOS. PHILIPPOS. DEO. VOLCANO. & alia. *Quintilianus Lib. 1. cap. 5.* his affinia profert: *Quid O. atque V. permutata invicem, ut Hecoba, & Notrix, Culchides, & Pulixena. Idem cap. 12. de Orthogr. Cervom, & Servom scribi O, & V. literis.* Similia in Græcis occurrere videntur ΣΕΛΙΝΟΝΤΙΩΝ. pro ΣΕΛΙΝΟΥΝΤΙΩΝ. item ΟΠΟΝΤΙΩΝ. Alias etiam vocales ob soni similitudinem in Græcis numis commutatas deprehendere est: ΑΙΓΙΠΤΟΙ. pro ΑΙΓΥΡΤΟΥ. in Antonii, & Cleopatræ numo nostri Musei. ΒΗΡΙΤΙΩΝ. ΣΙΡΑΚΟΣΙΟΝ. in quibus I loco Y insculptum est. In Atheniensium numis ΑΘΕ, & ΑΘΗ. in Thebanorum ΘΕΒΗ, & ΘΗΒΗ. reperitur, quod ipsum argumento est, præter cætera, τὸ H. sono literæ E. sed longo, prolatum fuisse. Pari ratione in ære veteri ΑΝΤΟΝΙΟC. pro ΑΝΤΩΝΙΟC. ΝЄΟΚΟΡΩΝ. pro ΝЄΩΚΟΡΩΝ. quin & ΝЄΟΧΟΡΩΝ legere est, quod postremum tamen vitiis accenseri mallem; etsi in vetustissimis inscriptionibus sit X pro K nonnunquam positum

Consonantes aliæ aliis subrogatæ.

Consonantium porro commutatio, facta in ære veteri, antiquæ Orthographiæ, & soni similitudine itidem excusatur a vitio. FORTVNA. OPSEQVENS. pro OBSEQVENS. uti & in marmoribus, quæ deprehendit Eruditissimus Spanhemius: APSENS. OPSIDES. videntur purgari posse a vitii nota; cavente etiam *Quintiliano Lib. I. cap. 12. Sed B. quoque in aliorum locum dedimus aliquando, unde Byrrhus, & Bryges. Et cap. 9. Nam Cicero Canopitarum exercitum dicit, ipsi Canobon vocant.* Permutatæ igitur

tur sunt B, & P. Pari ratione C loco G positum damnare non ausim: OCVLNIVS. pro OGVLNIVS. cum ipse *Quintilianus* in simili dubitet *Lib. 1. cap. 9. Nam duos in unico nomine faciebat Barbarismos Tinca Placentinus, si reprehendenti Hortensio credimus, preculam pro pergula dicens, & immutatione, cum C pro G uteretur, & transmutatione, cum E praeponeret R antecedenti.*

Siculi adeo, dum Romanis parebant, elementum C. loco sui Γ, inscriptionibus Græcis numorum intulerunt; uti legimus ΑΚΡΑCΑΣ. CΕΛΑΣ pro ΑΚΡΑΓΑΣ. ΓΕΛΑΣ.

His accenseri merentur. KARVS. KARINVS. KARTHAGO. item TRIVMFVS. ISIS. FARIA. Et e converso Græci numi epigraphe FΑΛΕΙΩΝ. pro ΦΑΛΕΙΩΝ. Tum ista: ORVIS. TERRARVM. DANVVIVS. CORONA. CIBICA. unde & Græci sæpe, cum Latina nomina numis insculperent, V consonantem duplici modo reddebant: ΒΑΛΕΡΙΑΝΟC. & ΟΥΑΛΕΡΙΑΝΟC. ΒΕΙΒΙΟC. & ΟΥΙΒΙΟC. porro Græculi semilatini: C. OVAL. HOSTIL. MES. COVINTVS. AVG. *Cajus Valens Hostilianus Messius Quintus Augustus.* Atque his affinia plura in Coloniarum numis præcipue occurrunt, quarum artifices Latinæ Orthographiæ exacta peritia nonnunquam destitutos fuisse, facile quisque sibi persuadebit. Græca rursum permutata fuisse, constat e numis, hæc elementa Ζ, & Σ. ita: ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ. ΖΕΡΑΠΙΣ. ΦΙΛΟΚΛΗΖ. & vice versa, ΣΕΥΣ. pro ΖΕΥΣ. & in Trœzenio numo Æolice ΣΔΕΥΣ. Non raro sæculo tertio Ζ. loco Ξ. signatum visitur, desiderata media horizontali lineola. Numus noster argenteus X. solum, sine Σ. loco Ξ. exhibet: ΝΑΧΙΩΝ. item ΑΧΥΡ. pro ΑΞΥΡ. vel ΑΝΞΥΡ. Soni causa, & illa duplici modo numis insculpta habentur. ΑΝΚΥΡΑ & ΑΓΚΥΡΑ. ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ. & ΣΥΓΚΛΗΤΩΣ. E quibus discimus, pronuntiatum quidem Γ ante Κ tanquam Ν fuisse, non tamen semper ipsa elementi permutatione scriptum.

Non-

Nonnunquam characteres Latini Græcis, a semilatinis sculptoribus permutati, ac permixti inveniuntur. KAISAR. SEMNOS. ΑΔΡΙΑΝΟS. item ΔAMACCO. COΛONIA. & ILIΠENZE. seu ILIΠENSE muncipium in Bætica : MARS. VATOR. sic LAVDICЄON pro ΛΑΟΔΙΚЄΩΝ. Et alia. *Græca litera latinis permutata.*

Nonnulla ex his, uti: C pro G, vel pro Γ græco: item C pro K in Damasceno numo : S pro Σ in numo MESSENION. aliæque similes literarum formæ (si in vetustioribus numis reperiantur) haberi possunt velut reliquiæ vetustissimi Alphabeti Pelasgi, aut Etrusci; de quo videri potest eruditissima dissertatio Dñi Ludovici Bourguet in libro recens Romæ edito : *Saggi di Dissertazioni Academiche &c. Dissertazione I.*

Perverso etiam situ unicam literam insculptam, quod omni vitii labe non caret, in ære prisco videre est. Binos ejusmodi numos in Appendicula ad Græcos Vaillantii numos exhibui. In altero habetur C工CTIΩN. loco CHCTIΩN. & in altero ЄT. NOC. loco ЄT. ZOC. Nam N = 50. componi non potest cum literis epocham indicantibus OC = 200. + 70. sed Z = 7. optime annos exprimit, uti suo loco ostendi. Hic igitur Z jacens, N ab incautis legi potuisset, atque illud Ausonii hic plane impletum conspicitur. *Situs elementi inversus.*

Zeta jacens, si surgat, erit nota, quæ legitur Ni.


In aversa facie numi ænei, Cimelii nostri, Saloninæ, cui IVNO. REGINA. inscripta erat, conspexi Ş. C. in media numi area, pro S. C. *Senatus Consulto* insculptum. Maximini numum dedimus, in quo habetur C.R.I.ꟻ.Ƨ. AN. ƆƆƆV. Culpandus non est illico μοχθοχαράκτης cum literæ ductus quosdam, præter morem, aut apices præ se ferunt; ea quidem certe, aut ornatus, aut etiam distinctionis alicujus causa ita formata fuisse probabile est. Ita in æneo numo, medii moduli, pervetusto, a Mesambrianis percusso, Cimelii nostri, peregrina literæ Σ figura conspicitur, uti typus exhibet:



In adverſa hujus numi parte caput eſt, Diademate cinctum, ſine epigraphe. Alii bini ejusdem Cimelii, jam a Vaillantio quidem, quoad figuram, vulgati numi, Pomponiæ familiæ, Muſæ figuram referunt cum epigraphe: Q. POMPONI. MVSA. ubi litera V. diſtincte apicem quemdam recurvum exhibet: quod vehementer ſuſpicor, aut ad denotandam literam longam, uti ſuperius e *Quintiliano* retuli: aut ad diſtinguendam V. vocalem a conſonante, uti nos Germani hodieque ſcribimus: aut certe ornatus cauſa ita inſculptum fuiſſe.

Eſt item numus noſter æneus, Vrbis Romæ, in quo O. longius, manifeſto apice notatum, extat: RÓMA.





CA

CAPUT IV.


De vitiosa formarum combinatione in subaratis numis.

HAud ita longo abhinc tempore in eorum ego item sententiam pene abieram, qui numorum errata, etiam subæratorum (quorum typi insolitam combinationem præ se ferunt) ingeniose conquisitis interpretationibus excusare nituntur. At enim posteaquam tot, ac tam palmaria vitia, in pelliculatis præsertim Denariis, tum in Cimelio nostro, cum in libris adnotata repereram; aliter mihi deinceps sentiendum esse constitui: planeque in me expertus sum, uti ad vitam humanam, ita ad rem numariam veterem, *Nunquam ita quemquam subducta ratione fuisse, quin res, ætas, usus semper aliquid apportet novi, semper aliquid moneat; ut illa, quæ te scire credas, nescias, & quæ tibi putaris prima, in experiundo ut repudies. Terent. Adelph. Act. 5. scen. 4.* *Mutanda nonnunquam, in re Antiquaria, sententia.*

Porro ut hac in re, quam sint indigni venia Monetarii illi adulterini, luculentius ostendam, numorum exempla, primum e Cimelio Nostro, deinde aliorum proferam: in quibus ita manifesta sunt typorum vitiose consignatorum errata; ut qui excusare illa se posse firmiori quadam ratione adducta existimaret, ei illud Horatianum in aurem suggerendum putarem: *Lib. I. Sat. 2.* *Subaratorum vitia inexcusabilia.*

Desine -- -- -- -- sectarier, unde laboris
Plus haurire mali est, quam ex re decerpere fructus.





Titulus TRIB. POT. vitiose repetitus.

IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. IIII. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus Germanicus Pontifex Maximus Tribunitia Potestate quartum.* Caput laureatum Domitiani.

TR. POT. III. CENS. P. P. P. *Tribunitia Potestate Tertium, Censor Perpetuus, Pater Patriæ.* Pallas stans, d. jaculum tollit, s. scutum, pedibus navi insistit, ad quos noctua adstat. *Subæratus.*

Hoc iconium capitis ad aliud aversæ partis typarium pertinebat, in quo nulla Tribunitiæ Potestatis mentio. Apud com. Mediobarbum extat argenteus numus, cum eadem omnino, qua noster, Capitis epigraphe, sed in cujus aversa parte legitur IMP. IX. COS. XI. CENS. POT. P. P. Pallas stans.

Neque mihi quisquam hic opponat numum Aurelii Cæs. a doctissimo *Spanhemio Tom. 2. pag. 432.* relatum, in cujus aversa facie legitur: TRIB. POT. VII. TRIB. POT. VIII. S C. Nam isthic, si quod vitium esset, sculptoris esset; quod hic suspicari vix possumus. Nam si oblivione lapsus esset, se jam insculpsisse TRIB. POT. potius bis TRIB. POT. cum eodem, quam diverso numero expressisset. Quare hic cum Spanhemio probabiliter dici posse arbitror: numum hunc eo tempore signatum esse, quo Aurelius expleta TRIB. POT. VII. eandem octavum sumeret.

Nihil porro moror duplicem illam Tribunitiam Potestatem, Civilem nempe, & Bellicam, quam R. P. Hardui-

nus

nus excogitaverat, ad excusandos ejusmodi numos; sed cum paucorum assensu.

Tres alios numos *subaratos*, ex epistola Illustrissimi Maffeii proferam sub finem hujus capitis, qui simillimo vitio insignes TRIB. POT. & Consulatus diversos numeros in antica, & postica facie exhibent. Quare haud injuria suspicor, subæratum etiam esse numum illum, quem argenteis quidem accenset Cl. Liebeus, singulariter tamen non adnotat, quod alibi ad similem numum fecerat, esse vere argenteum. En illum!

ANTONINVS. AVG. PIVS. P. P. TR. P. XV. Caput.

TR. POT. XV. COS. IV. Vestalis stans, d. capedunculam f. tropæum.

Jam ad alios:



IMP. CAES. DOMIT. AVG. GERM. P. M. TR. P. XV. *Imperator Cæsar Domitianus Augustus, Germanicus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate decimum quintum.* Caput laureatum.

IMP. XIIII. COS. XIIII. CENS. P. P. P. *Imperator decimum quartum, Consul decimum quartum, Censor Perpetuus, Pater Patriæ.* Pallas, uti in priori numo. *Subæratus.*

Pugnat cum sinceris numis compluribus hæc combinatio TRIB POT. XV. & IMP. XIIII. cum longe major numerus acclamati *Imperatoris* respondere debeat numero TRIB. POT. XV. Nam apud Mediobarbum, & in Museo nostro sinceri numi Domitiani habentur, in quibus legi- *TRIB. POT. incongrua numero IMP.*

tur : TR. P. VIII. IMP. XX. item TR. P. IX. & X. IMP. XXI. atque in aliis ſinceris, vitiique expertibus numis Domitianus ſcribitur IMP. XIIII. cum TRIB. POT. VII.





IMP. L. AVREL. VERVS. AVG. *Imperator Lucius Aurelius Verus Auguſtus.* Caput nudum ejusdem.

P. M. TR. P. XIII. IMP. VIII. COS. V. P. P. *Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate decimum tertium, Imperator octavum, Conſul quintum, Pater Patriæ.* Salus ſedens, d. pateram: ex ara ſerpens exſurgit. *Subæratus.*

Hic numus a falſariis ſignatus eſt duodeviceſimo ſaltem anno a morte Lucii Veri. Nam partis averſæ iconium eſt Commodi numis argenteis ſignandis elaboratum; uti apud Mediobarbum idem omnino extat, cum capitis epigraphe: M. COMM. ANT. P. FEL. AVG. BRIT. ſane Lucio Vero nec Pont. Max. nec Patris Patriæ titulus, quem ſolus tum M. Aurelius gerebat, congruit: nec TRIB. POT. nec COS. numeri; cum Verus duntaxat TRIB. POT. IX. & COS. III. & etiam IMP. V. in numis adnotetur.





IVLIA.

IVLIA. PIA. FELIX. AVG. Caput Juliæ Domnæ.

PONTIF. TR. P. III. *Pontifex, Tribunitia Potestate tertium.* Figura stans, d. pateram, f. hastam. *Subæratus.*

Hæc aversæ partis forma ad numum Getæ, filii Juliæ Domnæ, parata videtur. Similis certe epigraphe in argenteis Getæ numis in collectione Mediobarbi exhibetur. Capiti mulieris sane ita congruit hæc aversæ partis inscriptio, ut fluctibus aper.



ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. *Antoninus Pius Augustus Britannicus.* Caput laureatum Caracallæ.

PONTIF. TR. P. XII. COS. III. *Pontifex. Tribunitia Potestate duodecimum, Consul tertium.* Mars gradiens, d. hastam, f. parazonium. *Subæratus.*

Mendosa harum inscriptionum consignatio haud ita prompte omnibus fortasse subolet. Verum attentioribus ad rem numariam illud placere non potest: *Britannici* titulum, Caracallæ datum, conjungi cum TRIB. POT. XII. Caracalla enim hunc titulum primum obtinuit, postquam TRIB. POT. XIII. suscepit; uti cum Chronologis numi contestantur. Extant siquidem cum in Museo nostro, tum apud Mediobarbum argentei Caracallæ numi, e quibus alii TRIB. POT. XIII. cum titulo *Britannici*, alii sine eodem ostentant; id quod indicat: assumpta jam TRIB. POT. XIII. *Britannici* titulo ornatum fuisse. Neque ul-

Anachronismi cum titulo BRITANNICUS.

lus illic nummus TRIB. POT. XII. atque Britannici cognomine insignitus, adducitur.

Ut vero scrupulum hic omnem lectori eximam; manifestiorem hunc lapsum ex altero ejusdem Antonini Caracallæ subærato numo ostendo.




ANTONINVS. PIVS. AVG. BRIT. Caput laureatum Caracallæ.

P. M. TR. P. VII. COS. II. P. P. *Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate septimum, Consul iterum, Pater Patriæ.* Victoria gradiens, utraque manu cingulum gestat.

Hic sane titulum Britannici cum TRIB. POT. VII. ingentem parachronismum conficere, ne primuli quidem historiæ Augustæ tirones ignorant; cum Caracalla Tribunitiæ Potestatis anno X. vel XI. primum iter in Britanniam instituerit. Hæc duo itaque, quæ modo proposui, Caracallæ numismata aversæ partis typum referunt, ad aliam capitis formam pertinentem. Prius illud iconium ad Caracallæ quidem caput pertinebat; sed sine epigraphe BRIT. Hoc alterum vero, inscriptum: *Pontifex Maximus Tribunitia Potestate VII.* nulla ratione Caracallæ congruere potest; qui in omnibus sinceris numis cum TRIB. POT. VII & etiam ultra, solum PONTIF. & non PONT. MAX. nisi demum cum TRIB. POT. XIV. inscriptus legitur. Hæc igitur aversa numi facies Septimio Severo restituenda est. Similem errorem refert Mediobarbus; etiam sub Caracalla; nam legitur: P. M. TR. P. X. COS. II. P. P. *argent*

P. SEPT.



P. SEPT. GETA. CAES. PONT. *Publius Septimius Geta Cæsar, Pontifex.* Caput nudum Getæ.

P. M. TR. P. XII. COS. III. P.P. *Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate duodecimum, Consul tertium, Pater Patriæ.* Vir nudus aræ adstat, d. pateram f. spicas; Est effigies Boni Eventus. *Subaratus.*

Hoc aversæ partis charagma, ad Severi, Patris Getæ, caput spectabat, atque in Museo nostro argenteus numus reperitur cum capite Septimii Severi, & epigraphe: SEVERVS PIVS. AVG. aversæ vero partis imago eadem, & inscriptio, quæ in hoc nostro, notatur. *Geta aversa Patri debita.*

Getæ quidem certe adhuc dum *Cæsari*, uti capitis habet inscriptio, male jungitur in altera parte PONT. MAX. quo titulo, solus Septimius Severus hoc tempore gaudebat. Quod si etiam daretur, in Pontificatus Maximi communionem præter morem assumptum esse Getam; cur in altera numi facie PONT*ifex* tantum, in altera *Pontifex Maximus* signaretur? Denique certum est e numis, & historicis: Getam non nisi ad TRIB. POT. IIII. pervenisse, atque Imperii mense undecimo a fratre interemptum fuisse. Taceo, Getam non haberi in numis COS. III. neque ei, qui solum Cæsar appellaretur, *Patris Patriæ* titulum tribui. Cl. Vaillantius inter Numismata Præstantiora ex argento, similes Getæ numos refert. *Tom. 1. pag. 126.*



IVLIA. MAESA. AVG. *Julia Mæsa Augusta.* Caput ejusdem.

Titulus, Viro proprius, mulieri adsignatus.

SVMMVS. SACERDOS. AVG. *Summus Sacerdos Augustus.* Sacerdos ad aram adstans, toga striata indutus, d. pateram, s. ramum lustralem; in area astrum. *Subæratus.*

Hunc posticæ partis typum sibi vendicant numi Elagabali apud Mediobarbum, e quibus perperam ad numum Aviæ maternæ signandum transsumptus est. Sane Elagabalus, etiam Augustus, variis in monetis se Sacerdotem Solis Elagabali, cujus cultum in Syria puer combiberat, professus est; atque astri figura Solem Elagabalum indicare existimatur. Videri potest *Lampridius in vita Antonini Heliogab. cap. 1. Et Xiphilin. ex Dione Lib. LXXVIII.*



Sic

IVLIA. MAMEA. AVG. *Julia Mamea Augusta.* Caput ejusdem Mamææ.

LIBER-

LIBERTAS. AVG. *Libertas Augusta.* Mulier stans d. pileum, s. hastam. *Subaeratus.* *Subaerati saepe non agnoscuntur.*

Frequens iste in Augustorum numis typus, qui ex Alexandri numis argenteis huc transmigravit, in nulla moneta, Augustae nomine signata, apud Mediobarbum deprehenditur, praeter unicam nostrae similem, quae inter argenteas refertur. Verum hic numus, solus cum sit, merito suspicor eundem pariter pelliculatum esse. Multos enim adulterinos, e quibus aetas, aut usus vix quidquam detriverat, pro sinceris haberi, id mihi, quod nuper cepi, experimentum persuadet. Nactus eram Domitiani numum, quem hoc capite primum exposui, integrum plane, & elegantem. Cum vero viderem posticam partem, cum antica male cohaerere; coepi, suspicatus, quod suberat, numi oram incidere: at purum putum illic argentum. Tum scalpro aream tentavi; ibi, cum pellicula argenti esset pertenuis, illico deprehendi numum

Introrsum turpem, speciosum pelle decora.
Claud. laud. Stilic. Lib. II.

Nempe oram, quae facilius attereretur, aut tentaretur, crassiusculo argento munivere falsarii; tenuiorem bracteam areae induxere, ubi minus instabat detegendae fraudis periculum.



IVLIA. MAMAEA. AVG. Caput ejusdem.

VIRTVS.

VIRTVS. AVG. *Virtus Augusti.* Miles stans d. hastam, f. clypeum. *Subaeratus.*

Alexandri, Filii Mamaeae, numis haec forma, & epigraphe debetur; uti & eandem exhibet collectio Mediobarbi sub capite Alexandri in pluribus argenteis numis.

Militare Symbolum Mulieri tributum.

Mulieri sane hoc symbolum haud convenit, neque in ullo Augustae numo apud laudatum Auctorem comparet. Quanquam vero non ignorem, dari numos Mamaeae, relatos in *Commentariis Trevoltianis ad anni 1728. Aprilem pag. 621. & seq.* in quorum aversa parte FIDES. MILITVM. item ADLOCVTIO. AVG. conspiciatur: sciamque in ejusmodi numo, qui in antica parte capita Alexandri, & Mamaeae jugata ostentat, legi: MATER. CASTRORVM. Cum tamen haec omnia ad Imperium, quod Mamaea cum Filio, imo vero in eundem exercuerat, aut in affectum, & curam, qua milites illa complectebatur, recte referri possint; contra vero VIRTVS. AVG. cum viri armati effigie, propriam, belli tempore comprobatam, Imperatoris virtutem, ac fortitudinem indicare soleat; haec Mamaeae capiti vitiose adsignata videntur.



IMP. GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. *Imperator Gordianus Pius Felix Augustus.* Caput Gordiani Pii, cum corona radiata.

ADVE. - - - AVGG. *Adventus Augustorum duorum.* Imperator equo vehitur. *Subaeratus.*


Gordia-

Gordianus Pius ſolus Auguſtus imperavit. Nam Balbino, & Pupieno Auguſtis, Cæſar tantum erat; mox illis interfectis Auguſtus proclamatur, teſte *Herodiano Lib. VIII. ſub finem.* Καὶ καταλιπόντες τὰ σώματα ἐρριμμένα ἐπὶ τῆς λεωφόρου, ἀράμενοι δὲ τὸν Γορδιανὸν, Καίσαρα ὄντα, Αὐτοκράτορά τε ἀναγορεύσαντες &c. *Et relinquentes projecta cadavera* (Balbini, & Pupieni) *in platea, tollentes autem Gordianum, qui tum Cæſar erat, & Imperatorem ſalutantes &c.* Philippus autem, Gordiano vivo, IMP. AVGVSTVS. ſaltem Romæ, agnitus non fuit. Quamvis enim *Jul. Capitolinus in Gordiano tertio, cap. 29.* memoret: *Imperium Philippo mandatum eſſe, juſſumque a militibus, ut quaſi Tutor ejus Philippus cum eodem Gordiano pariter imperaret.* Idem tamen auctor *mox cap. 31.* hæc habet: *Romam literas miſit Philippus, quibus ſcripſit, Gordianum morbo periiſſe, ſeque a cunctis militibus electum. Nec defuit, ut Senatus de his rebus, quas non noverat, falleretur. Appellato igitur Principe Philippo, & Auguſto nuncupato &c.* Nequit igitur in numo Romani comatis ulla ratione *Adventus Auguſtorum* Gordiano Pio adſcribi.

Philipporum forma Gordiano adjuncta.

Hic averſæ partis typus pertinere videtur ad Philippos, in quorum numis habetur. Exiſtimo enim falſarios etiam vita functorum Imperatorum vultibus, quos facilius nanciſci poterant, numos ſignaſſe, quibus ſubinde poſticæ partis iconium, quod etiam ſurripuerant, Imperanti Auguſto proprium, adſignarunt:

Cujus rei bina exempla, eaque ad hunc ipſum Gordianum ſpectantia, ad finem hujus capitis mox adferam. Unum, & alterum numum e Cimelio noſtro interpono.





IMP. GORDIANVS PIVS. FEL. AVG. Caput ejusdem laureatum.


CONSECRATIO. Pavo caudam explicans. *Subaeratus*.

Apotheosis Symbolum Augusto incongruū. Gordianus Pius, Capitolino teste, ab Senatu Romano inter Deos relatus est; imo Philippus ipse, homo versipellis, familiari sermone Gordianum *Divum* appellare solebat, etiam apud milites. Publico tamen ritu inter Deos relatum esse, non constat: neque satis credibile est (cum ritus hic a successore Imperii obeundus esset) id Philippum, Gordiani peremptorem, adeo effrontem fuisse, ut præstaret; cum Romæ jam Philippi doli innotuissent. Neque vero publicæ, solemnisque Consecrationis meminit *Eutropius lib. IX.* Etsi referat: Gordianum a Philippo Divum appellatum fuisse; id quod de familiari sermone, uti Capitolinus innuit, accipiendum videtur. Sane Gordiani hujus numus nullus apud Mediobarbum exhibetur, cui Consecrationis mentio inserta sit. Quod si extaret etiam ejus rei memoria; hic tamen numus esset aperte vitiosus, qui pavonem, perpetuum, propriumque Muliebris Consecrationis Symbolum, Gordiani capiti connectat. Hic typus, & epigraphe revocantur ad numos Paulinæ, uxoris Maximini.

Erit fortasse aliquis, qui neget: perpetuum fuisse apud Augustas Consecrationis symbolum, pavonem; cum Cl.

Vail-

Vaillantius rariores inter numos, quemdam Faustinæ senioris proferat, qui, cum epigraphe CONSECRATIO. Aquilam in argento exhibeat. Is numus, cum in nostro itidem Cimelio extet, hic integrum sisto.



DIVA. AVG. FAVSTINA. Caput Faustinæ Pii.
CONSECRATIO. Aquila.

At enim hic numus noster manifesto subæratus est; atque adeo una cum altero illo nostro, qui pavonem Gordiano appingit, nihil aliud, quam binos falsariorum lapsus arguit. Neque enim constans ille sincerorum numismatum consensus in aliquo perturbari uno, & altero adulterinæ monetæ testimonio citra injuriam potest.



IMP. GORDIANVS PIVS. FEL. AVG. *Imperator Gordianus Pius Felix Augustus.* Caput Gordianii Pii cum corona radiata.

PRINCIPI. IVVENT. *Principi Juventutis.* Figura, sago vestita, stans, d. globum, f. hastam. *Subæratus.*

Titulus Principis Juventutis Cæsaribus, antequam Au-

 gusti

gusti renunciarentur, in veteribus numis tantum tribuitur. Vitiose itaque hic aversæ partis typus adsignatus est imagini capitis Gordiani, cum titulo *Augusti*. Accedit, hujus capitis epigraphen, eam esse, quam postremis fere Gordiani Imperantis annis numi exhibere solent; cum primis annis insculpi soleret: IMP. CAES. M. ANT. GORDIANVS. AVG. uti indicant numi, annis TRIB. POT. insignes. Neque vero ullus numus sincerus *Principem Juventutis* Gordianum refert; etsi id non repugnaret Historiæ; cum Cæsar sub Balbino, & Pupieno fuerit Gordianus. Hæc aversæ partis forma Philippi Junioris numis argenteis signandis parata erat, in cujus monetis frequentius comparet.

Vitiosi numi a V. Cl. Maffeio inspecti.

Hactenus dictis egregie suffragantur, quæ vir, sanguine juxta, ac eruditione clarissimus Scipio Maffeius adnotavit in libro, cui titulus: *Galliæ Antiquitates quædam selectæ, atque in plures epistolas distributæ.* Ubi *Epist. 22. Apostolo Zeno inscripta pag. 111.* Sequentia refert de numis ineditis, a se in Gallia visis. *Nerva est in eodem Domini Cleves scrinio, qui in anteriori parte COS. II. dicitur, in posteriori COS. III. Antiquus procul dubio est numus, argentea siquidem bractea obductus. Verum in museo Roteliniano Trajanum animadverti COS. VI. & in aversa COS. V. cum Dacia capta. Item M Aurelium TR. P. XXIIII. & in altera TR. P. XXIII. cum Armenia.*

Gordianum Pium quoque: cum Leone gradiente, & SÆCVLARES. AVGG. etiam cum ANNONA. AVGG qua Philippi, post Gordianum imperantis inscriptiones sunt. At ii numi omnes argentum mentiuntur, ac prætendunt; cupro vero constant. Anticos ergo typos, monetæ adulteratores, cum posticis sæpe maritabant alienis.



C A-

CAPUT V.

Nonnulli Subærati numi, qui formis præter solitum compositis signati, dubium de vitio movent, expenduntur.

PRoducti ex unico privato Cimelio superiori capite subærati numi, certo vitio, male coaptatorum typorum, laborantes, si una cum iis, quæ doctissimus Maffeius, & quæ Anonymus ille, in Diariis Trevoltiensibus, Capite Imo laudatus, professi sunt, exactius conferantur; facile quemvis in eam, credo, adducent sententiam: ut, cum numus certo subæratus offertur, insolita quadam formarum, ad sinceros numos pertinentium, combinatione; malit Monetarium accusare erroris, quam de extorquenda interpretatione quadam, ingenii, & novitatis plena, magnopere laborare. At enim aliter nonnullis eruditis visum est. *Subærati numi rarius a vitio excusandi.*

Vir Doctissimus Franciscus Nicolaus Haym in præclaro opere, cui titulus: *Tesoro Britannico*, inter alios rariores numos, eos etiam adfert, qui mira, & insolita typariorum conjunctione suspensos tenent peritorum animos: quos prope omnes subæratos esse ipse celeberrimus auctor admonuit. Quæ ipsa res modo a me dicta confirmare, magnamque videtur ad condemnandos vitii hosce numos præscriptionem animo ingerere. *Haymii V. Cl. Sententia de Numo Augusti.*

Qua tamen ratione Cl. Haymius numos istos a mendo eximios præstare contendat, in præsenti dispiciamus.

CÆSAR. AVGVSTVS. Caput nudum Octaviani.

PVTEAL. SCRIBON. Solitus typus Putealis Scribonii. *Subæratus.*

Dificultatem hic, quam formarum harum commissura adfert, ipse Haymius exposuit: cujus verba, ne longior

ſim, hic, & alibi ex Italico latine reddita adſcribam. *Scribonia tertia fuit Auguſti uxor, e qua Juliam ſuſcepit, atque teſte Dione, eadem die, qua ipſi nata eſt Julia Filia, Matrem ejus repudiavit, an. V. C. 716. amore Liviæ ad id incitatus. Scribonia vivebat adhuc an. 749 quoniam, ut habet Dio, ſponte, cum Filia ſua Julia in exilium ſeceſſit. Hic tamen numus multo poſt percuſſus eſt, quam Auguſtus Scriboniam repudiarit; quando iſthic Auguſti titulus comparet, quem ante annum V. C. 727. non obtinuit.* Deinde ita nodum ſolvere aggreditur. *Unde deducitur Auguſtum hanc monetam feriundam curaſſe, in honorem familiæ Scriboniæ, revocando in memoriam affinitatem, qua eandem contingebat; atque idcirco caput ſuum cum averſa forma, Scriboniæ familiæ numis propria, componi voluit.*

Is numus vitioſis accenſendus. Verum numus adulterinus eſt, & incruſtatus, quales memoriæ cauſa procudi curaſſe Auguſtum, credibile non eſt. Nam ſinceri quidem numi exemplum nullum, quod ſciam, extat, quod Auguſti caput cum Puteali Scribonii conſociet; cujus typus ſatis frequens habetur. Memoriam porro affinitatis, inſolito hoc monumento commendaſſe, qui illius vinculum ipſe diſciderit; non ſatis congruere videtur. Quare obvium illud falſariorum erratum, diverſarum formarum conjugatione, hic etiam commiſſum eſſe arbitror, neque quidquam argutius cogitandum.

BRVTVS. Caput laureatum.

SVLLA. Caput. *Subæratus.*

Diverſa capita a Falſariis compoſita. De hoc numo ita Haymius: *Solet alioqui Brutus cum Ahala, & Sulla cum Rufo in argento veteri ſignari; aſt hic primum Rei publicæ Inſtitutorem, cum primo Monarchiæ, & Romani Imperii Machinatore expreſſum habemus.* Conjecturam præterea facit: a quodam e gente Cornelia, atque ab ipſo Pompejo hujus numi iconia imperata eſſe. Ingenioſe iſta, non diſiteor. Sed meum ego ſolemne repeto: ſubæratus eſt numus, ſinceri alii omnes, quos hactenus vulgatos novi, utrumque caput cum alia averſæ partis forma

con-

conjungunt. Aut fraus hæc falsarii, non ineruditi, aut necessitas fuit.

IVLIA. AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.

NOBILITAS. Mulier stans, d. hasta fulcit, f. virum sago insignem sustentat. *Subæratus.*

Multa erudite de Nobilitate Juliæ Haymius, ut hanc epigraphen eidem convenire ostendat. *Volume I. pag. 260.* E quibus illud præcipuum puto: *Nobilitatis titulus annexus erat titulo Patris Senatus! atque hunc cum obtinuerit Commodus Imperator, etiam Nobilissimus dictus est. Qua occasione in memoriam revoco: hanc ipsam Juliam, quæ in numis ornatur his titulis MATER. AVGG. MATER. SENATVS. MATER. PATRIÆ. etiam Nobilissimæ Nomine compellatam, atque idcirco hanc epigraphen, ac figuram cum ejus capite commissam fuisse.* Pulchre dictum! At at bracteatus numus est; neque in tota Mediobarbi collectione ulli mulieri, viris vero aliquot hæc forma, & inscriptio tribuitur; atque inter cæteros habetur in numis Getæ, Filii Juliæ Domnæ, e quibus ad hunc numum signandum male adhibitam fuisse ab adulteratore monetæ, mihi persuadeo. *Juliæ numo typus Getæ debitus adhibetur.*

M. OPEL. DIADVMENIAN. CAES. *Marcus Opelius Diadumenianus Cæsar.* Caput nudum ejusdem.

LVNA. LVCIFERA. Luna curru vehitur. *Subæratus.*

Typum hunc, mulierum numis adsignatum, cum Diadumeniano conciliare studet cl Haymius, lepida illa Endymionis fabella; quasi amores Lunæ in Endymionem, amabilem, & exquisitam formæ elegantiam indicarent, qua Diadumenianus florebat. *Subærati graviratione a vitio purgandi.*

Erudito quodam joco hic mihi usus videtur Doctissimus Haymius. Nam si hac ratione defendere adulterinos numos liceat; num erit subinde adeo palmare mendum, a quo purgare numos quosque, qui eruditione, atque ingenio aliquid valeat, non possit? Nullum numisma, apud Mediobarbum, hunc typum Viro tribuit; præter unicum

Seve-

Severi Alexandri, ex ære, quod fortasse etiam argentea pellicula obductum fuerat.

MAGNVS. IMP. *Magnus Imperator.* Caput nudum Pompeii cum vase, & lituo.

SSDCAVR. ÆD. CVR. RX. ARETA. *Marcus Scaurus Ædilis Curulis: Rex Aretas:* Rex, prope camelum, genu flexo ramum porrigit adstanti Imperatori. *Subæratus.*

Pompeii subæratus, de vitio suspectus.

Super hoc ita Haymius: *Numus hic idcirco juris publici factus est; quod non dum conspectus sit hic typus cum Pompeii capite. Dio Lib. XXXVI. refert: Aretam Arabiæ Regem a Pompeio Magno victum esse Coss. M. Cicerone, & C. Antonio, anno V. C. 691. Ne quis autem credat, hunc numum casu quodam ita percussum esse, ut typarium capitis Pompeii arreptum, cum alio, M. Scauri numo, quem supra retulimus, proprio componeretur; observandum est, literas in aversa facie esse omnino diversas, neque in hoc, quemadmodum in illo S. C. adscriptum legi.* Accedit, quod eruditissimus *Vaillantius in Numis Famil. pag. 49.* ad celebrem illum M. Scauri numum animadvertit: M. Scaurum Pompeio in bello Mithridatico Pro Quæstore fuisse, atque ad tempus Syriæ Præfectum, relictis duabus legionibus anno V. C. 653. bello Arabibus illato Aretam Regem ad pacem petendam compulisse.

Pompeii vultum cum typo hoc M. Scauri egregie, si historiam spectem, convenire, in confesso est. Verum numus adulterinus est; unum sincerum si cum hac formarum compositione videro: dabo manus, & Monetarii neque fraudem, neque alium lapsum suspicabor. Quod vero aversæ partis charagma ab eo abludat, quod in Scauri numis conspici solet; id solum conficit: aliam, a publica illa, hic esse formam adhibitam.

Neque vero omne typarium, quo abutebantur falsarii, e moneta publica sublatum puto; sed ipsos etiam sua sibi iconia effinxisse. Sculptoris porro error, etsi in sub-

æratis

æratis numis, uti alibi dixeram, rarior sit; cum tamen in publicis typis inveniatur: quid est, cur adulterinos illos, & clandestinos sculptores non etiam errasse credamus? Fateor tamen, me hunc numum vitiosæ typorum conjugationis certo damnare non audere.

Jam Cimelii nostri numos quosdam in examen adducamus.



IVLIA. PAVLA. AVG. *Julia Paula Augusta.* Caput ejusdem.

FORTV. - - - - FELIC. *Fortuna Felici.* Mulier sedens d. globum, f. Cornu copiæ. *Subæratus.*

Inscriptio hæc, etsi mulieri non sit incongrua, solis tamen fere in Augustorum numis reperitur. Neque in tota collectione Mediobarbi in ullius Augustæ, quam Juliæ Piæ numis binis argenteis, & uno æneo legitur. *Julia numus incrustatus dubius.*


Quod si constaret, numos illos, argenteis adnumeratos, esse bracteatos, & æneum illum esse parvi moduli (quales sæpe existimantur ipsi subærati, quorum argentea pellicula omnis detrita est) facilius de vitio pronuntiari posset; quod in dubio relinquendum est.



IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander Augustus.* Caput ejusdem laureatum.

VENVS. VICTRIX. Venus ſtans, d. pomum, ſ. haſtam puram, ad pedes clypeus. *Subæratus.*

Alexandri ſubæratus excuſabilis. Hæc forma alioqui ad Auguſtas pertinet, atque in multis earum numis offenditur, uti & in numis Mamææ, Matris Alexandri. Quoniam tamen apud Mediobarbum etiam in Titi aureo, & Caracallæ æneo, & argenteo (qualis etiam in Cimelio noſtro) itemque in argenteo Gordiani numo idem iconium comparet; abſolvendum a vitio hunc numum cenſeo. Nam alios illos omnes pelliculatos ſuſpicari, ac vitioſos, quin coram inſpicias, citra temeritatis notam, non licet.



IMP. C. M. AVR. SEV. ALEXAN. P. AVG. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Alexander Pius Auguſtus.* Caput ejusdem laureatum.

VENVS. COELESTIS. mulier ſtans, vultu, ut videtur, barbato, d. neſcio quid flori ſimile ſ. haſtam puram. *Subæratus.*

Ejuſdem vitioſus. Cum *Venus Victrix* Auguſtorum numis inſerta ſit, videtur illic etiam *Venus Cæleſtis* locum habere poſſe. At enim nulli Auguſtorum, ſed Auguſtarum ſoli numi apud Mediobarbum hanc epigraphen oſtendunt; quæ etiam in Sæmiadis numis, figura fere eadem reperitur, viventis adhuc

huc, dum Alexander Cæsar renuntiatus esset. Hunc itaque subæratum numum vitiose consignatum esse censeo.

Nolo hic præterire lepidam in hoc singulari numo aversæ partis figuram, qua Veneris simulacrum, barbato vultu proponitur, quod alibi me vidisse non memini. Exhiberi porro in hoc numo figuram aliam, quam in cæteris numis, in quibus legitur *Venus Cælestis*, id ipsum indicat, quod manu dextra hic Venus attinet, flori non absimile; cum in aliis omnibus rotundum quidpiam, pomum, aut globum, ostentet. Barbatam autem Venerem non modo in Cypro cultam fuisse: testatur *Servius ad Lib. II. Æneid. Est etiam in Cypro simulacrum Barbatæ Veneris.* Additque plura de *Deo* Venere. Verum etiam in Urbe ejuscemodi simulacrum constitutum, & in veneratione fuisse, *Suidas in voce* Ἀφροδίτη perhibet. Narrat is, luem quandam Romæ grassatam esse in fœminas, qua correptis pili omnes exciderent. Εὐξαμένας δὲ τῇ Ἀφροδίτῃ ἀνατριχωθῆναι, τιμῆσαί τε αὐτὴν ἀγάλματι κτένα φέρουσαν, καὶ γένειον ἔχουσαν. *Conceptis autem ad Venerem votis eas pilos recepisse, & eandem simulacro pectinem ferentem, ac barbatam honorasse.* Quid si id, quod in numo nostro dextra gestat Venus, crinium fasciculum repræsentet? *Venus barbata.*

Atque hæc ipsa Veneris Barbatæ, & mulieribus propitiæ, effigies non obscure videtur indicare, eam formam ad fœminæ numum signandum paratam fuisse. Nisi quis malit Venerem Masculam hoc simulacro propositam exhiberi, de qua nihil ulterius dicendum.



Caput VI.

De erronea formarum consignatione in numis sinceris.

HAudquaquam ita proprium erat adulterinorum Monetariorum vitium, inepta illa formarum compositio; ut non interdum ad publicæ monetæ fabros etiam pertineret. Ad exempla propero, certis erratorum indiciis insignia.



HADRIANVS. AVGVSTVS. Caput Hadriani laureatum.

Duæ Capitis formæ ejusdem Imperatoris.

HADRIANVS. AVGVSTVS. Caput ejusdem, minuscula forma. *Est ex ære medii moduli, Musei nostri, securæ vetustatis.*

Sane hic dici aliud nihil potest; nisi per insignem incuriam loco typarii aversæ partis, aliud, ejusdem Imperatoris, capitis iconium arripuisse Monetarium: quod vitium ne per somnium quidem, credo, quisquam excusabit. Simili errore consignatum Veri numisma inter ænea præstantiora adfert cl. Vaillantius.

DIVVS. VERVS. Caput nudum Lucii Veri.

L. VERVS. AVG. ARM. PARTH. MAX. *Lucius Verus Augustus Armeniacus Parthicus Maximus.* Caput ejusdem laurea-


laureatum. Idem inter Numismata præstantiora ex argento hunc adfert.

MARC. OTACIL. SEVERA. AVG. Caput Otaciliæ.

MARC. OTACIL. SEVERA. AVG. Caput idem

Addit porro laudatus Vaillantius. *Caput idem in utraque parte signatum non ad Historiam spectat: Sed Monetariorum incuria, aut urgente necessitate videtur appositum, ut in area nostra moneta aliquando occurrit.*

Alius Cimelii Nostri numus, opposito quodam vitii genere laborans, hic sistitur, qui nullum caput, sed duo aversæ faciei charagmata offert.



S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. *Senatus Populusque Romanus Optimo Principi, Senatus Consulto.* Infra ARAB. ADQVIS. *Arabia Adquisita.* Mulier stans, d. ramum, ad pedes camelus.

S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. S. C. Mars gradiens d. hastam præpilatam, s. tropæum. *Ex ære medii moduli.*

Utraque hæc partis posticæ forma in Trajani numis, cum ejusdem capite composita, trita, & obvia est. Quod si aliud nihil hunc Monetarii male consignantis lapsum, illud abunde aperiret: in utraque numi facie legi S. C. *Senatus Consulto.* Quod in nullo vitii experte numo quisquam ostendat. Geminum huic nostro numum æneum Commodi, duobus aversæ partis typis, sub eodem Commodo occurrentibus, insignem possidet Venetiis Vir Doctissimus Per- *Duo aversa partis typi vitiose compositi &c.*

 illu-

illustris Dominus Apostolus Zeno, Augustissimi Imperatoris Historiographus, & Poëta celeberrimus. Doctissimus Maffeius Libro, & Epistola supra laudatis ita habet, post subæratorum numorum recensionem: *Attamen in aliis quoque, ubi ejusmodi fraudis suspicio nulla, hybridæ consimiles quandoque occurrunt. Domitianum æreum vidi in museo D. de Sorbek, a Tito restitutum, si numo credimus; sed Claudii typus iste fuerat, quem IMP. T. VESP. RESTituit, a monetariis per incogitantiam, & per hallucinationem sociatus. In eadem collectione amplissima, Hadriani, & Faustinæ Numismata inspexi eodem capite, eadem epigraphe, ipsissimo demum typo utrimque percussa, & figurata.*

Caput cum aversæ partis charagmate inscite conjunctum ostendit numus noster ex argento puro, cujus sinceritatem, incisa ora, & scalpro tentata area, periclitatus sum.



IMP. TRAIANO. AVG. GER. DAC. P. M. TR. P. COS. V. P. P. *Imperatori Traiano Augusto Germanico, Dacico, Pontifici Maximo, Tribunitia Potestate, Consuli quintum, Patri Patriæ.* Caput laureatum Traiani.

IMP. XIIII. COS. XIII. CENS. P. P. P. *Imperator Decimum quartum, Consul Decimum tertium, Censor perpetuus, Pater Patriæ.* Pallas stans, d. hastam.

Quis hic non videt, partem aversam Domitiani numis esse restituendam? In nostro quoque Cimelio numus Domitiani habetur, hoc eodem posticæ partis typo signatus.

tus. In Traiani numis nec IMP. XIIII. nec COS. XIII. nec CENS. P. uſpiam legitur; ut nihil dicam, quam belle hic congruerent COS. V. & COS. XIII. item in utraque facie P. P.

Laudatus alibi *Liebeus in Gotha Numaria pag. 255.* Hadriani numum proponit, de quo ſingulari adnotatione cavet: eſſe integre, ac ſincere argenteum.

HADRIANVS. AVGVSTVS. Caput ejusdem laureatum. *Hadriano pars averſa Traiani adſignata.*

COS. V. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO. PRINC. *Conſuli quintum, Patri Patriæ. Senatus Populusq; Romanus optimo Principi.* Romæ figura ſedens, d. victoriolæ ſignum, ſ. haſtam.

Epigraphen hanc Traiani numi ſibi omni jure vendicant. Nam *Optimi Principis* titulus Traiano fere proprius eſt in ære veteri; & COS. V. Traiano convenit, Hadriano convenire nulla ratione poteſt; quippe quem tertium duntaxat Conſulatum iniiſſe Numi, Faſti, & Hiſtoriographi conteſtantur. Porro autem Traiani numum argenteum, a R. P. Pedruſio S. J. e Cimeliarchio Parmenſi vulgatum, Cl. Liebeus repræſentat, in cujus antica parte Traiani caput, in poſtica vero idem, de quo hic actum, typus, eademque epigraphe ſpectatur.

Cum ſolicita quadam ſingularis numi præfatione adfertur Denarius vitioſus *Memoirs de Trevous L'année 1723. Maj. pag. 837.* e gaza Baronis Craſſier.

DOMITIA. AVG. IMP. DOMIT. *Domitia Auguſta, Imperatoris Domitiani* Conjux. Caput Domitiæ.

TR. POT. II. COS. VIIII. DES. X. P. P. *Tribunitia Poteſtate iterum, Conſul nonum, deſignatus decimum, Pater Patriæ.* Pallas galeata ſtans d. haſtam gerens.

Domitiani numis debitum ſphragiſterium, Monetarii errore, ad uxoris numum ſignandum translatum eſt. Sane Mediobarbi collectio proprium huic averſæ parti caput ita exhibet: *Domitiæ adnexus typus, & inſcriptio Domitiano propria.*

IMP.

IMP. CÆS. DOMITIANVS. AVG. Caput Domitiani.

TR. POT. II. COS. VIIII. DES. X. P. P. Figura galeata d. hastam f. clypeum.

Neque vero illum Domitiæ numum ita quispiam excusare contendat; ut, cum adversæ partis inscriptio in *Imperatoris Domitiani* nomen desinat, in aversa ejusdem tituli continuati existimentur; atque adeo totam numi epigraphen, in utraque numi facie signatam, tanquam unam continuatam, legendam esse: *Domitia Augusta, Conjux Domitiani Imperatoris, Tribunitia potestate iterum, Consulis nonum, designati decimum, Patris Patriæ.* Contra vero est, in Augustarum numis, ubi Augusti mentio in obliquo tantum fit (ut in hujus numi adversa parte facta est) plane insolitum esse, ut hoc modo in altera parte tituli, Augusto competentes, continuati exhibeantur; etsi in Imperatorum numis, qui eorundem capite signati sunt, id frequenter conspiciatur. Quam vellem hujus Denarii argentum scalpro explorare!

Capitum diversorum consignatio insolita. Nunc ad binos Cimeliarchii Parmensis numos æneos medii moduli me converto, quos omnibus titulis antiquos, & iconio publico signatos cum agnoscat R. P. Piovene S. J. supra laudatus, a vitio, præposteræ typorum combinationis vindicandos censet. Primum ita refert.

IMP. CÆS. VESPASIAN. AVG. COS. IIII. P. P. *Imperator Cæsar Vespasianus Augustus, Consul quartum, Pater Patriæ.* Caput Vespasiani laureatum.

CÆSAR. DIVI. VESP. F. DOMITIANVS. COS. VII. *Cæsar Divi Vespasiani Filius Domitianus, Consul septimum.* Caput Domitiani.

Alterius hæc est inscriptio:

IMP. T. CÆS. VESP. AVG. P. M. TR P. COS. VIII. *Imperator Titus Cæsar Vespasianus Augustus, Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate, Consul octavum.* Caput Titi cum corona radiata.

IMP.

IMP. CÆS. DOMIT. GERM. COS. XIIII. CENS. PER. P. P. *Imperator Cæsar Domitianus, Germanicus, Consul decimum quartum, Censor perpetuus, Pater Patriæ.* Caput Domitiani cum corona radiata.

Aperte in his numis typorum combinatio cum chronologiæ certis quibusdam statutis pugnare videtur. Numorum quippe, & Scriptorum veterum, Fastorumque consensu decisum est: Vespasiano Consule quartum, Domitianum Consulem primum, designatum iterum fuisse. Pariter extra dubium alterius numi erratum esse videtur; cum Tito Consule octavum, Domitianus Collega sextum Consulatum adierit.

Vitiosum non esse Vir doctiss. contendit.

Nihil tamen hic a Monetario peccatum, sed ex proposito ita consignatos fuisse hos numos, id ingenioso invento expedire connititur *R. P. Piovene Tomo IX. pag. 50.* qua in re ducem secutus est Doctissimum Harduinum Collegam, *in Historia Aug. ex Numis antiquis restituta.* Ubi similes Flaviorum numos adfert Harduinus, atque unum Traiani, cum capite Plotinæ, & Hadriani: quem facile credo vitiosum non esse; cum sit *ex ære maximo*, & Hadriani adoptio ope Plotinæ aut facta, aut ficta sit: teste Spartiano, & Dione.

Illius vero mentem, si recte assecutus sum, latino sermone paucis exponam. Hosce numos non Vespasiani, aut Titi, sed Domitiani temporibus cusos existimat: Consulatus porro Vespasiani, & in altero, Titi, non consignatos esse tamquam synchronos insculpto Consulatui Domitiani, quando numeri minime cohærent; verum aut revocatum esse hoc numo in memoriam beneficium quoddam, a Domitiano obtentum eo tempore, cui numerus, alterius Consulatui adjectus, congruit: aut magnum aliud quidpiam, eo anno, Domitiano obtigisse. Atque ita priorem numum percussum esse eo anno, quo Domitianus Consul septimum processisset; in altera vero numi parte signatum

esse caput Vespasiani Patris, cum epigraphe COS. IIII. in grati animi monumentum: quod eo anno Domitianus volente Patre primum Consul, & designatus iterum fuisset. In altero numo Consulatum XIIII. Domitiani, denotare tempus, quo numus signatus sit: in altera vero illius numi parte repræsentari Caput Titi fratris, Consulis VIII. memoriæ causa; quod Titus eo anno, quo Consulatum octavum suscepisset, e vivis ereptus, Imperium Domitiano aperuerit.

Atque ingeniosam hanc interpretandi rationem, existimat idem vir eruditissimus, aperire novam quandam viam, quæ ad evolvenda alia plura ejuscemodi numorum mysteria deducat. Nam præter alium Gazæ Parmensis numum, similem priori e duobus relato, sed ex ære magno; alterum adhuc magni moduli in eodem Thesauro reperiri indicat, qui caput Vespasiani COS. VII. in adversa, & caput Titi COS. II. in aversa parte exhibeat: quem simili quadam expositione a vitii suspicione purgandum censet.

Excusatio dificultate non caret.

Laudant viri ingenium Commentariorum Trevoltiensium Scriptores *L'année 1725. Août: pag. 1468. & seqq.* Laudo & ego; ita tamen, ut mihi a viri Doctissimi hac saltem sententia discedendi veniam exorem. Ipsi Trevoltienses dificultatis aliquid obmovent: Non legi in his numis solitos illos, in æreis numis Romanis, characteres S. C. Hæc vero responsio redditur: Numos hos peculiaris memoriæ causa, non ad currentis monetæ usum, Augustorum jussu singulari, ita signatos fuisse.

Asseruntur hæc omnia, non comprobantur. Asserti hujus fidem, bene multa sunt, quæ, si minus omnem extinguere, multum certe elevare possunt. Nam primum illa de omissis notis S. C. objectio haud ita facile diflatur. Numi ænei Imperatorum, magni, & medii moduli, Romæ sæculis primis duobus signati, quales isti habentur, constanter S. C. inscriptum præ se ferunt: si unicum, quod ego

ego meminerim, Agrippinæ numum demas, in quo tamen habetur S. P. Q. R. Nam cum Imperatores auream, & argenteam pecuniam ſignandam ſibi reſervaſſent; æneæ cudendæ jus Senatui, Populoque reliquere. Cujus rei indicium ipſi numi argentei faciunt; cum Denarii quidam Conſulares τὸ S. C. vel Ex. S. C. exhibeant, quod in nullo Auguſtorum argenteo, ſolitæ formæ, numo, quod ſciam, reperitur.

In æneis vero, præſertim magni, & medii moduli, numis adeo ſolicite S. C. inſculpi curarunt Romani; ut etiam in obvio illo, & vitii omnis certe experte numo magni æris, qui ex una parte caput Anronini Pii, ex altera M. Aurelii Cæſaris refert, atque adeo averſæ partis ſolito quodam ſymbolo caret; tamen literas S. C. ſub capite M. Aurelii ſignandas curaverint. Cur non idem in iſtis numis factum cernitur? Nempe, quemadmodum ſuperius relati a me numi, quia duos capitis typos mendoſe complectuntur, omni nota S.C. carent; dum contra Traiani numus, quia duobus averſæ faciei iconiis male compoſitus eſt, utrinque S. C. oſtentat. Ita ſane cum his Domitiani numis factum exiſtimo.

At hi peculiaris memoriæ ergo, Domitiani juſſu, procuſi ſunt? Verum ſi ita; ecquid ex auro, aut argento, aut ſaltem ex ære maximi moduli hæc numiſmata non ſunt efformata? Nam in æneis maximi moduli numiſmatis, ſeu miſſilibus notam S. C. omiſſam videre licet. Si autem minore modulo, cur non characteribus ſolitis ſignata? *Effugiis occurritur.*

Deinde cur Domitianus *Divi* Filius: neque tamen Veſpaſianus, aut Titus, jam conſecrati, *Divi* titulo honorantur? Cur ad indicandum memoriæ cauſa certum annum, Conſulatus, ac non potius TRIB. POT. numeri, vel utriusque adhibiti? cum præſertim in numis Veſpaſianus COS. IIII. duobus annis ſignandus pro more fuerit; quippe qui annum unum inter quartum, & quintum Conſula-

ſulatum, ſe ab hoc munere abſtinuerit: atque adeo Veſpaſianus COS. IIII. notam ſingularis anni certam in numo non faceret.

Porro cur mirabiles hos numos anno demum Conſulatus ſui VII. ac XIIII. & non aliis percuti fecit Domitianus? Quid exſculpi alicunde poterit, ad liberandum vitio numum illum, qui caput Veſpaſiani COS. VII. cum capite Titi COS. II. connectit? cur enim Veſpaſianus Auguſtus memoriam Filii ſui, viventis, & ante annos quatuor Conſulis iterum, inſueto hoc momumento inſtauret?

Cur vitii damnanda hac capitum conſignatio.

Denique ſi aliud nihil, id me iſthic ad damnandos errati Monetarios adduceret: dari exempla certa vitioſarum ejusmodi combinationum in ſinceris etiam numis; dari item ſigna probabilia, id in his quoque numis admiſſum eſſe; contra vero expoſitionem illam nullo exemplo, nulla veteris monumenti auctoritate, ſed ſolo ingenio niti: præterea eosdem, qui hic compoſiti ſunt, capitis typos in aliis ſinceris numis haberi, cum averſæ partis uſitato aliquo iconio conjunctos. Quod deinde R. P. Piovene exiſtimet, id ipſum, quod ſimiles numi ſub Domitiano duntaxat proferantur, indicio eſſe: ex propoſito, non per errorem, ita ſignatos fuiſſe; cum alioqui aliorum etiam temporum Monetariis id accidiſſe animadverteremus. Reſpondeo: aliis etiam temporibus id accidiſſe, uti Traiani, Hadriani, Lucii Veri, Commodi, Philippi; quorum exempla certa hujus capitis initio adduxi. Deinde ſi frequentiores id genus numi, Flaviorum temporibus percuſſi, ſe offerant, quam aliis, id pro me potius facere cenſeo; cum facilius credi poſſit paucis, quam aliis pluribus annis Publicæ Monetæ fabros tanta negligentia fuiſſe, ut ſæpius laberentur: ad quos frequentes lapſus ipſa typorum varietas, & copia, ſub Veſpaſiano, Tito, ac Domitiano adhibitorum, occaſionem præbuerit.

Binos

Binos numos, argenteum unum, alterum aureum, qui typorum inepta conjunctione insignes in collectione Mediobarbi recensentur, ad hujus capitis finem rejeci, propterea; quod dubitem, an subærati, an sinceri sint? quando in laudata collectione hoc discrimen non adnotatur. *Numi certe vitiosi, incertum, an subærati.*

Argenteus ita habet:

SABINA. AVGVSTA. Caput ejusdem.

INDVLGENTIA. AVG. P. P. COS. III. *Indulgentia Augusti, Patris Patriæ, Consulis tertium.* Figura muliebris sedens, d. pateram f. hastam per transversum.

Hic aversæ partis typus sumptus est e forma argentei numi Hadriani, qui ab eodem Mediobarbo refertur, cum capitis epigraphe HADRIANVS. AVGVSTVS. Neque ullius Augustæ numo, apud laudatum auctorem, INDVLGENTIA. AVG. multo minus cum his titulis P. P. COS. III. numo fœminæ minime competentibus, adscribitur.

Numi alterius, aurei, hæc est epigraphe:

AELIA. EVDOXIA. AVG. & in alio simili: AELIA. EVDOCIA. AVG.

IMP. XXXXII. COS. XVII. P. P. CONOB. *Imperator quadragesimum secundum, Consul decimum septimum, Pater Patriæ.* Victoria sedens, d. globum, cum Crucis signo, f. Scipionem.

Patet, aversæ partis typarium ad Augustum aliquem, & quidem ad Thedosium Juniorem pertinere, Eudoxiæ maritum, in cujus aureo itidem numo exhibetur. Clarissimus Vaillantius præterea in libro, cui titulus: *Numismata Imperatorum Romanorum præstantiora &c. Tom. II. Edit Paris. 1692.* argenteos numos refert, quorum aversas partes esse per errorem cum capitis typo consignatas, ipse monuit. Ita Traiani numi pars aversa S. P. Q. R. OPTIMO. PRINCIPI. *Mulier stans, d. ramum f. Cornu copiæ,* cum Nervæ capite comparet. Severi caput, cum Getæ iconio: PRINC.

 IVVENT.

IVVENT. COS. *Tres figuræ decurrentes.* Vice versa Getæ caput, cum aversa parte Severo debita: RESTITVTORI VRBIS. Gordiani Pii Caput, cum posticæ partis inscriptione PVDICITIA. AVG. Tranquillinæ subducta. Ubi quidem Vaillantius ipsam Tranquillinam referri putat; sed conjectura mera est. Deinde cum capite Gallieni, typus pueri, capræ insidentis: IOVI. CRESCENTI. qui ad Saloninum filium spectat. Saloninæ vultus, cum altera numi parte inscripta: ANNONA. AVG. quæ epigraphe Imperatorum Numis propria esse videtur: & si qua sunt alia. Utinam! qui solido ex argento, quique pelliculati fuissent Numi, explorasset, ac monuisset Vaillantius; atque id porro facerent omnes, qui argenteos, aureosque veterum Numos recensent.

Idem ut in Albini duobus numis experiretur *R. P. Panelius S. J.* magnopere optarem. Numos illos in Dissertatione sua, quam referunt Diarii Trevoltiensis celeberrimi Scriptores, *an. 1735. mense Augusto, pag. 1367.* tamquam argenteos producit, quorum inscriptio ita habet:

D. CLODIVS. ALBINVS. CAES. Caput nudum Albini.

P. M. TR. P. XVII IMP. VIII. COS. VII. Dea sedens &c.

Negat R. P. Panelius, hic vitii quidquam, male combinatis typariis, intercessisse, frivolumque id effugium appellat. Censet vero, hoc aversæ partis typo, qui ad Commodum citra dubium pertinet, indicari annum Commodi Augusti ultimum, quo Albinus Cæsar renunciatus fuerit.

Verum, si ita ejuscemodi numos exponere liceat, e numo Lucii Veri (quem superiore capite exhibui, facie aversa insignem, quæ ad Commodi annum Imperii nonum certo spectat) conficere jam aliquis poterit: Lucium Verum eo anno Commodi Collegam fuisse. En lepidam sequelam, quæ satis ægre faciat omnibus Historicorum veterum fautoribus.

Neque

Neque ex vano numos hosce subæratos esse suspicor; cum geminum plane alterutri horum, aut omnino alterutrum Doctissimus P. Harduinus referat in Notis ad Plinii *Lib. XI. cap. 71.* ac diserte numum illum esse *Subæratum* admoneat, quem ex Museo Dñi Abbatis Fauvel deprompserat, e quo Museo suorum quoque numorum alterum R. P. Panelius produxit.

Caput VII.

De quibusdam numis sinceris, qui vitii suspicionem injiciunt; neque tamen certo damnari possunt.

Non sum adeo iniquus in veteres Monetarios judex; ut sine discrimine, quidquid se in numis, aut ab Historiographis alienum, aut in Re Publica Numaria peregrinum obtulerit, continuo vitii damnandum censeam. Sunt incerta quædam in sinceris perinde, atque adulterinis numis, dubiique in utramvis partem argumenti; de quorum nonnullis Terentianum illud non inepte pronunties: *Incerta hæc, si tu postules ratione certa facere, nihilo plus agas, quam si des operam, ut cum ratione insanias.* *Monetarii veteres cavte arguendi.*

Rigidiuscula mihi videtur in arguendis Monetariis sententia quædam Eruditissimi Viri *A. R. P. Pagii in Criticis ad Annales Baronii ad annum J. C. 253. V. C. 1006. num. 13.* Recenset illic Scriptores veteres pene omnes, qui Gallo, ac Volusiano Augustis pauciores, quam numi, Imperii annos tribuunt. Ita Eutropius, Victor, Eusebius *Lib. VII. hist. cap. 18.* Orosius *Lib. VII. cap. 18.* non completo biennio Imperii eosdem mortem oppetiisse perhibent. Ipse porro Eusebius in Chronico, item Cassiodorus, & S. Epiphanius eisdem duos Imperii annos, & quatuor menses assignant: Pomponius Lætus tertium annum, nempe non completum. *Pagii V. Cl. opinio de quibusdam numis sinceris.*

tum. Dexippus vero, scriptor Gallo, & Volusiano Synchronus, *a Georgio Syncello pag. 366.* relatus, ita de iisdem: Οἱ καὶ βασιλεύουσι, κατὰ Δέξιππον, μῆνας ιη. *Qui regnabant, juxta Dexippum, menses duodeviginti.* Hi tamen numeri ab aliis immutati videntur; cum Zonaras utrumque Imperatorem occisum referat: *Postquam biennium, & Menses octo imperasset.*


Deinde *Num. 14.* ita pergit doctissimus Criticus: *Quacunque a Baronio in Annal. a Cointio, in Annal. Eccles. Francorum, a Petavio lib. 11. de doctrina temporum afferuntur, ad ostendendum, Gallum, & Volusianum quartam Tribunitiam Potestatem inchoasse, ideoque & quartum Imperii annum, licet insolubilia videantur, facilem tamen explicationem habent. Producunt illi varia utriusque Imperatoris numismata, in quibus uterque dicitur P. M. TR. P. III. COS. II. vel P. M. TR. P. IIII. COS. II. & quod antiquariis observatum, hujusmodi numismata, in Cimeliis Principum passim obvia, eaque indubitata antiquitatis, & fidei. Verum de Philippo Imp. loquentes diximus: in aversa parte numi alicujus Imp. inscriptionem quandoque legi alteri Imperatori convenientem, non vero illi, qui in antica parte repræsentatur. Nunc addo, id sæpe etiam contigisse Monetariorum errore, uti in casu, de quo agitur. Pars enim illa aversa numorum præfatorum Galli, & Volusiani referenda vel ad Gordianum Juniorem, vel ad Philippum etiam Jun. qui cum COS. II. tertiam, & quartam TR. POT. junxere.*

Numero sequente 15. hæc stabilire contendit numo Galli Imp., quem doctissimus Begerus in Thesauro Palatino vulgavit, in quo visitur templum hexastylon cum hac epigraphe: SAECVLVM. NOVVM. quæ ad Philippum pertinet.

Pariter Philippi Jun. numum producit *ad annum J. C. 249. V. C. 1002.* ita inscriptum: PONTIFEX. MAX. TR. P. V. COS. III. quæ epigraphe ad Philippum Patrem referenda est. Denique *ad annum V. C. 856. J. C. 103.* ita paucis men-

mentem aperit: *Hæc mea de hujusmodi numis conjectura: omnes numi latini, in quibus anni TRIB. POT. annos Imperii excedunt, aut mendose descripti, aut a monetariis in iis cudendis erratum, aut anni unius Imperatoris alteri attributi, ut de Gallo, & Volusiano loquens ostendi. Quoad numos Græcos, vel idem dicendum, ac de Latinis, in quibus anni TRIB. POT. annos Imperii superant; vel existimandum annos illos non ad Imperium, sed ad aliud nobis incognitum referri.*

Liceat hic mihi in aliquo a Viri eruditissimi opinione discedere. De numis Galli, & Volusiani, qui TRIB. POT. IIII. ostentant, vitiose consignatos esse, haud ita libere dixero; propterea, quod observatum sit: *esse hujusmodi numismata in Cimeliis Principum passim obvia, eaque indubitatæ antiquitatis, & fidei.* Idem de Philippi Jun. numis, qui PONT. MAX. TR. P. V. COS III. exhibent, sentio. Certe in ejusdem numis etiam TRIB. POT. VI. legere est, quorum tres argenteos, optimæ notæ, & ad Philippum Filium certo spectantes in unico Museo nostro videre est. Unum ex his, etiam quoad aversæ partis typum rarum, & nondum, quod sciam, editum, hic exhibeo. *Pugnantia adversus Cl. Pagii opinionem.*



IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. *Imperator Marcus Julius Philippus Augustus.* Caput Philippi Junioris cum corona radiata.

P. M. TR. P. VI. COS. P. P. *Pontifex Maximus, Tribunitia Potestate Sextum, Consul, Pater Patriæ.* Leo gradiens, capite radiato.

Neque cum Patino dicere juvat: Interdum in Philipporum numis faciem unius, loco alterius signatam videri, atque ita TRIB. POT. annos, Patri debitos, ad Filium transmigrasse. Nam etsi in Coloniarum numis id nonnumquam acciderit, ut distingui amborum vultus exacte non possint; in Romanis tamen, quales & nostri argentei, manifesta est vultus, & ætatis distinctio. Illud dificilius, quod e numis Viminacensibus, contra TRIB. POT. V. & VI. Philippo Filio tribuendam, obmoveri posset. Cum enim in numis Gordiani, ejusdem Coloniæ annus Quintus, idemque in Philippi numis offendatur; certum est, eo anno, sublato Gordiano, Philippum Imperium obtinuisse. Deinde, quoniam annus Decimus Viminacensis urbis in Philipporum numis postremum, & idem primum in Decii numis comparet; extra dubium est, intra hos sex annos, non expletos, omne Philipporum Imperium contineri. Porro autem in Viminacensibus numis Philippus Jun. anno V. Coloniæ, & VI. & VII. tantum Cæsar appellatur, atque anno demum VIII. IX. & X. IMP. AVG. inscribitur. In Appendicula ad numos Coloniarum, Philippi Jun. numum Sinopensem adduximus, cujus numericæ notæ annum Philipporum ultimum indicabant; & Philippus tamen illic nudo capite, ac tantum *Cæsar*, exhibetur. Atque in hoc quidem casu haud ægre crediderim, minus peritum hujus Ponticæ Coloniæ Monetarium novum aversæ faciei iconium, ad vetus Capitis typarium adhibuisse.

Quare non videtur eidem TRIB. POT. VI. convenire, quæ Potestas, non nisi cum Imperii, & Augustalis Tituli communione tribui solebat.

Id solum dici hic fortasse posset: Philippo Filio TRIB. POT. una cum Cæsaris titulo a Patre, præter morem, ante Imperii Societatem datam esse. Neque tamen etiam illico in Pontificatus Maximi Collegam assumptum dicere necesse est; quando is titulus in Philippi Filii numis ante TRIB. POT. IIII. non inventus est.

Haud

Haud absimilis nodus in Gallieni numis sese offert, in quibus apud Bandurium habetur: TRIB. POT. XVI. dum tamen Scriptores eidem Imperii annos, etiam qui plurimos, non nisi quatuordecim attribuunt, iis quoque, quos cum Patre Valeriano Imperavit, computatis. Postumum pariter famosus ille Trebellius Pollio septem duntaxat annis Imperium tenuisse refert; Numi tamen TRIB. POT. IX. & X. præ se ferunt.

Hos tamen ego, similesque *frequentes* numos, consignati per errorem, cum alieno capite, aversæ partis typarii damnare nolim. Numi siquidem, quos ita vitiose combinatos tenemus, sinceri præsertim, non nisi singulares, aut paucissimi, ejusdem omnino formæ, esse solent: neque satis credibile videtur, adeo insignes errores, non antea, quam tam late in publicum proferrentur, ab iis, quorum intererat, cognitos, ac suppressos fuisse. *Res in medio relinquitur.*

Historicorum consensui, quod hæc numismata refragentur, non idcirco vitii continuo convincuntur. Quam enim bonis Scriptoribus misere destituta sint hæc post Gordianum tempora, omnes queruntur. Præter Dexippi verba (quæ, quod ad numeros attinet, dubia reddit, & Zonaræ narratio, & scribarum in numeris transcribendis frequentes lapsus) nihil est, quod magnam fidem mereatur. Sunt ex adverso numi sinceri, & comprobatæ vetustatis, totidem monumenta, certiora ipsis Historicorum Manuscriptis, publica, synchrona; quibus, si certus Monetarii lapsus exhiberi non potest, sique multi, & cum variis aversæ partis typis obvii sint, nescio, an non major fides habenda sit, quam declamatoriis fere horum temporum Historiographis.

Quam facile ab his sileri, aut etiam ignorari poterant multa: ut si Gallus, & Volusianus uno, alterove anno antea, quam Romæ Augusti agnoscerentur, sibi Imperatoris AVG. & TRIB. POT. titulos arrogassent, atque ab eo

tempore annos TRIB. POT. in numis consignari voluissent. Quemadmodum Elagabalus annos TRIB. POT. in numis a morte Caracallæ deduxit, exclusis Macrini, tanquam Tyranni, temporibus: atque ita TRIB. POT. V. in numis Elagabali conciliatur; suffragante *Dione Lib. LXXVIII.* Quid si ab ipso Decio in Collegas fuissent assumpti Gallus, & Volusianus, aut a Senatu dati; ut ingruentibus undequaque hostibus, ac tumultibus melius occurreretur? Quam facile etiam ab Historicis illis omitti poterat, siquid immutatum tum fuisset, antehac, primis duobus Augustorum sæculis, constanter observatum; uti si quis Augustus Collegam in Pontificatu Maximo, quem olim unicus gerebat, sibi assumpsisset. Tot sane sinceros illos numos vitii omnes arguere, durum videtur.

Quid igitur, si me quis roget, Historicos hic omnes damnabis? non ausim. At Monetarios veteres absolves? ne id quidem. Nempe ergo, tot verba faciendo, nihil dices denique? Id mihi in præsenti satis dictum esto: in Galli, & Volusiani, ac Philippi Jun. & aliorum *frequentibus* illis numis certum extare veteris Monetarii lapsum, non esse pronuntiandum. De reliquo his quidem de numis silendum puto, dum plura, ac certiora eruantur, atque illo Plutarchi dicto me interea solabor Περὶ παίδων ἀγωγῆς. Σοφὸν γὰρ εὔκαιρος σιγὴ καὶ παντὸς λόγου κρεῖττον. *Sapientis est, opportune silere, & omni sermone præstantius.*

Alii sinceri numi, qui scrupulum injiciunt. Sunt & alii sinceri numi, insolita formarum compositione signati, quos mirandum potius, quam damnandum puto. Talis est æneus magni moduli, Cimelii nostri.



FAV-

FAVSTINA. AV - - - - AVG. PII. F. *Faustina Augusta, Augusti Pii Filia.* Caput Faustinæ Junioris.

INDVLGENTIA. AVG. S. C. Mulier sedens, d. pateram protendit, s. latus fulcit.

Numi bene multi, qui hanc epigraphen apud Mediobarbum præ se ferunt, omnes Augustorum vultibus insignes sunt; unicus argenteus, de vitio, uti ad finem capitis præcedentis dixeram, merito suspectus, Sabinæ inscriptus, hic nihil momenti habet. Quare & numus hic dubium aliquod vitiosæ combinationis ingerit. Quod vero me præter hujus epigraphes insolentiam perturbat, est fabrica numi, certo antiqui, rudiuscula, quæ ab Latinis hujus temporis numis, qui S. C. præ se ferunt, non parum abludat.

Alium ex ære, magni itidem moduli *doctissimus Haym* exhibet. *Volume I. pag. 241.* quem certæ, integræque vetustatis esse commemorat.

TI. CÆSAR. DIVI. AVG. F. AVGVST. IMP. *Tiberius Cæsar Divi Augusti Filius, Augustus Imperator.* Caput nudum Tiberii. *Tiberii & Agrippinæ Caput.*

AGRIPPINA. M. F. MAT. C. CAESARIS. AVGVSTI. *Agrippina Marci Filia, Mater Caji Cæsaris Augusti.* Caput Agrippinæ.

Suspicionem erroneæ, aut nequioris combinationis movet Haymius; quod Agrippinam inter, ac Tiberium pertinaces inimicitiæ intercessissent. Neque vero ullus Agrippinæ numus extat, quem vivente Tiberio percussum esse constaret. Inscriptio etiam utriusque capitis plane eadem, cum aliis aversæ partis typis habetur apud Mediobarbum.

Rem dubiam ita expedire nititur Haymius, ut Caji Augusti jussu hunc numum signatum arbitretur, in memoriam Tiberii, & Agrippinæ; quod ab hac vitam, ab illo Imperium accepisset. Satis acuta hæc quidem; sed non satis cohærentia cum solitis numorum monumentis.

Acute itidem eruditus Seguinus exponit numum argenteum, qui etiam in Cimelio nostro integer, & sincerus habetur.

Figura obvia cum insolita epigraphe.

IMP. CAES. HELV. PERTIN. AVG. *Imperator Cæsar Helvius Pertinax Augustus.* Caput laureatum Pertinacis.

LIBERATIS. CIVIBVS. mulier stans, d. tesseram frumentariam, f. Cornu copiæ.

Nihil magis obvium in numis hac figura, cui perpetuo, quod ego viderim, adscriptum est: LIBERALITAS. AVG. Laudatus Seguinus conjecturam facit: ob procuratam solicite, & liberaliter distributam a Pertinace annonam, cum summa ejus dificultas esset, quasi liberatos ab exitio cives prædicari: vel post sublatum Commodum, liberalitate Pertinacis restitutam veluti libertatem cives gratulari. Hæc tamen omnem mihi scrupulum de aliquo sculptoris errore non eximunt.

Tituli ejusdem repetitio.

Admiratione dignos Carini, & Numeriani numos referunt *Memoirs de Trevoux l'année 1728. Avril. pag. 621.* &c. insolita capitis, & aversæ partis inscriptione:

IMP. C. M. AVR. CARINVS. NOB. C. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Carinus Nobilissimus Cæsar.* Caput ejusdem.

VIRTVS. AVGG. *Virtus Augustorum.* Duæ figuræ sago vestitæ stantes, d. globum, f. hastam utraque tenet. *Abbatis Fauvel.*

Similis plane Numeriani numus in Regis Galliarum Cimeliarchio habetur; atque ibidem Græca utriusque numismata ita inscripta: A. K. M. A. KAPINOC. K. Ἀυτοκράτωρ Καῖσαρ Μάρκος Ἀυρήλιος Καρῖνος Καῖσαρ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Carinus Cæsar.* Et alter Numeriani. A. K. M. A. NOYMEPIANOC. K.

Insolens hæc *Cæsarei* tituli repetitio sculptoris lapsui tribui posset, nisi tot, ac tam diversis in numis extaret. Quid vero sibi ea res velit, divertunt Antiquariorum sententiæ. Anonymus in laudatis Diariis existimat a

Caro

Caro Patre, Carino, & Numeriano filiis parem, quasi Augustis, potestatem tum attributam esse, cum alteri eorum Orientem, Occidentem alteri regendum committeret, ipse in Persas profectus. Indicare id videtur titulus IMPERATOR. & repetitum τὸ CAESAR. item in aversa parte VIRTVS. AVGG. id est: Augusti, & Cæsaris cum Potestate Augusti: quæ eadem inscriptio, ac typus in Cari numis reperitur.

Pro firmamento conjecturæ suæ adfert Anonymus Carini aureum numisma e Gaza Regia: M. AVR. CARINVS. P. F. NOB. CAES. *Marcus Aurelius Carinus Pius felix, Nobilissimus Cæsar.* *Erudita ejus repetitionis excusatio.*

VICTORIA. AVGG.

Ubi eruditus Anonymus animadvertit τὸ PIVS. FELIX. solis illis, qui Imperassent, aut in Gubernii Communionem venissent, in numis adsignatum esse. Fœminas etiam, quæ partem curarum Imperii sustinerent, his titulis ornatas esse contendit. Loquuntur hæc numi Juliæ Severi, in quibus illa PIA. FELIX. inscribitur: atque in iisdem alia sæpe Juliæ attribuuntur, quæ Imperatoribus propria videntur. Paria fere in Severinæ numis habentur, quæ etiam illic PIA. FELIX. compellata legitur. Prolabente Imperio Ælia Eudoxia, Galla Placidia, & Justa Grata Honoria PIA. FELIX. inscriptæ leguntur, in quarum numis etiam aversæ partis typi habentur, Imperantibus congruentes.

Obstant porro opinioni huic exempla alia. Nam Alexandri Mater Mamæa magnam certe potestatem in Imperio exercebat, idque numi item contestantur; similes etiam Saloninæ numos æneos non paucos parvæ formæ (nisi forte detriti subærati sint) ipse Anonymus producit: neque tamen in Mamææ, aut Saloninæ monetis τὸ PIA. FELIX. reperitur. *Obstant nonnulla laudatæ excusationi.*

Quare

Quare Doctissimus *P. Harduinus memoirs de Trevoux l'année 1728. Aout. pag. 1461.* τὸ PIVS. FELIX. cum hic, tum alibi familiarum cognomina esse censet, quemadmodum & illa CAESAR. & AVGVSTVS Ei rei argumenta dicit non levia, ipsis e numis deprompta, quæ, qui volet, loco indicato legat. Unum hic, quem inter cæteros adducit, numum præterire nolo, qui suspectis de vitio accenseri potest. *Mai l'année 1729.*

A. VITELLIVS. GERM. IMP. AVG. *Aulus Vitellius Germanicus Imperator Augustus.*

IMPERATOR. GERMANICVS. Imperator stans in veste militari.

Hic *Germanici* vocabulum, capiti adscriptum, cognomen Familiæ esse censet P. Harduinus; ne idem inepte repetatur. Non incongrue tamen hic videtur dici posse: Vitellium jam antea *Imperatorem Germanicum* a militibus salutatum, nova victoria obtenta, de integro Imperatorem acclamatum, atque in ejus rei memoriam hunc numum ita signatum fuisse. Præterea Genealogiæ, a R. P. Harduino e numis deductæ, non dum eruditis plerisque probatæ sunt.

De Constantis Juniore numo. Celeberrimus P. Bandurius numum, in quo insculptum legitur: CONSTANS. IVN. *Constans Junior*, de antiquitate suspectum, aut falsarii manu adulteratum arbitratur; haud alia, ut opinor, de causa, quam quod de altero quodam Constante, qui Cæsar fuisset vivente Constante, Constantini Magni filio, Historici omnes sileant. Verum detecta jam e numis tenemus alia, quæ Scriptorum Veterum silentium feliciter compensant. Porro iste parvi æris numus, ita inscriptus: CONSTANS. IVN. NOB. C. habetur in Cimelio nostro integerrimus, æque certo antiquus, atque alius nullus, neque ullo recentioris manus adulterino scalpro violatus. Quod si vitii aliquid in hoc numo suspicari liceat, in sculptorem typarii eam suspicionem derivari

vari mallem ; id quod his temporibus exemplo non caret. Cum enim per id tempus sæpius hæc insculperentur :

CONSTANTIVS. IVN. NOB. C. & CONSTANTINVS. IVN. NOB. C. facile erat , ut memoria lapsus sculptor , etiam ad nomen CONSTANS. τὸ IVN. adjungeret, aut loco Constantii , vel Constantini , quod habebat præscriptum nomen , Constantem formæ insculperet. Sed hæc incerta.

Decantatus ille Romuli, Maxentii Filii, numus Antiquariorum diversas subiit sententias. *Romuli, & M. Aurelii Numus.*

DIVO. ROMVLO. NVBIS. CONS.

Ubi alii legendum putant : *Nostræ Urbis bis Consuli*, vel *Conservatori* : alii sculptorem , R. litera omissa lapsum censentes , legunt : *Nostræ VRBIS. Consuli* vel *Conservatori*. Singulare est numisma æris magni R. P. Chamillart S. J. quod velut integerrimum, ac sincerissimum *R. P. Harduinus in Historia Augusta* produxit. Ita habet :

M. ANTONINVS. AVG. TR. P. XXIII. Capite laureato.

AVG. COS. VII. AVG. COS. IIII. S. C. Effigies Pietatis cum hasta pura, & patera.

Hic sane , etsi inscriptio sit omnino insolita , formæ sculptorem lapsus arguere non licet ; quando is error nimium crassus , atque ab inscriptionis alicujus , quæ quidem ex aliis numis obtendi possit, similitudine nimium diversus esset. Jam vero , etsi τὸ AVG. COS. IIII. ad Antoninum Pium referri possit, qui M. Aurelium adoptavit , & COS. IIII. fuit ; illud tamen AVG. COS. VII. alio sane referri non potest , quam ad Domitiani , vel Titi memoriam. Laudatus Harduinus Titi memoriam instauratam censet, cujus Filiam Juliam , Nervæ conjugem dat ; eorum Filium L. Ælium facit , Ælii vero Antoninum Pium , Antonini M. Aurelium. Verum hæc Genealogia , pluribus firmamentis eget. Quid si Domitiani COS. VII. memoria hic signata est,

qui septimo Consulatu Augustus renunciatus est? idque propterea fortasse, quod ob cognationis nexum cum gente Flavia M. Aurelius a Pio adoptatus sit. Nam & M. Aurelii Mater, & Domitiani uxor Domitia fuit: si *Capitolino* fides *in Vita M. Antonini*. Græcum porro numisma unum, & alterum, de vitio suspectum protuli in Appendicula ad Numos urbium Græce loquentium, quos ibi quærat, qui se operæ pretium facturum putabit. Nam mihi quidem certe contrahenda sunt vela, inter dubia, & lites nimium diu fluctuanti. Sane super his, aliisque ejuscemodi numis certi aliud nihil pronuntiare adhuc ausim, nisi Horatianum illud: *Lib. I. Epist. 1.*

Est quodam prodire tenus, si non datur ultra.

CAPUT VIII. ET ULTIMUM.

De aliis Monetariorum erratis, rei literariæ minus obnoxiis.

NOn omnis Monetariorum veterum culpa componendis, quæ non congruunt typariis, aut iisdem vitiose sculpendis definitur. Alia detecta sunt in monetis veteribus vitia, quæ minus quidem, quam frequentiora illa, in rem literariam periculi invehant; paucis tamen delibanda, ne quid, ad materiam præfixam faciens, omnino neglectum videatur.

Numi Recusi. Vitii speciem quandam objiciunt oculis numi *Recusi*. Appello *Recusos*, qui signati typario quodam, alio rursus iconio resignati sunt, priori forma non plane abolita; ita, ut utriusque typarii vestigia extent, etsi confusas figuras, literasque exhibentia. Ejus rei exemplum omnibus notum,

tum, ac obvium in Gallica moderna majoris moduli argentea moneta intueri licet.

Veteres numos, non nisi perpaucos conspicere mihi datum est, manifestis indiciis resignatos; quod ego a veteribus non item, ut a nostri temporis Monetariis, de industria, ut labori, ac sumptibus parceretur, sed per negligentiam, & vitiose factum arbitror. Ejus facti, atque lapsus originem omnem haud ita facile e numis tam paucis conjicere possumus.

Antiquorum numismatum, detritorum præsertim, metallum conflatum, & novorum Imperatorum iconiis signatum fuisse satis certum est. Trajani jussu simile quid factum fuisse *Xiphilinus e Dione Lib. LXXVII.* refert: τότε νόμισμα πᾶν τὸ ἐξίτηλον ἐξεχώνευσε. *Numum omnem evanidum conflari jussit.* Quem locum haud recte mihi reddidisse videntur, qui numum adulterinum, pro: *evanidum:* id est, typo fugiente, & attrito vilescentem, posuere, quod posterius τὸ ἐξίτηλον rectius significat.

Ea veteris monetæ in nova numismata μεταμόρφωσις tum in usu præcipue fuerit, cum novi Imperatores sui memoriam quam primum, & quam plurimis in monetis extare vellent, neque adesset metallum, quod sufficeret; tum enim numos veteres, aut usu admodum attritos, aut qui expendi hactenus non potuere, conflatos: aut, cum temporis angustiæ urgerent, etiam malleo tantum contusos fuisse, ut pristina forma aboleretur, existimo, atque ita novo charagmate signatos. Qua in re id non nunquam accidisse, pronum est cogitare: ut sumerentur numi resignandi, e quibus veteris typi omne vestigium non dum abusus, aut malleus deleverit; atque dum novum typarium etiam negligentius incuteretur, & novæ formæ, & veteris item aliquid in recuso numo comparuisse.

Numum, qui dictis meis fidem adstruat, attento oculo contemplatus sum in Cimelio Perillustris, ac Eruditissimi

Viri Domini Vicinelli in aversa parte optime, in adversa satis conservatum, ac elegantem ex ære magni moduli.

Postumi numus recusus. IMP. C. - - - - T. POSTVMVS. P. F. AVG. *Imperator Cæsar Marcus Cassius Latienus Postumus, Pius Felix Augustus.* Caput radiatum Postumi.

RESTITVTOR. GALNVS. AVG. Mulier genu flectens, d. orbem porrigit Imperatori stanti.

In aversa hujus numi parte figura Imperatoris stantis capite mutilata comparet, atque ejus loco videtur capitis laureati pars posterior, una cum ligulis lauri, & punctulis, oram alioqui ambientibus, plane ita, uti in adversa numorum facie laureata capita signari solent; atque juxta hoc capitis resegmen illæ literæ comparent NVS. AVG. non bene cohærentes eodem ordine cum RESTITVTOR. GAL. Ex ipso typo manifestum est, in aversa parte novo hoc iconio exhiberi, cum solita effigie, epigraphen: RESTITVTOR. GALLIARVM. Illam porro capitis laureati partem cum NVS. AVG. esse veteris signaturæ vestigia, quæ repræsentavit caput Imperatoris, cujus nomen syllaba NVS. terminaretur.

Græcus Gallieni resignatus. Numum Gallieni, magni æris, a Syedreis cusum, edideram in Appendicula ad numos Urbium, Græce loquentium, in quo caput minusculum nudum, super majori alio laureato signatum spectatur, estque in ejus numi imagine probe, uti numus ipse habet, expressum. Neque vero illic, ut antea suspicabar, ictus geminatus, aut aberrans sub ictu typarium id causare poterant; cum literæ in ora integræ, & capita diversa essent. Verum antea laureato capite ex eadem parte hic metalli orbiculus signatus erat, cujus figura in media area non plane extrita, novo ictu impressam subinde aliam capitis formam minus perfecte recepit.

Alium numum, duplici iconio in aversa parte insignitum, hic in effigie sisto, qui est ex ære, mediæ formæ, in Cimelio Nostro.

HADRI-



HADRIANVS. AVGVSTVS. COS. III. P. P. Caput ejusdem.

In aversa parte inferne Nili jacentis mutila figura, cum Hippopotamo, sub qua, in imma ora S. C. in superiori area Daciæ sedentis simulacrum, juxta quod ad dextram litera S. cui ad lævam C. respondere deberet, in superiori ora. VS. legitur ex inscriptione NILVS. *Hadriani recusus.*

De mirabili hoc numo, quid dicam, nescio. Nam recusum esse numum jam attritum, aut alius Imperatoris forma antea signatum, dicere hic non licet; cum sub eodem Hadriano uterque hic aversæ partis typus, & in quo DACIA, & in quo NILVS, legitur, frequens occurrat.

Qua ratione autem (capitis imagine, in adversa parte, integra, & indemni) duo typaria, diversæ formæ, aversæ parti impressa sint, arduum est divinare.

Insigne resignati numi exemplum hic aliud adfero, quod Perillustri Dño de Garelli debeo, Viro, quem apud Eruditos nominasse, satis est, quique pro ingenti sua, quam omnigenæ eruditioni junxit, humanitate, ultro hunc mihi numum e pretioso Cimelio suo obtulerat. *Recusorum alia exempla.*





PIETAS AC ILL - - - - Caput Etruſcillæ, aut alterius Auguſtæ, cujus nomen CILL. continet.

IVLIA. NI REGIN. Figura muliebris velata ſtans, ſ. haſtam puram. In area ad dextram veſtigia capitis muliebris.

Hic numus antea ſignatus erat capite Juliæ Piæ Auguſtæ, & in averſa Pietatis ſymbolo, quales numi Juliæ etiamnum habentur.

Reſignatus vero hic numus eſt iconio Etruſcillæ, cum averſa facie, *Junoni Reginæ* inſcripta Facies vero Etruſcillæ impreſſa eſt poſticæ parti numi Juliæ, uti typus exhibet.

Illud hic mirum eſt, integram epigraphes partem e numo Juliæ indemnem manſiſſe ita, ut prope veſtigia capitis legatur IVLIA, & in altera facie PIETAS. A *Auguſta.* quæ literæ ipſa formæ elegantia multum ab aliis diferunt characteribus, qui ad *Etruſcillam* ſpectant; nempe - - - CILL. - - - ex parte novi capitis, & ex alia - - - NI. REGIN - - - qui admodum rudes comparent. Eſt quoque hic numus argento multum inæquali, & rupto atque aliquanto latior ſolito, ut facile recuſum ex hoc ſolo agnoſceres. Ea orbiculi, præter ſolitum, latitudine etiam ænei numi reſignati, quos inſpexeram, repetitos mallei ictus ſe pertuliſſe fatentur.

Numum aureum Heraclii, qui venum circumferebatur, alia ratione reſignatum, curioſiſſime ſum contemplatus.

tus. Is eodem iconio in utraque facie iterum fuerat signatus; sed sub altera typi impressione auri orbiculus inverso situ iconiis interpositus est, ita, ut eadem imago utrimque superne, & inferne, eademque inscriptio ad dextram, & ad sinistram in utraque numi facie compareret. Alterius tamen signaturæ multo tenuiora sunt vestigia, quæ haud dubie prior fuerit & vel ideo, ut typus extaret manifestior, idem numus ad incudem revocatus videtur.

Epigraphe numi, partim mutila, partim repetita est, uti sequitur.

D. D N. N. HERACLIVS. ET - - - - D. D. N. N. HERACL - - - - Duæ dimidiæ figuræ, vultu barbato, in medio Crux.

VICTOR - - - - VICTOR. & infra hoc - - - - UGUE. Nempe: *Victoria Augustorum*, erat inscriptio. Crucis figura, gradibus insistens.

Alia denique resignandorum numorum causa fuisse videtur, abolitio nominis, atque memoriæ quorundam Augustorum, qui tyrannice imperassent, a Senatu Romano decreta: id quod in *vita Vitellii lib. LXV.* & *lib. LXVIII.* de Domitiano, & de Commodo *lib. LXXIII.* deque aliis narrat *Dio Cassius*. Eorundem nempe statuas, & arcus triumphales, aliaque monumenta dejecta, atque abolita fuisse. De Domitiano refert *Suetonius cap. ult.* memoriam ejusdem multis detestatum fuisse Senatum; ita, ut *Clypeos, & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi juberet: novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret.* Numorum quidem singularis hic mentio, atque alibi quoque, quod ego meminerim, non incidit; satis tamen τὸ *ubique* indicare videtur: talium Imperatorum numos a morte, eos saltem, qui in Moneta publica superessent, aut conflatos, aut resignatos fuisse.

Aliud vitiosorum numorum genus est, quos *Incusos* appellant. De his, nihil melius me facturum existimo, Numi incusi.

quam

quam si ea, quæ *R. P. Jobert in laudato sæpius libello Instru-ction. 8.* adnotavit, hic latinis verbis reddidero. *Denique non nunquam accidit, ut Monetarius, memoria lapsus, utrumque typarium non apponeret, atque ita numus sine partis aversæ typo exiret. Ea res frequens est in recentioribus monetis, præcipue post Othonem, & Henricum Aucupem. Antiquos inter numos, nonnulli Familiarum Romanarum tales reperiuntur, & aliqui Augustorum numi ex ære.* (In Cimelio Nostro præ ter æneos duos parvi moduli, etiam Tib. Claudii argenteus incusus habetur.) *Nos ejusmodi numos Incusos dicimus. Eorum forma illudere posset novitio antiquario; quando loco typi aversæ partis non aliam, quam quæ in adversa parte signata est, figuram exhibent, introrsum impressam, quasi typarium esset, pro signandis aliis numis excavatum. Fateor me semper difficilem fuisse: ut crederem, id factum ea ratione fuisse, ut neglecta fuerit alterius typarii suppositio: malebamq; ad alias usque rationes confugere; dum e viro quodam, artis monetariæ in omni Gallia peritissimo, didicissem: id originem habere e festinatione Monetarii, qui, antequam signatam recens monetam ab incude deponeret, imposuit alium metalli orbiculum; cui cum ex una parte typarium capitis, ex altera numus, eo typario jam signatus, occurreret; efformabatur in utraque numi superficie idem caput, in altera quidem parte figuram extantem, & prominentem, in altera vero retrocedentem, & impressam exhibens. Atque posterior illa cava figura imperfectior semper comparet; cum ex parte obsistentis numi, antea signati, minor multo vis premeret, quam ex parte typarii, malleo adacti.* Cum nempe typarium e chalybe durissimo, numus ex alio, multo molliore, metallo constaret.

Apud Amicum quendam accurate inspexi, ac depinxi numum æneum Aureliani, parvi moduli, recusum una, & incusum. En ejus typum!



Aure-



AureliaNVS. AVG. Figuræ partis aversæ incusæ, & mutilæ, cum retrogradiente epigraphe IOVI.

IOVI. CONSE - - - Jupiter stans, d. orbem porrigit adstanti Imperatori. Infra ✱ Q. Adversa pars Aureliani capite primum signata erat, uti aliis ex numis colligitur, & pars reliquæ in ora inscriptionis N V S. AV G. indicat. Deinde, cum numum recens percussum e typario eximere oblivisceretur Suppostor; addito altero errore loco metalli rudis, & signandi, alium, jam eodem typario signatum, numo nostro imposuit: atque ita altero hoc ictu, iconi capitis numi suppositi impressa, & incusa est figura aversæ partis numi superpositi, inæqualiter tamen, & mutile, quod extantes in utroque Numo figuræ æqualem impressionem impedirent.

Aversa partis typo destituti numi.

Affine quoddam Incusis vitium præ se ferunt illa numismata, quæ aversam suam superficiem nullo omnino iconio signatam offerunt. Ejus generis bina in Cimeliarchio Regio se conspexisse testatur Jobertus, citra dubium antiqua: quorum alterum erat Antonini Pii Trib. Pot. XXIIII. alterum Græcum Lucii Veri, nil aliud, nisi ejusdem nomen ostentans. Etsi vero ea numismata ad maximum modulum accedere memoret laudatus Auctor; vix tamen est, ut credamus, ea ex proposito ita altera ex parte ἄτυπα relicta fuisse.

Numum Augusti ex ære, bene magni moduli, ipse intuitus sum in Cimelio supra laudati Doctissimi Domini Vicinelli, in cujus adversa parte caput laureatum Augusti, cum epigraphe: AVGVSTVS. In aversa numi facie ne

vestigia quidem typarii, sed æs omnino informe. In eodem Cimelio simile numisma habetur, Antinoi caput cum ramo una ex parte exhibens, absque ulla inscriptione, ullave alterius partis forma.

Numi Imperatorium vultum non exhibentes. Denique vitii suspicione non carent numi illi, qui, Imperatorum temporibus percussi, eorundem effigie destituti sunt. Sane ipse Divinus Servator *Matth XXII. ✝. 20.* cum per Pharisæos: Liceretne censum dare Cæsari? tentaretur; denarium sibi exhiberi petiit, atque illico rogavit: Τίνος ἡ εἰκὼν αὕτη, καὶ ἡ ἐπιγραφή; *Cujus est hæc imago, & superscriptio?* λέγουσιν αὐτῷ, Καίσαρος. *Dicunt ei: Cæsaris.*

Id tamen Imperatoriæ imaginis requisitum signum de moneta publici usus intelligi oportere docet *Scævola Lib. 102 ff. de Solut. Pecuniæ usus interdicitur, a qua vultus Imperatorius abest.*

Hoc vitio sane laborant numi illi, de quibus capite septimo actum, quorum utraque facies typum, aversæ parti debitum, & alias etiam adhibitum, repræsentat; Nam numi illi monetæ currentes esse debuerant.

Non omnes vitiosis adnumerandi. Alios porro numos quosdam, Augustorum tempore, sine eorum capitis effigie signatos, non continuo vitiosos dici posse liquet; uti frequentes illos, qui Cæsaris Augusti solo nomine inscripti, ex altera parte Triumvirorum Monetalium nomina exhibent; cum sub initium timide adhuc capitis sui effigiem primus Augustus numis inserendam curaret. Urbium item, Græce loquentium, & Coloniarum numi habentur sine Augustorum vultu, quos tamen fabrica Augustis συγχρόνους arguit. Quæ Urbes aut nondum Romanis subditæ, aut liberæ relictæ sunt: aut etiam diversa duo monetarum typaria, & fors officinas habuere, in quarum altera veteri urbis typo monetam signarint.

Vitii expertes sunt etiam illi numi, Imperatorio vultu destituti, qui peculiaris memoriæ causa, non ad publicum com-

commercium percussi sunt; atque habentur præcipue ex ære parvo sub Nerva Trajano, & Juliano Apostata.

Juliani certe temporibus merito adscripti complures extant, atque etiam in Cimelio nostro nonnulli ostenduntur, qui una ex parte caput radiatum, vel tutulatum exhibent, cum epigraphe: DEO SERAPIDI. aut nonnunquam etiam ipsius Juliani Imp. caput præ se ferunt; in altera parte Dei alicujus simulacrum, Ægyptium fere, comparet, cum inscriptione: VOTA. PVBLICA. quæ epigraphe etiam in altera parte repetita interdum reperitur. Ut adeo dubium nullum videatur, hos numos occasione festorum, ac rituum Idololatricorum, ab Imp. Juliano instauratorum, percussos esse. Utrum vero (cum Idola Ægyptia referantur) etiam in Ægypto signati sint, uti censet Patinus: certi nihil asserendum putem; cùm fabrica horum numorum ab Ægyptia multum abludat: præterquam quod latinam epigraphen omnes exhibeant.

R. P. Piovene S. J. Tom. X. Tav. 10. N. 13. Numum æneum sistit, quem e fabricæ specie Trajano, aut Hadriano tribuit. In ejus altera facie Hippogryphus visitur, rotam pede contingens, in altera Tripus cum epigraphe S. C. Trajani quidem temporibus similes numos singularis memoriæ ergo percussos esse, confirmant alii duo numi æris parvi, *ibidem N. 6.* & *Tav. 9.* propositi. Alter ita habet.

ROMA. Caput galeatum.

DARDANICI. Mulier stans, d. spicas gerens.

Alter eandem plane partis aversæ epigraphen, & figuram, cum Trajani capite sistit; ut adeo hic posterior, priori, quo referendus sit, lucem attulerit.

Hisce numis, qui sine vultu Augusti Imperantis, vel alicujus ex Augusta familia, singulari de causa cusi sunt, & idcirco vitiosis accenseri non debeant, R. P. Jobertus adjungi posse existimat argenteum, Vitellii tempore signatum, qui ita habet *Numisma, Vitellii typariis signatum, de vitio suspectum.*

FIDES. EXERCITVVM. Duæ manus junctæ.

CONCORDIA. PRAETORIANORVM. Idem typus.

Similem item ex argento doctissimus Liebe in laudato alibi opere *pag. 248.* producit.

FIDES. EXERCITVVM. Duæ manus junctæ.

FIDES. PRAETORIA. Idem typus.

Multa erudite Liebeus de fide, & affectu militum in Vitellium; ut conficiat: aut fuisse hos numos signatos in Castris, quod facile concedetur: aut militarium Præfectorum impetratum esse precibus, vel ultronea Principis indulgentia concessum, ut hi numi solis fidei militaris symbolis, sine vultu Imperatoris, signarentur.

Verum si tantus militum amor, ac fides in Principem; cur ejusdem vultus non hic potissimum exprimendus erat? cur eadem omnino manuum junctarum symbola in eodem numo repetita? cur in aliis frequentibus numis argenteis eadem junctarum manuum habetur epigraphe: FIDES. EXERCITVVM. & CONCORDIA. PRAETORIANORVM. Apud Mediobarbum, cura Philippi Argelati auctum. Item cum his inscriptionibus ænei, & argentei: CONCORDIA. EXERCITVVM. & CONSENSVS. EXERCITVVM. & PRAETORIANORVM. apud *Vaillant. Tom. II. fol. 46.* Hi tamen numi omnes caput Vitelii in adversa facie repræsentant? Vix mihi hic tempero; quin ambos illos numos vitiosa partium duarum aversarum conjugatione signatos dicam. Binos vero illos Vitelliani commatis numos ex argento puro, atque adeo sinceros esse, nihil obesset; quin promoveret potius suspicionem de duobus, aversæ partis, typis per errorem consociatis.

Nam ea, quæ *Cap. V. & VII.* producta sunt, numorum exempla satis ostendunt: falsarios quidem frequentius capitis typo impertinentem aversæ partis formam adjunxisse; attamen duo aversæ, aut adversæ partis iconia eidem

numo non consignasse: id quod Monetarii Publici nonnunquam festinatione, & incuria peccarunt.

Adulterini certe Monetarii, severissimarum Legum timore cautiores, neque tamen ita ignorantes fuere; ut sine omni capitis, aut aversæ partis typo numum proferentes, sperarent suæ fraudis successum. Etsi, quæ cujusque capiti competeret posticæ partis figura, atque inscriptio, aut non satis perspectum haberent: aut charagmatis congrui defectu, eam exhibere in ipso numo non possent. Nolim tamen de horum numorum vitio certi quidquam pronunciare: & cum ejuscemodi numos *complures, variosq;* retulerit *R. P. Panelius S. J. in Diariis Trevolt. supra laudatis*; jam in alteram prope partem abeundum statui, istosque numos esse vitio absolvendos: ita, ut aut milites has monetas, aut Imperatores, ad lucrandos his laudibus militum animos, percutiendas curaverint.

Atque hæc de numis, Monetariorum veterum culpa, *Epilogus.* vitiosis, brevi, pro rei dignitate, dissertatione hactenus prolata boni consule, Erudite Lector! Plura his, exempla in primis, adjungi posse, si arbitreris; juxta mecum senties. Neque enim omnia, quod in hac re nemo: neque lectissima quæque, quod solum præstare doctissimi valent, me hac opella executurum unquam somniabam. Rudes quosdam ductus, & prima lineamenta, occasione ejuscemodi numorum, e Cimelio Granelliano mihi exhibitorum, tabulæ illevi, quæ artificis manum (cui plus artis, otiique sit, quam mihi) dum absolvantur, expectant. Si qua porro sunt, non Monetariorum tantum, sed mea item, de his scribentis, vitia; ea vel condonari mihi, vel a peritis benigne, & amore veritatis argui peto. Quam vero pronum sit, in hoc scribendi genere deficere nonnunquam, ac labi; omnes, qui rei antiquariæ qualemcunque operam damus:

Scimus, & hanc veniam petimusq;, damusq; vicissim.

Auctarium Appendiculæ
Ad Numos Augustorum, ab Urbibus, Græce loquentibus, percussos.

CUm interea temporis, dum Appendicula utraque typis excuderetur, Numi nonnulli Græci Cimelio nostro, (ita Granellianum appellare soleo) accessissent: essetque unus, & alter hos inter eximiæ raritatis; eosdem hic saltem adferendos putavi. Imagines horum numorum adjecta ad finem pagina exhibet, Græcis literis indicatas.

a.

ΑΥΤ. Κ - - - Λ - ΑΥΡ. ΚΟΜΟΔΟС. *Imperator Cæsar Lucius Aurelius Commodus.* Caput laureatum.

- - - - ΚΑΔΟΗΝΩΝ. *Cadoënorum.* Magistratus nomen, etsi ægre legatur, ita tamen me exsculpsisse existimo: - - - ΑΝΤΩΝ. ΠΕΡΙΤΩΜΟΝΙΔ. ΦΙΛΟΠΑΤΟΡΑ - - - ΟΛΟ - - - *Sub Antonino Peritomonide, Philopatoris filio* - - - Diana, cujus caput ornat lunula, pharetram a tergo gestans, sinistra prehendit cornua cervi, cui insidet: dextra protensa quid gerat, non dignoscitur.

Raros admodum Cadoënorum numos recenset Vaillantius; sub Commodo nullum: noster est moduli bene magni. Urbem hanc, Κάδοι, *Cadi* dictam, *Stephanus* Mysiæ tribuit, atque citat *Strabonem lib. 12.* qui tamen paullo aliter habet: Τῆς δὲ Ἐπικτήτου Φρυγίας Ἀζανοί τέ εἰσι, καὶ Νακόλεια - - - καὶ Κάδοι, τὰς δὲ Κάδους ἔνιοι τῆς Μυσίας φασίν. *Phrygia Epicteti sunt Azani, & Nacolia - - - & Cadi; Cados vero nonnulli Mysiæ tribuunt.* Phrygiæ Pacatianæ hanc urbem adscribit *Notitia Hieroclis:* ad Phrygiæ fines, in Mæonia, eandem locat *Ptolemæus lib. 5. cap. 2.* Sita fuerit in Phrygiæ, & Mæoniæ, seu Lydiæ confiniis.

Dianæ cultum Cadis floruisse, comprobat numus Domitiæ, a Patino relatus, in quo Dianæ Ephesiæ imago exhibe-

hibetur. De variis Dianæ, in ære veteri, cum Cervis combinationibus, ad Ephesinum Antonini Pii numum quædam sunt adnotata, quibus rarior hæc Dianæ figura adjungi meretur. Incolæ urbis Cadorum a Plinio Cadueni, a Stephano καδυνοὶ vocantur: Numi vero καδοηνοὶ scribendum suadent.

ε.

ΑΥ. Λ. ΣΕΠΤΙ. ΣΕΥΗΡΟΣ. *Imperator Lucius Septimius Severus.* Caput laureatum.

Υ. Ι. ΦΑΥΣΤΙΝΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Julio Faustiniano, Marcianopolitarum.* Cybele sedens, capite tutulato, d. pateram porrigit, sinistram cymbalo acclinat.

Inter Senatores, quos ob defectionem Albinianam necari jusserat Severus, uti *Spartianus in vita ejusdem* refert, etiam Faustinianus nominatur. Typum similem dedimus ad Caracallæ numum, a Tyranis percussum. Medii moduli est.

γ.

ΑΥ. Κ. Λ. ΣΕΠΤΙ. ΣΕΥΗΡΟΣ. *Imperator Cæsar Lucius Septimius Severus Pertinax.* Caput laureatum.

ΗΓ. ΣΤ. ΒΑΡΒΑΡΟΥ. ΑΥΓΟΥΣΤΗΣ. ΤΡΑΙΑΝΗΣ. *Præside Statilio Barbaro, Augustæ Traianæ.* Figura Deæ stantis, d. pomum, vel pateram, s. hastam puram gerit. Medii moduli est.

Severi alius numus, a Cl. P. Harduino vulgatus, hujus Magistratus prænomen detegit hac inscriptione: ΗΓ. ΤΙΒ. ΒΑΡΒΑΡΟΣ. ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. Ex quibus duobus numis conficitur: Traianam Augustam, si non eadem fuerit cum Traianopoli Thraciæ, ad eandem saltem Thraciæ Præfecturam hoc tempore pertinuisse.

δ.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. *Julia Domna.* Caput ejusdem.

ΑΔΡΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Hadrianopolitarum.* Figura muliebris stans, d. pateram, s. Cornu Copiæ; capite tutulato. Est numus parvæ formæ: typum similem exhibuimus in Marcianopolitano Caracallæ numo.

ε. ΙΟΥ-

ε.

ΙΟΥΛΙΑ. ΔΟΜΝΑ. CE. *Julia Domna Augusta.* Caput ejusdem.

ΟΥΛΠΙΑC. CEΡΔΙΚΗC. *Ulpia Serdica.* Mars galeatus, cætera nudus, stans, dextram capiti admovet, f. scutum, & hastam præpilatam gerit.

Rarus hic, ad caput Augustæ, typus videtur eum amorem adversus milites, eamque curam Juliæ Augustæ denotare, ob quam ipsa, numis testibus: MATER CASTRORVM. appellata fuit: quem titulum antea Faustina, postea vero Mamæa obtinuerunt. Numus est elegans magni moduli.

ς.

- - - ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΑΝ. *Apolloniatarum.* Apollo nudus stans, arcum sinistra sustinet: adstat Fortuna, d. temonem, f. Cornu Copiæ gerens.

Ad Apolloniam in Illyrici ora, vel in Epiro sitam, hic numus referendus videtur. Apolloniam hanc *Cicero Philippic. 11. Magnam urbem, & gravem* appellat. *Stephano* vero, est Πρώτη πόλις Ἰλλυρίας. *Prima Urbs Illyrici*; atque idem Auctor viginti quinque hujus nominis urbes recenset, quod nomen omnes ab *Apollinis* cultu traxerunt. Alii hujus urbis numi unam Dei, Deæve figuram exhibere solent. Apollinis stantis imaginem, in alio hujus urbis numo repertam, cum Epigraphe: ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ. ΚΩΚ. R. P. Harduinus descripsit; ubi adnotavit: Dianam quoque κοκκώκαν, Pausania teste, compellatam fuisse. Originem nominis nescimus, neque vero est, quod in ea inquirenda multum operæ, ac temporis insumamus. Fortasse *Celerem* id vocabulum notat. Nam *Suidas* ita habet: κοκκῶ ἀτ]ικῶς ἀντὶ ταχεῖ. Celeritatis porro laus Apollini, ac Dianæ attribuitur: sive Apollo Solem, & Diana Lunam referat, sive ambo sagittis jaculentur.

ζ.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus.* Protome Caracallæ laureati.

ΕΠΙ. ΣΤΡ. ΣΤΡΑΤΟΝΕΙΚΙΑΝΟΥ - - - *Sub Prætore Stratoniciano.* Corona ex lauro, intra quam legitur: ΑΥΓΟΥΣΤΕΙΑ. ΠΥΘΙΑ. ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ. *Augustalia, Pythia, Thyatirenorum.*

Thyatiram *Plinius lib. 5.* In Jonia, ad Lycum fluvium, recenset. *Stephano* vero subinde *Lydiæ urbs, antea Pelopia dicta: gentile Thyatirenus.* Θυάτειρα πόλις Λυδίας, ἡ πρότερον Πελόπεια. τὸ ἐθνικὸν Θυατειρηνός. Eandem Metropolim *Ptolemæus lib. 5.* compellat.

Certaminum, aut ludorum nomina, hactenus nulla, quod sciam, in hujus urbis numis deprehensa sunt. Stratonicianum Magistratum numi Apameæ Phrygiæ sub Commodo exhibent. Numus noster, maximi moduli, singulari utriusque faciei imagine exhibetur.

η.

ΑΥ. Κ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. ΑΥ. ΣΕΠ. ΓΕΤΑΣ. *Imperator Cæsar Antoninus Augustus: Septimius Geta.* Capita adversa laureata Caracallæ, & Getæ.

ΥΠ. ΦΛ. ΟΥΛΠΙΑΝΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Ε. *Sub Flavio Ulpiano, Marcianopolitarum.* Fortuna stans, capite tutulato, d. temonem, s. Cornu Copiæ. Typum hujus numi, qui medii moduli est, vulgarem, & obvium repræsentare non est opus.

θ.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΙΝΟΣ. ΑΥΓ. Π. Σ. ΓΕΤΑΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus: Publius Septimius Geta.* Capita adversa, & laureata Caracallæ, & Getæ.

ΜΑΡΚΙΑΝΟΡΟΛΙΤΩΝ. Ε. *Marcianopolitarum.* Caput Serapidis tutulatum. Mediæ formæ, cujus typum exhibet numus Nicopolitanus Severi.

ι.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. ΣΕΥΗ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΣ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. *Ulpia Serdica.* Apollo nudus, capite radiato, currens, dextram attollit, ſ. flagellum, & ſtrophium attinet.

Apollinis, ſeu Solis curſus, qua hic effigie expreſſus eſt, rarius in Græcis numis occurrit. Exprimi hoc ſymbolo videtur Oriens, a Caracalla peragratus. Numus eſt elegans, magni moduli.

ιa.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΙΝΟC. *Imperator Cæſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Caracallæ laureatum.

ΟΥΛΠΙΑC. CΕΡΔΙΚΗC. *Ulpiæ Serdicæ.* Nemeſis ſtans, d. bilancem, ſ. ſcuticam, ſeu flagellum ſuſtinet; ad pedes rota. Imaginem Nemeſis in utraque Appendicula propoſuimus. Hic numus eſt mediæ magnitudinis, integer, & elegans.

ιϐ.

- - - - ΑΝΤωΝЄΙΝΟC. CЄΒ. *Antoninus Auguſtus* Protome Caracallæ, capite laureato.

ΚΟΙΝΟC. Τ ωΝ. ΤΡΙ ωΝ. ЄΠΑΡΧΙ ωΝ. *Commune Certamen trium Provinciarum.* Corona, in medio ejus ΤΑΡCЄωΝ. *Tarſenſium.* Coronæ inſiſtunt duæ literæ longiuſculæ Γ. & Β. Γερȣσίας Βȣλῆ *Senatus Conſulto.* item undecim capita, quorum quinque mulierum, ex ornatu capitis, quatuor virorum eſſe dignoſcuntur, duobus attritis. Eſt magni moduli numus, ejus iconem chalcographus non ſatis exacte expreſſit.

In hujus numi, qui eximiæ raritatis eſt, averſa facie duo ſunt ſingulari attentione digna: inſcriptio, & undecim capitum ſimulacra, coronæ circumpoſita.

Inſcriptio quidem certe nulla ſimilis, in plurimis, variisque Tarſenſium numis, a me eſt uſpiam deprehenſa. Ac primum ΚΟΙΝΟC. hic intelligendus eſt ΑΓΩΝ. *Commune Certamen.* Huc faciunt, quæ ad Cæſareenſem Caracallæ numum, in Appendicula adnotaveram, cujus Epigraphe ad urnas ludorum erat: ΚΟΙΝΟC. ΦΙΛΑΔЄΛΦΙΟC. Alii quidem Tarſen-

Tarſenſium numi habentur, in quibus templi extat effigies, cujus fronti inſcriptum legitur: KOINOC. Ubi facile adducor, ut cum Doctiſſimo Harduino credam, ſubaudiri NAOC. *Templum.* In Noſtro tamen numo, cum corona, commune ludorum, ac certaminum ſymbolum, ſit conſignata; *Agon Communis* potius indicari videtur.

Commodi numus Tarſenſis, a laudato *P. Harduino, de Numis Popul.* & *Urbium* prolatus, id etiam confirmat, in quo legitur KOMOΔЄIOC. OIKOΥMЄNIKOC. TAPCOΥ. ubi ſane τὸ Ὀικουμενικός, notum eſt ludorum vocabulum.

Minus perſpicuum eſt, quod in epigraphe ſequitur: ΤΩΝ. ΤΡΙΩΝ. ЄΠΑΡΧΙΩΝ. Quarumnam *Trium Provinciarum* Communia fuerint hæc Certamina? Nam, cum Ciliciæ fuiſſe Metropolim Tarſum conſtet, aliaque hic de nomine Provincia non exprimatur; videri poſſent, non niſi Ciliciæ tres regiones hic eſſe deſignatæ. Verum nulla ſatis apta auctoritate firmari poteſt, Ciliciam, hoc præſertim, quo hic numus cuſus erat, tempore, in tres diviſam eſſe regiones; cum celeberrima ſit ejuſdem in duas partes diſtinctio, quarum altera τραχεῖα *Aſpera*: πεδιὰς *Campeſtris* ſit altera appellata. Ejuſdem *Ptolemaus lib. 5.* meminit, & Ciliciam Aſperam rurſum in *Selentidem*, *Cetidem*, & *Piſidiam* dividit. Sed hæc pervetus, atque jam dudum abrogata videtur diviſio; cum de eadem reliqui ſcriptores ſileant. Atque cum Campeſtris Ciliciæ urbs eſſet Tarſus; aut hæc diviſio huc nihil faceret, aut quatuor potius Ciliciæ regiones ſcribendæ erant, Campeſtri utique non omittenda.

Nonnemo fortaſſe ex *Dionis lib. 36.* aliam Ciliciæ regionem, nempe Maritimam dictam, exſculpere volet; cum illic de urbe Pompeiopoli ita legatur? Ἐςὶ ἐν τῇ Κιλικίᾳ τῇ παραθαλασσίᾳ. *Sita eſt in Cilicia Maritima.* Verum hæc ad ſitum tractus illius exprimendum potius, quam ad politicam diviſionem indicandam ſcripta videntur. Quemadmodum *Strabo*, dum *lib. 14.* ait: Τῆς Κιλικίας, τῆς ἔξω τοῦ Ταύρου,

ἡ μὲν λέγεται τραχεῖα ἡ δὲ Πεδιάς. *Cilicia, quæ extra Taurum est, altera pars Aspera, altera Campestris dicitur.* Quamvis hic eadem sit in repetito articulo emphasis; non idcirco tamen aliam Ciliciæ regionem intra Taurum fuisse, Strabo indicare voluit; sed Ciliciam extra Taurum, si cum Cappadocia conferatur, sitam fuisse. Neque vero Eleuthero-Cilices, hoc præsertim tempore, distinctam aliquam, & notatu dignam, Ciliciæ regionem effecisse, credibile videtur.

Quod si constaret etiam, Caracallæ ætate, in tres regiones dispertitam fuisse Ciliciam: crederem tamen, in hoc numo tum haud scriptum fuisse Κοινὸς τῶν τριῶν ἐπαρχιῶν, si nempe solius Provinciæ Ciliciæ Communis ille Agon desi- gnandus fuerat; sed KOINOC. KIΛIKIAC. vel KOINON KIΛIKIAC. quibus verbis alii Tarsensium numi Communia Cilicum Certamina, aliaque sacra eloquuntur. Præterea τὸ Ἐπαρχία majus aliquid, quam ejusdem Provinciæ minores quasdam regiones, significare videtur; cum proprie conveniát *Provinciæ*, quæ a singulari *Præfecto* gubernatur: uti nominis origo prodit. Est enim Ἀρχὴ *Principatus, Imperium*: inde Ἐπάρχω *Impero, Præsum*, atque ex hoc Ἐπαρχία. Hac sane notione vocabulum istud *Strabo lib. 17. in fine*, atque alibi exhibuit. Χώρα vero magis proprie *regionem*, seu majoris Provinciæ partem denotat. Et quanquam *Stephanus Byzantius* nonnunquam τὸ Χώρα loco τοῦ Ἐπαρχία ponat; vice versa tamen Ἐπαρχία pro subalterna regione adhibitum, nescio, an reperiatur.

Inveniendæ sunt igitur tres aliæ Provinciæ, quibus hoc ipso tempore, Ludorum, aliorumque Sacrorum Communio cum Cilicibus intercesserit. Ipsi hic numi subsidium ferant, oportet, quod ab Historicis nequidquam, aut a Geographis præstolamur. Septimii Severi numisma, Tarsi signatum, a Cl. *Vaillantio*, & a *R. P. Harduino* ita refertur, *De num. Popul. & urb.* ΕΠΙ. ΑΡΧ. Γ. ΟΜ. CΕΥΗΡΙΑΝ. ΤΑΡCΟΥ. ΜΗΤΡ. ΤΩΝ. ΚΙΛΙΚΩΝ. ICΑΥΡΙΑ. ΚΑΡΙΑ. ΛΥΚΑΟΝΙΑ. *Sub Ar-*

chon-

chonte Caio Hem - - - Severiana Tarsi, Metropolis Cilicum: Isauria, Caria, Lycaonia. Provinciæ tres turrito capite adſtant, quarum una Genio civitatis Tarſenſis coronam imponit.

En tres Provincias, Tarſenſibus, Ciliciæ metropolitis, hac ipſa ætate ſociatas, atque obſtrictas! De Caria fortaſſe ſola dificultas aliqua oboriri poſſet; quoniam Ciliciæ finibus non attingitur; ſed interpoſita Pamphylia, atque Piſidia dirimitur. Verum & huic malo, quamquam admodum levi, remedium eſt. Pamphylia enim, & Piſidia ad Ciliciam, latius ſumptam, ſeu ad Præfecturam Provinciæ Ciliciæ, ſaltem olim, pertinebat. Cui rei ipſe *M. Tullius Cicero*, qui huic Provinciæ Proconſul præfuit, luculentum teſtimonium dicit: *Lib. 1. de Divinat. Cap. 1. Cilicum, & Piſidarum gens, & his finitima Pamphylia, quibus nationibus præfuimus ipſi* &c. Similia videri poſſunt apud erudititiſſimum *Noriſium Cenotaph. Piſ. Diſſert. 2.* Et licet Provinciarum diviſiones interea temporis, uſque ad Caracallam, multum variare potuerint; aliquos tamen vetuſtæ quoque vicinitatis nexus etiam tum perduraſſe, laudatus Severi numus invicte demonſtrat.

Vetus illud amicitiæ, ac ſocietatis vinculum, quo Cariæ, Ciliciæque urbes mutuum obſtringebantur, magna item, ut opinor, probabilitate colligitur e numo præſtantiſſimo, ac pervetuſto, Coryci ſignato, Cimelii noſtri, qui etiam æram Seleucidarum, hactenus hujus in urbis numo non detectam, exhibet:

Caput turritum: pone ΔT. *Anno 304.* Æræ Seleucidarum, uti quidem arbitramur.

ΚΩΡΥΚΙΩΤ. - - - ΗΡ. ΤΑΡ. *Coryciotarum, Heraclea, Tarſus.* Mercurius ſtans. ſ. Caduceum ſuſtinet.

Urbs hæc Corycus, ſive Ciliciæ, quod probabilius, ſive Pamphyliæ, fuerit, omnia in rem noſtram ſunt. Heracleam enim hic aliam vero ſimilius intelligi vix poſſe exiſtimo,

ſtimo, quam quæ in Caria ſita erat; quando urbem, Heracleæ nomine illuſtrem, quæ Tarſo, & Ciliciæ vicinior ſit, atque hæc Carica, aliam nullam reperimus.

Accedit alterum numiſma apud *P. Harduinum*, ita inſcriptum: Η. ΤΑ. ΑΔΕΛΦΩΝ. ΔΗΜΩΝ. *Heracleæ, & Tarſi Fratrum Populorum.* Ita legendum doctiſſimus ille Pater cenſuit, atque Caricæ quoque Heracleæ in notis meminit.

Atque hæc, cum pretioſo illo Severi numiſmate collata, ſuiſque momentis æſtimata, facile, mihi quidem, perſuadent: per *tres Provincias*, in numo noſtro obſcure indicatas, Cariam, Iſauriam, & Lycaoniam deſignari, quarum incolæ *Communem* cum Cilicibus *agonem Tarſi* celebraverint.

Reliquum eſt, ut, quid capitum imagines, coronæ impoſitæ, ſibi velint, expediamus. His ego opinor Septimii Severi Familiam referri. Quando enim Tarſenſes, in ejuſdem Familiæ honorem, ſeſe *Severianos*, & *Antoninianos* compellaſſe, e numis diſcimus; pronum conjectu, atque ex aliis numis perſpicuum eſt: ludos quoque, ac certamina in ejus Familiæ honorem inſtituta fuiſſe, quorum amplificandæ ſolemnitati Severi, & Caracallæ, quique hos proxime contingerent, imagines fuerint in publico conſtitutæ.

Undecim capitum formæ in tres veluti claſſes, ope literarum Γ. & Β. Coronæ etiam impoſitarum, diſtinguuntur. Quinque capita, quæ ſupremam claſſem obtinent, referre opinor Severum, ejusque Patrem, & Matrem, tum uxorem Juliam, & filium primogenitum Caracallam. Atque ſupremum in medio locum obtinere, arbitror, Caput Patris Severi, proximum ad dexteram, Matris: quæ duo tamen, cum attrita ſint; nihil certi dictum velim. Caput ad ſiniſtram primum Severi ipſius, proximum Caracallæ puto: quæ ambæ capitum imagines viros manifeſte exhibent. Alterum ad dexteram Caput Juliæ Domnæ deputo; cum ſimilem aliquem capitis ornatum, quo Auguſta hæc in numis

mis comparere solet, hic deprehendam: etsi non ita perspicue, ut in aliis mulierum Capitibus, de quibus in ordinibus sequentibus.

In altero Capitum ordine, ad dexteram, post literam B. clare primum Caput virum indicat, ambo reliqua mulieres, eleganti capitis, & quo Augustæ in numis solent, ornatu decoras. His repræsentari censeo Getam, alterum Severi ex Julia filium, ejusdemque duas sorores.

Tertius ordo post literam Γ. pariter masculæ formæ primum Caput, cum fœmineis duobus, iisque itidem comptulis, ostentat. His exhiberi suspicor Caracallæ filium, & binas filias. Sed est jam hujus distributionis mihi reddenda ratio, & quædam ulterius sunt exponenda.

Pater Septimii Severi Augusti erat Marcus Septimius Geta. Ejus prænomen discimus ex inscriptione arcus Septimii Severi, qui Romæ extat; cujus initio ita legitur: IMP. CAES. LVCIO. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO.

Cognomen prodidit *Ælius Spartianus*, *in vita Septimii Sev* ubi sub initium ita habet: *Severus*, *Africa oriundus*, *Imperium obtinuit*: *cui civitas Leptis*, *Pater Geta*. Matrem Severi mox idem Auctor nominat: *Mater Fulvia Pia*. Porro autem a Severo Patri statuas erectas fuisse idem *Spartianus in eadem vita* meminit.

Primam Severi uxorem, Marciam nomine, hoc in numo prætermissam puto, propterea etiam; quod ex ea liberos non suscepisset Severus. Quod enim *Spartianus* scribat: Caracallam ex prima uxore Severe natum; nemo jam credit: repugnante Dione, & ipsomet Spartiano hac in re secum pugnante.

Sola Julia Pia Domna, altera Severi uxor, hic exprimitur, ex qua geniti, Marcus Aurelius Antoninus Caracalla, & Septimius Geta, prænomine Lucius, & etiam Publius. Eadem Julia filiarum duarum e Severo mater fuit, quarum *Spartianus loco citato* mentionem facit: *Filias suas*

(Seve-

(Severus) *dotatas maritis Probo, & Aëtio dedit.* Eleganti quoque symbolo Numus æneus Juliæ Domnæ quatuor ejusdem proles repræsentat, apud Patinum exhibitus:

IVLIA. AVGVSTA. Caput Juliæ Domnæ.

FECVNDITAS Mulier semicincta, forte Venus, sub arbore decumbens; pone ipsam orbis, quatuor stellis ornatus, quem totidem parvulæ figuræ circumsistunt.

Deniq; de Caracallæ liberis agendum, de quibus puto idcirco aut dissensisse, aut siluisse Historicos; quod, si quis erat eidem filius, in tenera ætate mortem oppetierit: filiarum vero, quæ & ipsæ parvulæ fuerint, vix operæ pretium visum sit, mentionem injicere. Equidem *Spartianus* Caracallæ, *in ejus vita*, filium tribuit: *Filium reliquit, qui postea & ipse M. Antoninus Heliogabalus est dictus.* Sed *Dio in Macrino* Elagabalum Varii Marcelli, ex Soæmiade, filium facit. Neque vero ipse *Spartianus in Elagabali vita* certo affirmare jam audet, quod paulo antea scripserat. Quod si natus etiam esset Caracallæ e Soæmiade filius; credibile vix est, eum clancularii, & incesti amoris fructum publicis honoribus, ut in numo nostro, inter Familiæ Severianæ propagines affectum esse.

Igitur ab Historiographis veteribus ad marmora confugio, & ad numos; ut de Sobole Caracallæ paullo certiora referre possim. Inscriptionum complurium, Ephesi repertarum, & ab Anglis descriptarum, exempla mecum comunicavit R. P. C. E. Soc. Jesu, Vir Antiquitatum cognitione, & plurimarum linguarum peritia insignis, ejus vero exemplaris copiam ipsi fecit Illustr. D. Comes de Kinoull, Aulæ Britannicæ ad Ottomanicam Legatus: itemque Clarissimus Dñs De la Condamine, Academiæ Regiæ Scientiarum membrum dignissimum. Ex his tria marmora referam, quæ ad constituendum aquæ ductum, a Turcis procul dubio, adhibita, eo digniora sunt fide, quo minus hic ulla faciendi quæstus suspicio intervenit.

Inscri-

Inſcriptio arcus ſeptimi aquæductus.

Μ ΑΥΡΗΛΙΟΝ	ΦΑΔΙΛΛΑΝ	- - - - -
- - - ΟΝ ΣΕΒΑΣ	ΘΥΓΑΤΕΡΑ	ΘΥΓΑΤ
- - - - ΝΙΚΟΝ	Μ ΑΥΡΗΛΙΟΥ	- - ΜΑΤΡ
ΣΕΟΥΗΡΟΝ	ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ	- - ΑΝΤΩ
	ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ	ΚΑΙΣΑΡΟ

Quod ita, uti res ipſa monet, ſuppleo, & latine reddo: *Marcum Aurelium Antoninum Auguſtum*, *Britannicum*, *Severum*. Deinde: *Fadillam filiam M. Aurelii Antonini Cæſaris Auguſti*. Denique in tertia columna: - - - *Filiam M. Aurelii Antonini Cæſaris Auguſti*. En duas Caracallæ filias! hic enim, M. Aurelius Antoninus, alius dici, quam Caracalla, propter adſcriptum *Britannici*, & *Severi* titulum, nullo modo poteſt.

Inſcriptio arcus decimi quarti ejuſdem aquæductus.

ΑΔΡΙΑΝΟΝ	Hadrianum
ΥΙΟΝ Μ ΑΥΡΗΛΙΟΥ	Filium Marci Aurelii
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ	Antonini
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ	Cæſaris Auguſti.

Hic quoque Marcum Aurelium Antoninum Caracallam deſignari, vix eſt, quod ambigamus. Nam Marcus Antoninus Philoſophus dictus, duos tantum filios genuit, quorum nomina ſcimus. Alter enim Lucius, aut Marcus Aurelius Antoninus Commodus, alter Annius Verus, aut Veriſſimus appellabatur: quorum etiam numos habemus. Plures vero duobus non habuiſſe filios Marcum Aurelium, aperte *Herodianus lib. 1. ſub initium*, ita indicat: τῷ βασιλεύοντι Μάρκῳ θυγατέρες μὲν ἐγένοντο πλείους, ἄῤῥενες δὲ δύο. *Marco Imperatori filiæ quidem plures fuerunt, filii autem duo.*

 Neque

Neque vero hac lapidis Epigraphe, ſub M. Aureli Antonini nomine, Elagabalum intelligi, inde veroſimile fit; quod de Elagabali prolibus (qui ſedecim, aut duodeviginti annos natus, e vivis exceſſit) ne tenue quidem veſtigium reperiamus.

Caracallæ vero filium e Plautilla genitum eſſe, perſpicue teſtatur *Herodianus lib. 3.* ab *Angelo Politiano* latinitate donatus, *Edit. Lugdun. 1533.* Ita habet de *Plautilla* relegata: *Severus ipſam pariter cum filio, quem pepererat, relegavit in Siciliam.* Et quanquam alii, Græci textus Editores, legant: Καὶ τοὺ ἀδελφοὺ ἀυτῆς. *Et Fratrem ejus.* Et quanquam *Xiphilinus ex Dionis lib. 76.* referat: Plautillam, & Plautum, vel Plautium, Plautiani proles, relegatos *fuiſſe*; facile tamen id conciliari poteſt: ſi cum filiolo, & cum fratre in exilium miſſa dicatur Plautilla. Sane Angelum Politianum aut adeo ignorantem, aut adeo infidelem, incuriumve fuiſſe, ut loco *fratris*, *filium* poneret: adderetque de ſuo: *quem pepererat*; niſi in ſuo græco exemplari *legiſſet*: ϗ τοὺ ὑιοὺ ἀυτῆς, ὃν ἔτεκεν. mihi ego perſuadere non poſſum.

Denique pro aſſerenda Plautillæ prole, & probabilius maſcula (cum ſola in numo exprimatur) facere videtur Plautillæ numus perrarus, Cimelii Granelliani, quem inter argenteos aſſervatum, ita in averſa facie ſignatum offendi: VENVS. GENETRIX. Venus ſedens, ſiniſtra haſtam puram ſuſtinet, dextra pomum porrigit adſtanti, & manus attollenti parvulo.

Jam vero, quisnam, quove nomine, an ex *Plautilla*, aliave uxore, Caracallæ filius: an fortaſſe Elagabalus (qui a morte Caracallæ, pro Antonini filio obtruſus erat) in hoc noſtro numo ſignatus ſit; decidere neque poſſum, neque digeſtus a me, & expoſitus Capitum ordo deſiderat: ad quem comprobandum ſatis erat, duas Caracallæ filias, unumque filium e veterum monumentis produxiſſe.

Unicus

Unicus etiam ſcrupulus, qui de marmoris, primo loco adducti, expoſitione hærere poſſet, eſt ad extremum Lectori eximendus. Marco Aurelio Antonino Philoſopho duas, atque adeo plures fuiſſe filias, & quidem natu maximam, Fadillam dictam, *Herodianus lib. 1.* fidem facit. Conſtat item e *Xiphilino:* Severum in Marci familiam aſſumptum eſſe. Ex his conjicere fortaſſe aliquis poſſet: in illo marmore, cum Caracalla, ſuperſtites adhuc duas Marci filias, & priore loco Fadillam, majorem natu, honorari.

Sed his facile occurritur. Primum ſi Fadilla dicta eſt Marci filia, nihil obeſt, cur non ita Caracallæ quoque filia appellaretur; imo vero familiæ Marci, cum Severiana familia nexus, id probabilius reddit. Deinde quam inſolitum, & incongruum id foret, ſi ſolus Caracalla Auguſtus, cum duabus Marci filiabus, in marmore collocaretur; nemo non videt. Denique ſi Marci filias potius, quam Caracallæ, hoc marmore veteres honoraſſent; addidiſſent profecto, eas eſſe *Divi* M. Aurelii Antonini filias, præſertim in his circumſtantiis, ubi facile, ob ſimilitudinem nominis Antoniniani, confuſio oriri poſſet. Quod ne a me citra rationem allatum putetur, aliud, idque tertium, uti recepi, marmor producam, quod Fadillam, Marci filiam, ut opinor, cum Divi titulo exhibet.

Supra lapidem inverſum quinti arcus aquaductus.

ΦΑΔΙΛΛΑΝ	Fadillam
ΘΥΓΑΤΕΡΑ	Filiam
Μ ΑΥΡΗΛΙΟΥ	Marci Aurelii
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΘΕΟΥ	Antonini Dei *vel Divi*
ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ	Cæſaris Auguſti.

ιγ.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CЄ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Severus Antoninus.* Caput laureatum Caracallæ.

ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Traianopolitarum.* Cista, ex qua serpens promicat.

Ejusmodi cista ad Bacchi cultum, & nefanda mysteria pertinebat, unde & numi, argentei præsertim, *Cistophori* dicti sunt. Præclaram Dissertationem *De Cistophoris* edidit *R. P. Panelius S. J.* typis datam *Lugduni 1734.* Numus noster est minimi moduli.

ιδ.

ΑΥΤ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC. CЄΒ. *Imperator Cæsar Marcus Aurelius Antoninus Augustus.* Caput laureatum Caracallæ, vultu imberbi.

ΓΡ. ΑΥΡ. ΜΕΝЄΚΡΑΤΟΥC. ЄΥΤΥΧΙΔΟΥ. ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. ΝЄΩΚΟΡΩΝ. ΤΩΝ. CЄΒΑCΤΩΝ. In tribus Coronis, mensæ impositis: ΟΛΥΜΠΙΑ. ΑΥΓΟΥCΤЄΙΑ. ΠΥΘΙΑ. *Scriba Aurelio Menecrate, Eutychidis filio, Trallianorum, Æditurorum Augustorum:* nempe Severi, & Caracallæ. *Olympia, Augustalia, Pythia.*

Auro contra charus est hic bene magni moduli numus, elegantissimus, & integerrimus, quique inscriptionis verba pleraque, integre scripta, exhibeat. Tanta Ludorum solemnitate, ac varietate, in ære consignata, & Neocoratus utriusque Augusti professione, videntur Tralliani initum a Caracalla, cum Patre, Imperium, aut recurrentem annua solemnitate Imperii diem celebrasse: qua de re ad Anazarbensem Traiani Decii numum plura retulimus.

ιε.

- - - - ΟΠЄΛΙ. ΔΙΑΔΟΥΜЄΝΙΑΝΟC. *Marcus Opelius Diadumenianus.* Caput ejusdem nudum.

Υ. Μ. ΑΓΡΙΠΠΑ. ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟΝ. *Sub Marcio Agrippa, Nicopolitarum ad Istrum.* Mercurius nudus

stans

ſtans, d. crumenam, ſ. ſtrophium geſtat, & forte Caduceum. Mediæ formæ eſt.

ιϛ.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥΡΗ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. *Imperator Caſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput Elagabali laureatum.

- - - - ΥΛ. ΑΝΤ. ϹΕΛΕΥΚΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. *Sub Julio Antonino, Seleuci filio, Marcianopolitarum.* Æſculapius ſtans, d. baculum attinet, ſerpente obvolutum. Typum hujus, & ſuperioris numi jam alibi propoſuimus: hic numus eſt mediæ formæ.

ιζ.

ΑΥΤ. Γ. Μ. ΑΥΡ. ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ. *Imperator Caſar Marcus Aurelius Antoninus.* Caput laureatum Elagabali.

ΝΙΚΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤΡΟΝ. *Nicopolitarum ad Iſtrum.* Botrus, uberem vini proventum indicans. Eſt numus minimi moduli.

ιη.

- - - - ΑΛЄΞΑΝΔΡΟϹ. *Alexander.* Caput laureatum Severi Alexandri.

ΜΗΤΡΟΠΟ. ΚΑΙ - - - *Metropolis Cæſareæ.* Caput muliebre, tectum ſimulacro montis Argæi, in quo ſpecus. Sub Gordiano ſimilem fere figuram exhibet Patinus; illic tamen Caput virile comparet, & Argæus ſine ſpecu. Numus noſter eſt medii moduli.

ιϑ.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ΑΥΤ. *Imperator Cæſar Marcus Antonius Gordianus Auguſtus.* Caput Gordiani Pii laureatum.

ΥΠ. ϹΑΒ. ΜΟΔЄϹΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛЄΙΤΩΝ. ΠΡΟϹ. ΙϹΤ. *Sub Sabino Modeſto, Nicopolitarum ad Iſtrum.* Mercurius nudus ſtans, d. crumenam, ſ. ſtrophium, & Caduceum. Medii moduli, ejus figura obvia eſt.

x.

Eadem, quæ in præcedente, capitis figura, & inscriptio.

ΥΠ. - - - - ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡ. *Nicopolitarum ad Istrum.* Ceres stans, d. spicas, f. facem longam. Est medii moduli.

x a.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟC. *Imperator Cæsar Marcus Antonius Gordianus.* Caput ejusdem laureatum.

ΥΠ. CΑΒ. ΜΟΔΕCΤΟΥ. ΝΙΚΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. ΠΡΟC. ΙCΤΡΟΝ. *Sub Sabino Modesto, Nicopolitarum ad Istrum.* Aquila, rostro coronam gerens, basi insistit, utrimque signum militare adstitutum. Mediæ formæ numus: similem fere typum dedimus in numo Marci Aurelii, Nicææ percusso.

x ϛ.

Μ. ΙΟΥΛ. ΦΙΛΙΠΠΟC. Κ. *Marcus Julius Philippus Cæsar.* Caput nudum Philippi Junioris.

ΙΟΥΛΙΟΠΟΛΕΙΤΩΝ. *Juliopolitarum.* Tria signa militaria, quorum cuilibet imposita est corona. Numus est minimi moduli, cui similem typum exhibuimus in numo Maximi Cæs. a Nicæensibus signato.

O. A. M. D. G.



Index



INDEX
REGIONUM, ET URBIUM,
QUARUM
Numi producti sunt in utraque Appendicula, & Auctario:
Adjectis Nominibus Augustorum, & Cæsarum.

Septi-

Hadria-

Philipppi, Julia Augusta, Colonia, in Macedonia.
Commodi. 95.
Φιλιπποπολιτῶν. *Philippopolitarum, in Thracia.*
Antonini Pii. 195.
Ejusdem. 196.
Faustinæ Jun. 215.
Commodi. 229.
Ejusdem. 230.
Septimii Sev. 148.
Juliæ Domnæ. 254.
Juliæ Paulæ. 304.

X.

Χαλκιδέων Φλαυιέων. *Chalcidensium, Flavianorum, in Cœlesyria.*
Hadriani. 186.

F I N I S.



ζ.





γ.



ε.






ι.



ια.





δ



ιζ.



ιη.



Addenda, & Corrigenda.

Pagina	Linea			
5.	27.	libram	*adde*	vel orbiculus unciam.
18.	17.	ſed	*adde*	non.
41.	7.	poſt 442.	*adde*	Æram propriam Tyriorum Norisius inchoat an. 628.
75.	28.	obſervata	*lege*	obverſata.
102.	5.	MVNICI	*lege*	MVNICIPI.
110.	12.	ἀγώνας	*lege*	ἀγῶνας.
186.	ante Num. XXVII. omiſſa eſt imago numi, quæ tamen nihil rari exhibet.			
206.	11.	fraterni	*lege*	fraterno.
283.	3.	ſequentem	*adde*	Num. CLXXV.
306.	12.	ὐφηλοτάτῳ	*lege*	ὑψηλοτάτῳ.

Alia, ſi qua occurrent, Benevolus Lector corriget.

L. D. S.

DUBIA
DE
MINNISARI
ALIORUMQUE
ARMENIÆ REGUM
NUMIS
ET
ARSACIDARUM EPOCHA
NUPER VULGATIS
PROPOSITA

PER ERASMUM FROELICH S. J. S.





VIENNÆ AUSTRIÆ,

Typis JOANNIS THOMÆ TRATTNER, Cæs. Reg. Aulæ
Typographi, & Bibliopolæ, MDCCLIV.



DUBIORUM OCCASIO.



Anno isthoc labente MDCCLIV Liburni publicam in lucem prodiit liber multiplici eruditione, & ingenioso conjecturarum nexu insignis, a Viro doctissimo, clarissimoque Rdssmo P. Eduardo Corsino Cl. Reg. Scholarum piarum, in Academia Pisana humaniorum literarum Professore, hac epigraphe, conscriptus: *De Minnisari, aliorumque Armeniæ Regum nummis, & Arsacidarum Epocha Dissertatio.*

Præclari operis ea summa est: Numus primum vulgatus *Regis Minnisari*, tribuitur *Manisaro*, cujus apud Dionem fit mentio: Manisarus iste *Rex Armeniæ* vocatur, eique Numus *Minnisari Regis*, nomen-

que applicatur. Notæ numericæ, in prædicto numo, Æræ Parthicæ Arſacidarum adſcribuntur, & Æræ Parthicæ initium tribuitur circiter anno ante Æram Chriſtianam CCXXIX. V. C. DXXV., contra, quam hactenus VAILLANTIUS, aliique ſtatuerint.

Denique de Numo *Arſamis* diſceptatur, isque Ciliciæ præfecto, aut Arſaci Armeniæ Regi vindicandus cenſetur. Eruditæ huic Diſſertationi elegantem numismatis, antea non vulgati, iconem, novumque Æræ Arſacidarum initium indicatum debemus, præter complura erudite, acuteque obſervata, detectaque.

Enim vero uti laudes uberrimas Eruditiſſimo Auctori lubens merito attribuo, ita in ſententiam ejusdem, candido veritatis ſtudio, concederem; niſi dubia mihi ſuccurriſſent aliqua, quæ propenſi animi aſſenſionem ſuſpendendam admonebant. Modeſte itaque dubia illa proponenda putavi, ut explicatis ambiguis, ad perſpicuæ, aut quæ ei proxima ſit, veritatis partes tranſitum mihi, aliisque complanarem. Ita quidem non tam adverſarii, quam ejus, qui a doctioribus inſtrui cupiat, perſonam ſuſtinebo. In tres Partes diſceptatio omnis diſtributa eſt: I^ma^ de Numismate Minniſari, & Maniſaro: II^da^ De Æra Parthica: III^tia^ De Numis Regum Armeniæ, ac de Arſamis numo tractabitur.

PARS

PARS I.

De Numismate Minnisari, & Manisaro.

DUBIUM I.

Sitne Numi, a Cl. Corsino propositi, lectio certa: Minnisari?

De Numi Minnisari, ab se proposito iconismo, ita Cl. Corsinus (a) „ Nihil est sane, quod „ in exprimenda praesertim numismatis facie, ejus- „ que characteribus accurate exsculpendis optan- „ dum reliquerim. Etenim non modo ectypam „ ipsius imaginem diligenter expressi, quae olim Ro- „ mae excepta a Te (a Cl. Venuto) fuerat, dum „ Nummus ipse a Palatio, non inglorio antiquita- „ tis cultore, asservabatur, mihique perhumaniter „ concessa a Te fuit; verum etiam imaginem ipsam „ cum argenteo nummo conferre mox volui, quem „ in uberrimo, ditissimoque rariorum Numismatum „ thesauro Stoschiano Florentiae conspexi.)

Laudabilis plane, ac necessaria industria, ut ectypa duntaxat imago, cum numo ipso contenderetur; praesertim cum *Stoschianum* numisma aut idem esse cum *Palatiano* videatur; quando figurae omnes, no-

(a) *Corsini Dissertatio : praefationis pag. IV. & V.*

notæque, atque ipsæ literæ, in vocabulo ΒΑΣΙΛΕΩΣ extritæ, ad amussim conveniunt: aut sane numismata ambo eodem typario procusa fuisse res ipsa fere prodat.

Dubium itaque molestissimum mihi subortum est: rectene lectum sit nomen: *Minnisari, in ectypa imagine:* ΑΣΙΛ. ΜΙΝΝΙΣΑΡ. ϹΩΤΗΙΡο. ΤΛΓ. quando in ipso prototypo STOSCHIANO legitur: ΑΣΙΛ. ΑΔΙΝΝΙΓΑο: ϹΩΤΗΡ□Ϲ. ΤΛΓ. *Regis Adinnigai* . . . Nam cetera omnia plane gemina sunt. En igitur iconismum numismatis *Stoschiani, Ænei, non argentei*, quod ipso Cl. Barone STOSCHIO liberaliter præbente, Doctissimus ANTONIUS FRANCISCUS GORIUS delineandum curavit, atque ad me misit, manu sua testatus, peraccuratum hunc esse iconismum.

Vide Tabulam Numismatum Num. I.

Cum itaque plus tribuendum sit *Numismati ipsi*, quam *ectypæ imagini olim acceptæ*, & cum numo ipso indiligenter collatæ, aut ejus dissimulata diversitate; profecto dubitare magnopere licet: utrum ex ADINNIGAO, vel simili saltem vocabulo, MANISARUS enasci probabiliter possit?

DU-

DUBIUM II.

Anne Manisarus Dionis, Rex dici satis tuto possit?

Sed demus, loco Adinnigai legi posse: Minnisari, si fingatur Tò M male per ΛΔ expressum in numo barbaræ fabricæ: item si ponamus in Γ desiderari lineam inferiorem, item loco P facili lapsu O positum fuisse: quæ quidem ego omnia ita immutare non auderem, rem novam asserturus. Quod si adeo barbaræ fabricæ essent hæc numismata, nihil verisimile ex iis extundi pro Manisaro posset. Demus inquam Minnisarum legi posse, & admodum simile esse Manisari nomen. Hæreo tamen anxius, satin' tuto ΒΑΣΙΛΕΩΣ *Regis* titulus, tribuatur Manisaro, qui in numismate isto, Minnisaro (Adinnigao) adscriptus cernitur.

Equidem Cl. Corsino dubium vix occurrisse videtur, dum scripsit: (b) „ A Dione solum, „ quidam Manisarus Armeniæ, ac Mesopotamiæ „ REX memoratur: ac Minnisari nostri ætas, æra „ nempe nummo inscripta, cum ejus Manisari „ ætate mire conspirat, nullus propemodum du- „ bito, quin nummus iste, quem illustrandum su- „ scepi,

(b) *Dissertationis pag. 3. item pag. 29.*

„ ſcepi, ad Maniſarum Armeniæ REGEM, a Dio-
„ ne memoratum referri debeat.) Et alibi confidentia majore „ ſed unus tamen idemque cenſen-
„ dus erit MANISARUS ille, qui a Dione memoratur,
„ & MINNISARUS in noſtro nummo expreſſus, qui in
„ Armenia imperavit anno V. C. 858.

Si DIO CASSIUS, qui ſolus MANISARI meminit, eundem REGEM appellaſſet, nullus dubitarem de Maniſaro *Rege;* verum locus DIONIS, qui *Regem* præpotentem probare videtur MANISARUM, neque DIONIS ipſius verba complectitur, ſed THEODOSII excerptis conſtat: neque locus ille ſatis ſanus, aut ſatis integer eſt; ſed quæ de MANISARO dici, deque Armenia, & Meſopotamia videntur, ea ad CHOSRÖEN Parthorum Regem propemodum certo ſunt referenda. Ita vero DIONIS locus habet: „ Cum au-
„ tem veniſſet in Meſopotamiam Trajanus, jam-
„ que miſſi eſſent de pace præcones a Mano, & Ma-
„ niſaro (quod eidem Hosröes bellum inferret)
„ mittente, & paratum ſe ſe oſtendente ut dece-
„ dat Armenia, & Meſopotamia captis: nec ei-
„ dem ſe prius fidem habiturum (TRAIANUS) re-
„ ſpondit, quam profectus ad ſe, promiſſa factis
„ conſtabiliret: & Manum ſuſpectum habebat, tum

gi

„ quod auxiliares copias Mebarſapæ Adiabenes Re-
„ gi miſiſſet, tum quod - - -) (c)

Hic primum Manisarus non compellatur ΒΑΣΙΛΕΥΣ REX, quo titulo mox honoratur Mebarſapes, Adiabenes Rex. Quod ſi Armeniam, & Meſopotamiam ab ſe occupatas tenuiſſet Manisarus, profecto præ Mebarſape *Regis* titulus eidem erat adſcribendus. Verum vitioſus præterea eſt hic locus, atque narrationi Theodosii deeſſe videtur aliquid, quo reſtitutio Armeniæ, ac Meſopotamiæ ad Chosröem referatur, qui Armeniam, Exedari ereptam, Parthamaſiridi fratri ſuo tribuerat, ipſo Cl. Corsino (d) id confitente.

Sed ego partium ſtudio fortaſſe adducor, ut Theodosii ex Dione locum ita accipiendum cenſeam? Sumatur igitur cauſæ arbiter, ab ipſo Cl. Corsino merito dilaudatus, atque in hujusmet hi-

(c) *Excerpta Theodoſii ex Dionis lib. LXVIII. pag. 780. edit. Wechel. Græca ita:* Τῦ δὲ Τραιανῦ ἐς Μεσοποταμίαν ἐλθόντος ϗ τῦ Μάνυ ἐπικηρυκευσαμένυ, ϗ τῦ Μανισαρυ πρέσβεις ὑπὲρ εἰρήνης, διὰ τό τὸν Ὀσρόην ἐπιςρατεύειν αὐτῷ, πεμψαντος, ϗ τῆς τε Ἀρμενίας ϗ τῆς Μεσοποταμίας ἑαλωκυίας ἀποςῆναι, ἑτοίμως ἔχοντος; Οὔτε ἐκείνῳ πιςεύσειν τί ἔφη, πρὶν ἀπελθὼν πρὸς αὐτον, ὥσπερ ὑπισχνεῖτο τοῖς ἔργοις τὰς ἐπαγγελίας βεβαιώσῃ. καὶ τὸν Μανον ὑπώπτευσεν, ἄλλως τε ὅτι ϗ συμμαχίαν Μηβαρσάπῃ τῷ Ἀδιαβηνῆς βασιλεῖ πέμψας - - .

(d) *Diſſertat. pag. 3. 4.*

ſtoriæ decurſu ſingulari encomio decoratus: Tillemontius quo certe nemo ſubtilius, atque accuratius hanc temporum, rerumque geſtarum ſeriem exploravit.) (e) Tillemontius itaque (f) poſteaquam Manisari (quem *Dynaſtam aliquem* iis in regionibus appellat) legationem ad Trajanum ex controverſo iſthoc Dionis loco expoſuit, deinde ſubjungit: (g) „ Sententia ſeu contextus Dionis „ indicat: Maniſarum obtuliſſe (Traiano) ceſſio„ nem Armeniæ, & ejus, quod in Meſopotamia „ occupatum erat. Sed hoc admodum male co„ hæret; neque enim alius id offerre, præterquam „ Chrosöes poterat.) Itaque Tillemontio arbitro, (qui in aſſerendo & caſtigando modum tenere ſemper ſolet) neque REX fuit Manisarus, neque Regiæ potentiæ argumentum deſumi ex prædicto Dionis loco poteſt, adeo male cohærente.

DU-

(e) *Diſſertationis pag. 6.* (f) *Tillemont Hiſtoire des Empereurs Tom. II. pag. 193. Trajani Artic. XX. Maniſare, qui étoit quelque Seigneur de ces quartiers la.* (g) *Tillemont ibidem pag. 194.: Le texte de Dion porte, que ce Miniſare offroit de ceder l'Armenie, & ce qui étoit conquis dans la Meſopotamie. Cela ſe ſuit trés mal, & il n'y avoit que Chosróes, qui pût faire une telle offre.*

DUBIUM III.

Si Rex fuisset Manisarus, utrum credibile sit, Armeniæ Regem fuisse?

QUod si rursum liberaliter demus, Regem fortasse dici potuisse MANISARUM; Reliquum erit dubium, utrum ARMENIÆ REX probabiliter a CL. CORSINO sit compellatus. Scriptoris veteris testimonium nullum suppetit, præter DIONIS locum illum, cui TILLEMONTIUS, quam æquus judex, quamque in definiendo cautus! jus suffragii diserte abrogavit. Quod si TILLEMONTIO non acquiescat fastidiosus aliquis, ipsum CL. CORSINUM testem adduco, quo evincam, ex Dionis auctoritate deduci non posse: MANISARUM ARMENIÆ REGEM fuisse. EN seriem *certorum* Armeniæ Regum inde ab Neronis temporibus, ad priorem Trajani expeditionem in Mesopotamiam, Armeniam, & Parthiam, verbis CL. CORSINI: (h.) „ Tiridati, qui „ Armeniæ Regnum anno V. C. 819. a Nerone „ obtinuerat, Exedares filius successerat. Exe„ darem autem hunc Chosröes Parthorum Rex „ Armenia spoliavit, ut regnum illud Parthamasi„ ridi tribueret. - - - - Quum vero Trajanus imperii

(h) *Dissertationis pag.* 3. & 4.

„ perii Romani jura, ac Majeſtatem violatam eſſe
„ cenſeret, quod Armeniæ rex Parthamaſiris (non
„ Exedares ut putavit Tillemontius) a Parthis in-
„ intruſus, non a Cæſare electus eſſet, anno V. C.
„ 859. bellum Parthis illaturus conceſſit.)
Porro idem Cl. Diſſertator ex Dione narrat: a Trajano ſpem omnem Regni Armeniæ retinendæ ademtam fuiſſe Parthamasiridi, qui diſſimulato antea Regis titulo ultro ſe Trajano ſtiterat. His adjungo aliam rem, quæ huc plane facit, ex Cl. Corsino: (i.) „ Accedit etiam, quod ubi pri-
„ mum Trajanus in orientem pervenit, Choſröis
„ ac Parthorum res mire florebant.

Cuivis jam judicandum relinquo, ſitne ulla ratione probabile, hoc rerum ſtatu, certo Armeniæ Rege Parthamaſiride, quem Choſrois fratrem, (non nepotem) Cl. Corsinus nominat: (l.) florentibus maxime Choſrois rebus, Armeniam, & Mesopotamiam poſſediſſe Manisarum neſcio quem, atque de his Provinciis Trajano ab ſe reddendis per legatos Manisarum potius, quam Choſröem egiſſe? Porro autem locus ille vitioſus Theodosii ex Dione, aliud nihil de Manisaro refert, neque alio tem-

(i) *Diſſertationis pag. 5. ad finem.* (l) *pag. 4. ſub initium.*

tempore Manisari mentionem ullam facit quam priore isthac Trajani in orientem expeditione.

Quod vero CL. CORSINUS, ut suæ Æræ Parthicæ faveat, Manisarum intra annos V.C.853. & 859. partem ARMENIÆ, & MESOPOTAMIÆ (etsi DIONIS locus non partem, sed ARMENIAM, & MESOPOTAMIAM occupatas perhibeat) occupasse conjectet, id an quisquam, sine certiore ullo scriptoris veteris testimonio crediturus sit, dubitare non desino.

DUBIUM IV.

An propositi nummi species suadeat, eundem Armeniæ, aut Parthici generis Regi tribuendum.

NIhil argumentorum prætermittendum censuit CL. CORSINUS, queis probabile ostenderet: MINNISARI sui numisma ad Armeniæ Regem, eumque Parthis aliqua ratione obnoxium pertinere. Ipso præclaræ Dissertationis initio ita ex numismatis modulo, ac metallo conjiciendi initium facit, quo MINNISARI numisma referendum sit: „ Minnisari Regis numus, quem ipse omnium primus „ in lucem hic profero, *argenteus, ac tetradrachmus* „ est: cujusmodi fere *plerique Parthorum*, atque AR-

„ MENIORUM regum nummi esse solent.) Primum Stoschianus ADINNIGAI numus æneus, aut fors subæratus est: deinde non possum non de utraque assertione magnopere dubitare. Parthiæ regum in *Vaillantii historia Arsacidarum* plures proferuntur parvi moduli, argentei numi, quam magnæ formæ, seu plures unius drachmæ, quam drachmarum quatuor. Inter Arsacidarum numos argenteos triginta & octo, quos rara felicitate simul omnes FRANCISCUS IMP. AUG. acquisivit, non nisi quinque tetradrachmi sunt, ceteros omnes, sextuplo plures, drachmales, seu parvi moduli esse, oculatus testis assevero.

Armeniæ Regum *certos* numos alios non inveni, (præter duos vel tres *æneos*, quos inferius producturus sum) nisi Tigranis. Quotquot porro Tigranis numos noveram, aut ipse inspexeram, recensui in opusculo meo: *Annales Compendiarii Regum, & rerum Syriæ.* (m.) Argenteos magni moduli, seu tetradrachmos Tigranis non nisi unius typarii, apud VAILLANTIUM (n.) deprehendi: æneos vero, ac parvi moduli, diversæ aliquantum rationis, omnino quatuor exhibui.

Sed

(m) Annalium pag. 115. & Tabula figurarum: XVI. (n) In Historia Seleucidarum, in Tigrane ad initium & finem ejus vitæ, pag. 388. & 400. Paris. 1681.

Sed est hoc de re levi, etsi non leve, dubium, soleantne plerique PARTHORUM, atque ARMENIORUM regum numi esse argentei tetradrachmi. Fortasse de Syriacis Seleucidarum regum numis tum cogitabat CL. CORSINUS, quorum plerique numi argentei *tetradrachmi* esse solent: rari vero sunt didrachmi, & drachmales. Quare argumentum a modulo, & metallo *numi Minnisari*, eum potius ad Seleucidarum rationem, & Æram revocandum suadent.

Gradum jam faciamus ad ea, quæ majoris sint momenti. MINNISARI sui numisma persimile esse numis MONNESIS, Parthorum, sive Armeniorum regis, CL. CORSINUS prædicat. (*) „ Si regis facies huic numo impressa cum ceteris hactenus „ vulgatis Regum vultibus conferatur, nulli propemodum similis deprehendi illa poterit, quamvis promissa coma, barba, ac diadema in plerisque Arsacidarum nummis occurrant.

Dubito, an non *sola barba* Arsacidarum ad similitudinem numi MINNISARI referri possit; nam diadema aliud est in Parthicis numis, & in Monne-

(*) *Dissertationis pag. 3.*

nesis numo: ac non raro caput Parthorum mitra tegitur. Coma vero Minnisari (seu Adinnigai) ita peregrino, lepidoque cultu composita est, aut contecta; ut nulli omnino Parthiæ, aut Armeniæ regum numismatico capiti comparari possit. Barbatum vero, ac diadematum caput etiam Seleucidas inter Syriæ reges videre licet Seleuci II, Demetrii II. Antiochi IX. Demetrii III. Antiochi XIII. (o) Neque vero Arsacidæ omnes barbato vultu, aut promissa cum barba comparent.

Sed pergamus ad alteram numismatis novi faciem, quæ forte Herculem sedentem exhibet. „ Hic „ ipse tamen (*prosequitur Cl. Auctor*) adversæ partis „ typus in duplici Monnesis Parthorum, sive Ar- „ meniorum Regis nummo conspicitur, quorum al- „ ter a Vaillantio, cum epocha Υ Κ Β, altera „ Maffejo describitur cum epocha ΥΚ Ε. atque „ ita in utroque legitur: ΒΑϹΙΛΕΩϹ. ΜΟΝ- „ ΝΗϹΟΥ. ΣΩΤΗΡΟϹ. *Regis Monnesis Servatoris.*

Dubitatur, num integre hæc relata sint? nihil ne suppressum, quo similior Minnisari numus Monnesis numis videatur? Nam in Vaillan-

tii

(o) *Annales compend. Regum & rerum Syriæ Tab. V. VIII. X. XIII. XV. XVI*

TII numo Monnesis eſt titulus major: BACIΛЄωC. BACIΛЄωN. *Regis Regum*: præterea tam apud Vaillant additur ЕПIФANOϒΣ., quam apud Maffejum adjunctus legitur præterea titulus EϒEP-ΓETOϒ Benefici, poſt ΣΩTHPOΣ. Itaque apud Vaillant legimus: (p)

BACIΛEωC. BACIΛEωN. MONNHCOϒ CωTHPOC. EПIФANOϒC. ϒ K B.
Regis Regum Monneſis Servatoris Illuſtris. anno 422.

Apud Maffeium: BACIΛEΩC. MONNH-COϒ. CΩTHPOC. EϒEPΓETOϒ. ϒ K E.
Regis Monneſis Servatoris Benefici: anno 425.

Eſt quoque characterum forma in ω, & O, & C, alia in Minnisari, vel Adinnigai numis. Hæc diverſa, ſed diſſimulata, numorum ratio ambiguum me relinquit, ſitne omnino ſuffragandum illis doctiſſimi Corsini verbis: (q.) „ Itaque hæc
„ *maxima affinitas*, quæ inter Monneſis, ac Min-
„ niſari nummos reperitur; ſive diadema, crines,
„ & barbam, ſive potius characterum ordinem,
„ ſitum, atque æram, præſertim vero adverſæ par-

C tis

(p) *Vaillant Regum Parthorum hiſtoria Tom. I. pag. 339. edit. Paris. 1725.* (q) *Diſſertationis pag. 2.*

„ tis typum consideres, facile, ut opinor, certo-
„ que ostendit, Minnisarum hunc Armeniæ, aut
„ Parthiæ regibus accensendum esse, quibus Mon-
„ neses ipse Vaillantio, ac Maffeio judice adscribi
„ debet.

Vaillantius pag. 339. Monnesen Regem Parthiæ, non Armeniæ, facit: Maffeius Epist. XXII. dubitat, an Regi Parthis dato sub Trajano, an Monnesi nobili Partho, anne Manisaro Dionis tribuat, quem tamen Armeniæ regem non creat.

Mitius jam hic locutus est Cl. Auctor, *& potius affinitas maxima*, inter laudatos numos, redit denique ad *characterum ordinem*, *situm*, *& æram*, *ac typum* Herculis sedentis, & clavam tenentis, quem in Vaillantii numo Monnesis similem concedo numismati Adinnigai, seu Minnisari; sed Maffeius non nisi figuræ nudæ sedentis meminit. Enim vero barba, diadema similius, *characterum ordo & situs*, & æræ modus, vel numerus, singula Seleucidarum numis æque convenire possunt: atque Herculis sedentis & clavam tenentis *typum* sub Antiocho II. Syriæ Rege in *argenteo numo* tetradrachmo ego

ego quoque, fortaſſe primus, protuleram, (r) cum capite diademato, ſimilique literarum ordine, ac ſitu. Denique in Seleucidarum Syriæ regum numis titulus ΣΩΤΗΡΟΣ, SERVATORIS (qui ADINNIGAO, ſeu MINNISARO adſcriptus eſt) legitur, cum in argenteo tetradrachmo, tum in æneo minore Antiochi I. SOTERIS, tum aliis Demetrii I. numis vel ſolus ΣΩΤΗΡΟΣ titulus, vel aliis ſubjunctus.

Comparatis itaque omnibus dubito, an non ad Seleucidarum numiſmatum potius, quam ad Parthicorum vel Armeniacorum ſimilitudinem ADINNIGAI, vel MINNISARI numiſma accedat. De numis porro Armeniæ regum maximus me urit ſcrupulus. Certi regum Armeniæ numi hactenus producti non ſunt, niſi Tigranis; at ii imberbem exhibent vultum, caput cidari quadrata, & coronata obtectum: in averſa parte nullam æram, & præterea typum longe alium, vel mulieris turritæ ſedentis cum emergente ad pedes fluvii figura, vel Victoriæ gradientis; ut plane de Armenia plusquam dubium mihi videatur, ad ejus nempe reges numiſma novum nullo modo eſſe referendum. Hac igitur Prima parte ſolvenda proponuntur dubia; fidendumne ſit lectioni: MINNISARI, in novo numiſmate?

(r) *Annales Compendiarii Regum & rerum Syriæ Tab. IV.*

te? deinde an idem numiſma ſit MANISARO DIONIS tribuendum, isque ARMENIÆ REX dici poſſit, aut an ulli denique ARMENIÆ REGI hoc numiſma convenire videatur?

PARS II.

De Æra Parthica.

DUBIUM I.

Utrum omnes Chronologi, & Frœlichius, Vaillantii Æram Parthicam adoptent?

VAILLANTIUS Æræ Parthicæ initium in HISTORIA REGUM SYRIÆ (s) deduxit ab anno V. C. 504. ante Chr. 250. Sed in HISTORIA REGUM PARTHORUM (t) ab anno V. C. 498. Ante Chr. 256. utrumque initium ſub Antiochi II., Θεοῦ dicti, regno Syriaco continetur. In ea ſententia de Æra-Parthica fuiſſe præter VAILLANTIUM, ac poſt eundem, *omnes Chronologos*, *ac eruditos*, CL. CORSINUS diſerte pronunciat: (u) „ Quod a Vaillantio, ceterisque Chro-„ logis omnibus æræ Parthicæ initium ab anno V. C.

(s) *Pag.* 48. & *in Canone Chronologico præfixo.*
(t) *Pag.* 2. *edit. in* 4. *Pariſina.*
(u) *Diſſertationis pag.* 11.

„ V, C. 498. ſive 504. ducebatur) Item alibi „ (x) ceteroſque Eruditos omnes in hanc ſententiam abripuit) nempe VAILLANTIUS de anno V. C. 498. Denique enumerando quoſdam ita „ ſcribit: (y) Præſertim vero ut celeberrima Arſacidarum Epocha Uſſerio, Petavio, Noriſio, „ Spanhemio, Vaillantio, Frœlichio, doctiſſimis „ nempe viris probata refelleretur.) Habitis primum doctiſſimo CORSINO gratiis, quod me tantis viris, præter mea merita, adnumerare dignetur; dubia duo ſubnaſcuntur: anne ego, anne Eruditi omnes citra exceptionem Vaillantio aſſentiantur.

Me quod attinet, binis in opuſculis Æræ Parthicæ mentionem feci: in altero nihil definivi (z) ſed poſteaquam Regum Parthiæ numos propoſui, ſubjunxi: „ Si calculum Vaillantii ſequamur, qui „ initium Æræ *primæ* (vel ſolius) Parthicæ conſtituit anno ante Æram 256. - -) Igitur quæcunque deinceps de Æra Parthica dixi, ea in *hypotheſi* accipienda ſunt: *Si calculum Vaillantii ſequamur.*

Sed a Vaillantii ſententia me non ita cæco

 im-

(x) *Ibidem pag.* 20. (y) *Præfationis* [illegible] *diſſert. pag.* III. & IV.
(z) *Regum Veterum numiſmata pag.* 6[illegible].

impetu abreptum fuiſſe, ſed propemodum in Pyrrhonismum Chrono-parthicum me incidiſſe, declaravi in ea opella, quam de Syriæ Regibus conſcripſi. (a) ubi diverſa Æræ Parthicæ initia indicavi; tametſi in eam ſententiam potius inclinaverim, quæ circa Antiochi Θεοῦ finem, & Seleuci II. initium Æram Parthicam ex diſerto EUSEBII temporis charactere conſtituit ad annum Olympiad. CXXXIII. primum, qui cum anni V. C. 506. & ſequentis parte congruit, quo Antiochus II. deceſſit. Denique *tertiæ* (de celebrioribus) *& maxime ſolemnis Æræ Parthicæ*, ſub Seleuco II. mentionem feci, & in *Annalibus* ad an. Ante Chr. 238. & fuſe in *Prolegomenis*, (b) Nihil vero definire volui, quænam ex his *Æra* ſit, unde ducendi ſint *anni*, Regum Arſacidarum *numis* inſcripti. Porro non probari mihi omnem ordinem, quo Arſacidarum numos digeſſit VAILLANTIUS, indicavi, & probare conatus ſum argumento, ſumpto ab ipſa VAILLANTII Æra Parthica. (c)

Sed parum refert, quid ego ſentiam, dum Eruditi *omnes* in Vaillantii opinionem conſpirent. Omnes

(a) *Annales compendiarii Regum & rerum Syriæ: ad annum ante Æram Christi 256. item anno 253. item 250. item 248. omnia pag. 26. Annalium.* (b) *Ibidem Annalium pag. 30. anno ante Christum 238. & Prolegomen. Parte IV. Cap. V. pag. 64. &c.*

(c) *Regum Veterum numiſmata pag. 57.*

mnes non consului; at occurrere tamen facile aliqui, qui reclament. Theophilus Sigef. Bayerus, (d) qui tertiam æram Parthicam refert in annum Ante X. 240., Seleuci II[di] octavum. Valesius quoque in notis ad Ammianum Marcellinum, a sententia illa non abripitur, quæ sub Antiocho II. *tantum* Æram Parthicam inchoat; quippe qui auctores dissidentes, atque obscure quædam narrantes conciliare nititur, (e) itaque subjungit: „Duplex igitur „ epocha Parthici imperii notanda est: prima ex „ defectione Parthorum sub Antiocho Theo consurgit: secunda a victoria insigni, qua Seleucus „ Callinicus ab iisdem superatus est.) Neque desunt alii Chronologi, qui sub Seleuco II. contra Vaillantii sententiam, Parthici regni cum Arsace initium constituant. (*) Perquam ambiguum igitur manet, omnesne Eruditi, & post eos Frœlichius, Vaillantii sententiæ suffragentur?

DU-

(d) *In historia regni Græcorum Bactriani.* (e) *Valesii adnotatio fusior ad lib. XXIII. Cap. VI. Ammiani Marcellini, pag. 282. edit. 1693. Lugd. Batav.*

(*) *Sub Seleuco II. Parthica Monarchia cum Arsace initium posuere: Salianus in Epitome Annalium ab se facta, pag. 849. (Reinerus Reineccius Syntagmatis de Familiis Tom. I. pag. 238.) (Dubitat Sethus Calvisius in opere Chronolog. pag. 134.*

DUBIUM II.

An non probabilius sit sub Antiocho II., quam sub Seleuco II. Æram, aut regnum Parthicum cœpisse?

At plerique saltem Chronologi, ac Eruditi Antiochi II. temporibus æræ Parthicæ initium illigavere? Sit ita sane, atque inde alius me scrupulus urit: invenisse nempe Eruditos prope omnes magni momenti argumenta, queis permoti Æram Parthicam sub Antiocho II. potius, quam sub Seleuco II. inchoarent.

Illud hic mihi, spero, facile concedetur, dum inter scriptores controversum est, quo tempore, quoque anno res aliqua acciderit; ab illis auctoribus potius esse standum, qui perspicuos, certosque temporis, annive ipsius characteres prodidere, quam ab aliis, etsi vetustioribus, qui aliud agentes, narrationem aliquam, quæ dubio non careat, protulere, de cujus tempore certo nihil adjiciatur.

Jam vero Eusebius, Chronologiæ Pater, ita de initio regni Parthici, ad *Olympiadis CXXXIII.*

annum primum, Antiochi Θεῦ XIV. (f) „ Parthi „ a Macedonum & ANTIOCHORUM principatu „ defecere. Primus regnat apud eos Arſaces, a „ quo Parthorum reges Arſacidæ compellati ſunt.

Rem eandem eodem *anni* charactere adnotavit *Olympionicarum Catalogus*, ſeu *Hiſtoriarum Collectio vetuſta*, *Olymp. CXXXIII. an. 1.* (g) „ Parthi „ a Macedonibus defecere, primusque regnavit „ Arſaces, unde Arſacidæ.

Alio item *certo anni* adſcripti *charactere*, Scriptoribus græcis ſuffragantur, de initio regni Parthici ſub Antiocho II. ſtatuendo, duo Scriptores peregrini, qui Parthicas res e ſuis, vicinisque tabulariis fortaſſe æque, aut magis etiam noſſe poterant, quam Græci. *Moſes Chorenenſis*, ſæculi a Chriſto nato quinti Scriptor, qui Armeniacam hiſtoriam Armenus ipſe patria lingua conſcripſit, Regni Parthici initium ab Arſace conſtituit

D anno

(f) *Euſebii Chronicon poſter. ſeu Canon, pag. 169. in Theſauro Temporum Scaligeri* : ΟΛ. ΡΛΓ. Α. ΑΝΤΙΟΧΟΥ ΘΕΟΥ ΙΔ. Πάρθοι τῆς Μακεδονων ϗ Ἀντιοχων ἀρχῆς ἀπέστησαν. Πρῶτος βασιλεὺς αὐτῶν Ἀρσάκης ἀφ᾽ οὗ οἱ Πάρθων βασιλεις Ἀρσακίδαι ἐχρημάτισαν.

(g) *Theſauri temporum pag. 336.* ΟΛ. ΡΛΓ. Α. Πάρθοι Μακεδόνων ἀπέστησαν, ϗ πρῶτος ἐβασίλευσεν Ἀρσάκης, ὅθεν Ἀρσακίδαι.

anno Æræ Seleucidarum LX. qui eſt Antiochi II. Θεῶν undecimus, vel decimus, V. C. 501. (h)

Quod ſi Cl. Corsinus (*pag. 22. & 23.*) non modo Agathiæ, ſed Syncelli etiam, & ipſius compilatoris Suidæ teſtimonio ad exſculpendum ingenioſe pro ſua ſententia temporis argumentum adhibere, & cum fiduciæ quadam ſpecie ea producere voluit; mihi ſane quinti, & ita multo melioris, ſæculi hiſtoricum, qui proximæ ſibi regionis res *certo temporis charactere* enarrat, in medium adducere cur non liceat?

Et quoniam Usserius, vir e Chronologorum ordine inter præcipuos, Mircondi Perſæ ſuffragium adhibere hanc in rem non dedignatur, verba Usserii adſcribere non pigebit: (i) „ Manlio Vulſone, & Attilio Regulo conſulibus (in „ quorum conſulatum belli Punici primi annum „ 14. incidiſſe notat Polybius) Parthi Arſace „ Duce a Macedonibus primum defecerunt. „ (Trogus Pompejus lib 41.) Hunc recentiores

(h) *Edita eſt hac Hiſtoria Armenia, Armeniace ſcripta, cum addita interpretatione latina Whiſtonorum fratrum, Londini 1737. quam vide lib. II cap. I. & II.* (i) *Uſſerii Annales Vet. & novi Teſtam. ad annum ante Æram Chriſti 250. edit Genev.*

„ res Persæ Aski, vel Askam nominant, Mircon-
„ dus Chapur: quem 72. annis post mortem A-
„ lexandri regnare cœpisse scribit, quod tempus
„ uno tantum anno Vulsonis, & Reguli consu-
„ latum antecedit, triennio vero Olympiadem
„ CXXXIII. qua Arsacis, & Parthorum defectio-
„ nem. . . .

Recentioribus quidem sæculi XV. temporibus floruisse Mircondum (seu Mirkond, seu Emir-Kond) me non latet; magni tamen fieri solet ejus historia Persica; quod e vetustis Persicis Scriptoribus sua sumpsisse videatur.

Quotcunque fere antiquorum temporum habentur characteres certi apud Græcos, & Orientales, nempe *Olympiades*, anni *Æræ Seleucidarum*, anni *ab obitu Alexandri Magni*, isti omnes Arsacidarum initium sub Antiocho II. comprobant.

Transeamus etiam ad Latinum Scriptorem, eumque pervetustum Trogum Pompejum, cujus utinam plura nobis, magisque dilucide Justinus in sua epitome perhibuisset. Quod si in rerum gestarum ordine, ut facile compendiorum fabris accidit, ali-

 quid

quid peccavit Justinus, *disertos* tamen *temporis chara-cteres* a primævo auctore desumtos fuisse, dubitare non licet.

Scriptores inter, qui satis perspicue Antiochi II. Θεοῦ temporibus Parthici Arsacidarum regni exordia includunt, Trogum jure merito censeo, consentiente Usserio; etsi Justinus de suo aliqua immiscuisse videatur, atque intempestive Seleucum Regem appellasset illic, ubi Antiochi II. prodita sunt tempora. De *Anno* isthic, atque de *certo tempore* agitur: *Anni* porro, certique temporis characteres duos, & concordes, ex Trogo Justinus profert, eisque Arsacis a Macedonibus defectionem illigat his verbis: (K.) „Posthunc (Eumenem) a Nicatore „Seleuco, ac mox ab Antiocho possessi, (Parthi) „a cujus pronepote Seleuco primum defecere pri- „mo bello Punico, L. Manlio Vulsone, & M. Atti- „lio Regulo Coss. Hujus defectionis impunitatem „illis duorum fratrum regum Seleuci, & Antiochi „discordia dedit.

Hic jam criticorum more quæritur; utri assertioni Justini epitomatoris plus deferendum sit,

dum

(K.) *Justini historia Philippica libro XLI. cap. IV.*

dum *de tempore* quæritur, an duplici *notæ temporis*: an appellationi SELEUCI, pronepotis Seleuci I., quando horum alterum cum veritate ſtare non poteſt?

Porro autem Conſulum illorum MANLII & ATTILII tempus, egregie & Antiochi ſecundi regno, & bello Punico primo reſpondet, ſive MANLIUM cum M. ATTILIO, ſive cum L. ATTILIO REGULO conſulem conjungas, ſecundum Chronologiam PETAVII, & communem.

Videtur ſane IUSTINUS ambigua ſua narratione primordia principatus Arſacis, cum belli progreſſu confudiſſe, & cum ſeditioſorum impunitate, quam continuo Seleuci II. & Antiochi fratrum diſcordiæ recte adſcribit.

Idem JUSTINUS ejusdem narrationis decurſu Arſacem primum cum ſecundo, ejusque rebus geſtis, confudiſſe videtur; ſi SYNCELLO (addo & EUSEBIO) credimus, de duobus tantum Parthici regni, annis Arſacis primi. Itaque ſi libero a partium ſtudiis animo JUSTINI, vel potius TROGI ſententiam dijudicemus (ita ſentientibus *omnibus* fere *Chronologis*

& *eruditis*, qui JUSTINUM legerunt, & pro ANTIOCHI II. ætate hic tamen pronunciarunt) ſtatuemus: JUSTINUM in Seleuco II. primum appellando de ſuo erraſſe, quoad Parthicæ defectionis initia: anni vero characterem ex TROGO retuliſſe. Atque ea ratione magni momenti dubium eſt reliquum, an non TROGUS VAILLANTII ſententiæ probabilius faveat, quam CL. CORSINI?

DUBIUM III.

Anne Arrianus potius Cl. Corſino, quam Vaillantio faveat?

Vidimus Scriptores, qui *certo, ac definito anni charactere* uſi ſunt, ſub Antiocho II. Parthici regni initia conſtituiſſe. Videamus jam auctorem, qui non *anni* quidem, ſed *Regis* Syriaci mentionem fecit, ſub quo id evenerit. Ex ARRIANI pervetuſti hiſtorici libris de *Rebus Parthicis* ſequentia excerpſit PHOTIUS (1) „ Parthorum genus eſſe Scythicum ait: „de-

(1) *Bibliotheca Photii Codice LVIII. pag. 51. editio Schotti: Græca illa ſolum adferam, quæ controverſiam proprie illuſtrant:* Οὗτοι Φερεκλέα τὸν ὑπὸ τοῦ Ἀντιόχου τοῦ Βασιλέως, Θεὸν αὐτὸν ἐπίκλην ὀνομάζον, ἀλλά τοιγε Ἀρσακίδαι ὑπ' Ἀντιόχου σατράπην αὐτῆς τῆς χώρας καταστάντα Φερεκλέα, ἐπεί τον ἕτερον τῶν ἀδελφῶν αἰσχρῶς ἐπείρασε βιασάμενος, οὐκ ἐνεγκόντες τὴν ὕβριν, ἀνεῖλον τε τὸν ὑβρίσαντα, καὶ ἑτέροις πέντε τὴν πρᾶξιν ἀνακοινωσάμενοι, καὶ τὸ ἔθνος τῶν Μακεδόνων ἀπέστησαν καὶ καθ' ἑαυτοὺς ἦρξαν. *Similia plane de Antiocho, dicto Deo, habet editio Haſchelli pag. 24.*

„ defeciffe autem ipfos, in fervitutem olim redactos, a poteftate Macedonum, averfis una Perfis, hanc ob caufam: erant Arfaces ac Tiridates fratres Arfacidæ, defcendentes ab Arfacis Phriapiti filio; hi Phereclem, fub ANTIOCHO REGE, cui DEI cognomen impofuere, hi inquam Arfacidæ illum fub ANTIOCHO Satrapam eidem regioni præpofitum Phereclem, quod alteri fratrum vim turpiter inferre tentaffet, non fuftinentes contumeliam, fuftulere contumeliæ auctorem, aliisque quinque ejus facti notitiam communicavere, atque gentem a Macedonibus abducentes ipfimet ibidem regnavere.

Hæc ex græco fere ad verbum transtuli, fidem præ elegantia fpectans. Novi equidem apud EUSEBIUM *Chronico priore*, ex quo fua (quod miror non obfervaffe CL. CORSINUM) mutuatus eft GEORGIUS SYNCELLUS, eam rem paullo aliter proferri; fed PHOTIO, qui *ex profeffo* fe excerpta illa ex *Arriani Parthicis* feciffe memorat, plus hic utique tribuendum, quam EUSEBIO, & SYNCELLO, qui in media narratione obiter ita meminere: *at Arrianus inquit*, ut nefcias, quidnam ex ARRIANO fit ifthuc defumtum. PHOTII porro eruditio, judicium, & accurata induftria (et-

fi

si alibi vitiis, fraudibusque, ubi rei suæ intererat, famæ suæ nocuerit) facile hac in re Eusebio hæsitanti, ac varianti, & Syncello exscribenti, etsi vetustioribus, criticorum arbitrio præferetur. Denique in eadem illa narratione Eusebii ubi, Arriani meminit, nulla ibi Seleuci, sed tantum Antiochi *Regis* fit mentio. Equidem Eusebius, & Syncellus in summaria præfixa *Epigraphe*, Seleuco II. tribuere sequentem historiam videntur; sed id minus habet momenti. Nam cum Photii excerpta diserte, & iterum; Regem Antiochum II. Θεὸν appellent; Eusebii vero, & Syncelli excerpta in ipsa narratione id, nominato illic solum Antiocho, non negent; utique pro Photio hic standum censeo.

Et vero Eusebii, Syncellique denique ambigua hæc opinio est: num reipsa sub Seleuco id contigisset; cum in ipsa *Epigraphe*, seu *titulo narrationis* hæsitationem ambo suam prodant, dum Antiochum, Callinicum *cognominatum*, qui & Seleucus dictus sit, contra probos auctores, multoque antiquiores appellant Seleucum II. Antiochi II. filium, quem tamen SELEUCUM CALLINICUM, vel SELEUCUM *Tantum*, Polybius, Justinus, Appianus, Strabo, Marmor vetus Arundelianum, Polyænus, Plu-

PLUTARCHUS; & in *Chronico Canone* ipse EUSEBIUS, PORPHYRIUSque appellant. Legerit nempe EUSEBIUS (& fors SYNCELLUS) in ARRIANO (vel potius SYNCELLUS in EUSEBIO) prædicta de Parthorum regni exordio sub ANTIOCHO contigisse; ast cum ipsis alibi de SELEUCO quidquam occurrisset, iidem miram hanc auctores conciliandi methodum invenisse videntur, ut ita ANTIOCHUS CALLINICUS, quasi vero præcipuo, & usitato eo nomine, procuderetur, quem etiam SELEUCUM, velut secundario nomine, alii appellassent. Cl. CORSINUS (i) veluti ex ARRIANO is narrationis *titulus* quoque excerptus fuisset, una contextus serie, *titulum illum* cum *narratione* conjunxit; cum contra in *narrationis* exordio, solius ANTIOCHI vocabulum (ad mentem ARRIANI a PHOTIO expositi) compareat, & in prævia *sua Epigraphe* solum EUSEBIUS, & SYNCELLUS exscriptor, Seleucum cum Antiocho confuderint. Verum ut hæc omnia æquo Lectori manifeste pateant, SYNCELLI verba (quia SYNCELLUM, non EUSEBIUM, allegavit Cl. CORSINUS, etsi eadem pene verba sint) & modum, quo in *Regia Parisina editione* proponuntur, hic repræsentabo.

E SY-

(i) *Dissertatio Cl. Corsini pag. 16. & pag. 17. eadem ex Syncello repetit his verbis: Itaque si prima Arsacidarum defectio Antiochi, vel Seleuci Callinici tempore erupit.*

SYRIÆ ET ASIÆ REGES

Syriæ & Asiæ Rex 4. Antiochus, Antiochi Dei Filius, cognomento Callinicus, idemque Seleucus annis 21., mundi vero 5238.


„ Hujus ANTIOCHI tempore Persæ ab Alexandri
„ Conditoris imperio Macedonibus & ANTI-
„ OCHIS subjecti & ab eis ex causa hujusmodi de-
„ fecerunt. Arsaces & Teridates fratres generis
„ originem in Artaxerxem Persarum (quondam
„ Principem) referentes, Satraparum munus in
„ Bactros exercebant, sub Agathocle Macedone
„ Persiæ Præside. Agathocles amatus Tiri-
„ dati (ut Arrianus ait) adolescenti e fratribus
„ structurus insidias, nihil obtinens ab eodem in-
„ terfectus est, & ab Arsace fratre ipsius, & re-
„ gnum Persarum capit Arsaces, (a quo Persarum
„ Reges appellati sunt) annis duobus, ac tollitur
„ e medio. Post eum Tiridates, frater annis tri-
„ ginta septem. (k.) To-

(k) *Syncelli (& vero Eusebii quoque propemodum omnia) hæc sunt verba: Syncelli quidem pag. 248. edit. Regia; Eusebii Chronico priore, in Thesauro tempor. pag. 54. Græc.*

Συρίας ϗ Ἀσίας βασιλεῖς.
Συρίας ϗ Ἀσίας δ' ἐβασίλευσεν ὁ Ἀντίοχος
ὁ υἱὸς αὐτοῦ (*vel* τοῦ Θεοῦ) ὁ ἐπικληθεὶς Καλλίνικος
ὁ αὐτὸς ϗ Σέλευκος ἔτη κά τοῦ δὲ κόσμου ,εσλη.

Ἐπὶ τούτου τοῦ Ἀντιόχου Πέρσαι τῆς Μακεδόνων ϗ ΑΝΤΙΟΧΩΝ ἀρχῆς ἀπέστησαν, ὑπ' αὐτοὺς τελοῦντες ἀπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ κτίστου διὰ τοιαύτην αἰτίαν. Ἀρσάκης τις ϗ Τιριδάτης ἀδελφοὶ τὸ γένος ἕλκοντες ἀπὸ τοῦ Περσῶν Ἀρταξέρξου ἐσατράπευον Βακτρίων, ἐπὶ Ἀγαθοκλέος Μακεδόνος τῆς Περσικῆς. Ἀγαθοκλῆς ἐρασθεὶς Τιριδάτη, ὡς Ἀρίανος φησι, ἕνος τῶν ἀδελφῶν ϗ τὸν νεανίσκον . . .

Totus hic in ANTIOCHI, & ANTIOCHORUM nomine, dum ex ARRIANO aliqua narrat, verſatur SYNCELLUS, & EUSEBIUS; haud dubie, quod in ARRIANO ANTIOCHUM legerint, uti PHOTIUS legit. Sequente enim paragrapho (ubi nil ex ARRIANO) non jam ANTIOCHUM Callinicum, ſed SELEUCUM Callinicum nominant & SYNCELLUS; & eo potior EUSEBIUS. Itaque ſi non omnino certum, probabilius ſane eſt, quæ EUSEBIUS ex ARRIANO de ANTIOCHO narrat (etſi epigraphe narrationis de Seleuco ſeu, Antiocho Callinico agat) de Antiocho II. DEO dicto, accipienda eſſe; primo, quia PHOTIUS ex eodem ARRIANO ſua omnia excerpens, diſerte iſthic ANTIOCHUM Θεὸν appellat: deinde quia EUSEBIUS dubiæ, ut minimum dicam, locutionis ſuæ optimus interpres, in *Chronico poſteriore* (ubi collectaneorum *Chronici prioris* fructus promit) ſine omni dubio Parthicæ defectionis initium, auctore Arſace, ſtatuit anno Antiochi II. Θεοῦ XIV.to Olymp. CXXXIII.tiae anno primo. Cum ita perſpicue de EUSEBII ſententia conſtet, valeat SYNCELLUS.



DUBIUM IV.

Utrum Agathias cum Suida Cl. Corſini ſententiae faveant?

CL. CORSINUS cum Scriptorem nullum inveniret, qui Æræ Parthicæ, ſub SELEUCO II. coeptæ, *annum definitum*, ac *certum* prodidiſſet, inſigni ingenii acumine ex AGATHIA pro ſua ſententia aliquid argumenti, pro *anni nota*, eruere conatus eſt. Ita inquit (m) „Sed Parthicum tamen imperium ab illo (ARSACE) occupatum, ad proximos annos, „ nimirum ad 509. vel 514. v. c. referri debet. Id „ ego facile ex pulcherrimo Agathiæ (*Lib. II. pag. 46.*) „ loco oſtendi poſſe putaverim. Itaque ſcriptor ille, quem Suidas etiam exſcripſit, ut proinde in „ annorum numeris error effingi non poſſit, „ de Macedonibus ab Arſace ejectis, Parthico-„ que imperio ab Arſacidis inſtituto loquens ait: Ἀρσάκης ὁ Παρθυαῖος τὰς Μακέδονας κρατήσαντας τῆς Περσῶν ἀρχῆς Ἔτη ΣϘΓ ἐκβαλὼν, Πάρθοις τὴν βασιλείαν παρέδωκε. ARSACES „ PARTHUS MACEDONES, *qui* PERSARUM *imperium 293.* „ *annis tenuerant, ejiciens, regnum* PARTHIS *tradidit.* Quo „ tamen loco, quum vere Macedones & Syriæ Reges „Ma-

(m) *pag. 22. Diſſertationis. Jam olim ex hoc Suida loco quem loco, Agathia hic quoque Cl. Auctor citat, & ex ara Cyri, ſimile quid tentaverat Salianus, quem vide in Epitome Annal. V. T. pag. 849.*

„ Macedonum ſucceſſores non 293. ſed vix centum
„ annis PERSIDIS imperio potiti ſint, in Agathiæ vel
„ Suidæ textu cum Scaligero legendum arbitror:
τὺς Μακέδονας κρατήσας τῆς Περσῶν ἀρχῆς
Ἔτει ΣϘΓ ἐκβαλὼν -- *Macedones, imperio Perſarum anno*
„ *293. potitus, ejiciens.* Ergo prima Arſacis defectio
„ contigit anno 293. ex quo Cyrus Babylonem in-
„ greſſus, imperium illud inſtituit. . . .

Multa hic me incertum reddunt: Primo, ſi ex AGATHIÆ *pulcherrimo loco* reſuſtendi poteſt, ecquid igitur *locus* AGATHIÆ non citatur? Cur præ fonte AGATHIÆ, lutulentus SUIDÆ, qui AGATHIAM exſcripſit, rivulus propinatur? lutulentus, inquam, is eſt rivulus, neque enim accurate SUIDAS AGATHIAM exſcripſit, uti mox oſtendam. Porro verba illa, non AGATHIÆ, ſed SUIDÆ, quæ CL. CORSINUS protulit, atque illa ipſa forte non ita protulit, uti in SUIDA ſunt; nam in SUIDÆ editione ex optimis una lego: Ἔτη διακόσια ἐνενήκοντα τρία - - - (n) non vero Ἔτη ΣϘΓ. fors hæ *notæ* ſubſtitutæ ſunt *vocabulis integris* numerorum; quod illa mutatio ETEI loco ETH nimis violenta videretur, deberentque omnia illa vocabula mutari Ἔτει διακοσιο-

(n) *Ita habet editio Suidae Cantabrigienſis, curante Kuſtero 1705. qui extum Graecum cum Mſtis. codicibus contulit.*

κοσιοςῷ ἐνυενηκοςῷ τρίτῳ. Sed mittamus hæc, nam editiones diversæ esse possunt, ac potius redeamus ad AGATHIAM ipsum, qui citato loco, nempe *libro II.* (o) enarrat regni Medorum, regni Persarum, & regni Macedonum, ac denique Parthorum *annos intervalli*, nusquam autem in hac narratione refert, *quo anno*, vel *quali* inceperit regnum, sed *quot annos* duraverit. Atque ita nusquam ΕΤΕΙ sed ΕΤΗ, aut æquivalentem sententiam isthic legimus.

De Medorum regno ita: ΕΤΗ δὲ καὶ τέτων ἐν τῇ ἀρχῇ διανυσάντων ὀυ μεῖον ἢ τριακόσια. *Cum vero hi* (Medi) *annos non minus, quam trecentos imperio potiti essent.* Deinde de Persarum regno ita: Κρατήσαντες δὲ καὶ δι Περσικοὶ βασιλεῖς ὄκτω δὲ καὶ εἴκοσι καὶ διακόσια ΕΤΗ. *Persici autem Reges cum imperassent annos viginti octo supra ducentos.*

Mox Macedonum regnum prosequitur, de cujus duratione ita habet: Τοιγάρτοι ἄρξαντες ὀυ λίαν ἐλάττονα χρόνου τῶν Μήδων, ὅτι μὴ ἕπτα ἔτεσι δέοντα, πιςέον δὲ κ'αυταῦθα τῷ Πολυΐςορι. Quæ ita pene ad verbum reddo: *Hi siquidem cum imperassent non valde minori tempore, quam Medi, quia nec septem annis minore: est vero isthic Polybistori cre-*

(o) *Editionis Regia Parisina. pag. 63. & 64.*

credendum.) Ex hoc AGATHIÆ fonte SUIDAS (& etiam antea SYNCELLUS) deduxit annos 293. imperii Macedonici, *durationis annos*, inquam, non initium, aut *quoto anno* cœperit, aut desierit. Verum non accurate AGATHIÆ sententiam SUIDAS, & SYNCELLUS sunt assecuti: non enim dixit AGATHIAS: Medos præcise 300. annos, neque plures, imperasse, sed: *non minus quam 300.* Dein AGATHIAS non asseverat: annos Macedonici regni esse præcise pauciores *annis septem*, quam regum Medorum, sed *nec septem annis* deficere. Ita cum 300. ut minimum, aut potius *plusculum quam 300. annos*, Medi regnaverint ad mentem AGATHIÆ, & *neque annis septem minus* duravit regnum Macedonicum, eidem ad mentem AGATHIÆ certo plures quam 293. anni durationis assignandi erunt, ac nimis perfunctorie ex AGATHIA calculos subduxere duo historici juniores. Est vero hæc AGATHIAE narratio triplici titulo majori fide digna, quam SYNCELLI, & SUIDÆ; primo, quia vetustiore ab auctore prolata: deinde quia admodum caute, & modeste *de annis durationis* AGATHIAS loquitur: tertio quia ex pervetusti Scriptoris *Polybistoris* fontibus ea se accepisse testatur.

Itaque plures quam 293. anni, queis Macedones imperarint, AGATHIÆ & POLYHISTORIS aucto-

ritati

ritati propius respondent, quam præcise 293., aut pauciores.

Hæc observatio mihi viam aperuit, absque ulla certi, & constantis textus arbitraria permutatione Agathiam explicandi. Macedonum regnum Agathias extendit in omnes Alexandri Magni successores, etiam *Ægypti Reges*; *Ægyptum* enim expresse nominat inter regna Macedonum, quo uno Parthi non sint potiti: Igitur Macedonum *universum* tempus regni deficit denique vel in pugna Actiaca anno ante Christi æram XXXI. vel in morte Cleopatræ, ultimae e Macedonum stirpe Reginæ: ea obiit anno ante Christi æram XXX. Incipit vero Agathias regnum Macedonum diserte *interfecto Dario*: Δαρεῖον ἀποκτείνας, ac tum Alexandrum a Persis ad Macedones regnum transtulisse, quod evenit anno ante Christum CCCXXX. Itaque de 330. demendo 30. vel 31. relinquuntur 300. vel 299. id est: *minus quam septem* demendo de 300. (aut potius de *plusculum quam trecentis*) ad mentem Agathiæ.

Itaque neque opus est immutatione vocis E T H apud Suidam, & Syncellum in E T E I, neque sententia clara durationis regni, apud Agathiam, & Syncellum, hanc correctionem admittit. Apud Syn-

CEL-

CELLUM enim æque diſerte de duratione *regni Macedonici* agitur; atque contra grammaticæ leges prodidiret ſermo, ſi loco ETH ponatur ETEI. Ἀλέξανδρος Μακεδόσι τὴν Περσῶν βασιλείαν ἐπέδωκεν, ἐκράτησαν δὲ τῆς Περσικῆς ἀρχῆς Μακέδονες Ἔτη ΣϞΓ; οὓς ἐκβαλὼν Ἀρσάκης (p) ſi inquam ponatur: ἐκράτησαν Ἔτει ΣϞΓ οὓς ἐκβαλών, nempe loco veri ſenſus: *Macedones obtinuere Perſicum Principatum annis 293, quos Arſaces ejiciens Parthis regnum tradidit.* Quæ foret iſta locutio ſeu latina, ſeu græca? *Macedones obtinuere Perſicum Principatum; anno 293 quos Arſaces ejiciens* - - - Sane Tò QUOS præponendum fuiſſet, ſi ETEI ſubſtituatur pro ETH. Verum cum in SUIDÆ textu facilius corrigi poſſet ЄTЄI pro ЄTH, ideo præ AGATHIA & SYNCELLO, utrique impar SUIDAS placuit.

At fingamus etiam (quod nullo modo admitti poteſt) legendum in SYNCELLO & SUIDA anno 293tio ETEI ΣϞΓ. unde convincet nos Cl. CORSINUS ab Æra CYRI eſſe annos illos deductos? quando ſingula regnorum intervalla ſuis regibus AGATHIAS terminat, quid Cyrus ad Macedones? At quoniam liberaliſſime cum viro liberalium artium peritiſſimo

F pro-

(p) *Georgii Syncelli Chronographia pag. 359. edit. regia.*

procedendum eſt, concedam ab Epocha Cyri AGATHIAM initium duxiſſe usque ad Arſacis defectionem, quæ facta ſit *anno Cyri 293.*

Duplicem eſſe CYRI regni epocham, nemo neſcit: altera prior a devicto Aſtyage.: ab regno Babylonico occupato ducitur altera. Et quoniam de Cyri Epocha PETAVIUM teſtem adducit Cl. CORSINUS, ejus arbitrium libenter accipio. Probabilius itaque erit, ut ab Epocha *certa*, & a plerisque omnibus antiquis, ac recentioribus recepta, AGATHIAM Cyri initium ſupputaſſe dicamus, quam ab *incerta omnino*, etſi ſacris in Literis ejus fiat mentio.

Audiatur PETAVIUS, qui de priore Cyri Epocha, ab ASTYAGE *devicto*, ita ſcribit (q) „ Nihil tam „ Chronologorum omnium veterum perinde ac „ recentiorum conſenſione firmatum, ac ſtabilitum „ eſt, atque Epocha Cyri prior, quod ad Olym- „ piadem ſpectat.) In Chronico PETAVIUS eam item collocat Olymp. L V. an. 2, ante Chriſtum 559. V. C. 195. (r)

De altera Cyri Epocha, *ab occupato Babylonis regno*, ita PETAVIUS (s) „ Quoto regni ſui anno Babylo- „ ne potitus ſit Cyrus, nulla in hiſtoria declaratum legi-

(q) *Petavius de doctrina Tempor. lib. X. capitis XV. initio.* (r) *Idem ibidem lib. XIII. pag. 307.* (s) *Idem lib. X. cap. XVI. Initio.*

„legimus.) Atque hanc Epocham probabili ratione figit ante Chriſt. 538. V. C. 216. (t)

Quæro jam: ſi Agathias nihil de utraque Epocha indicaſſet, ab utro Cyri exordio annos ſupputaſſe potius ſit cenſendus? Exiſtimo ab certo illo, & ab omnibus comprobato, a victo Aſtyage. Sed Agathias ipſe litem decidat: is nulla omnino poſterioris Epochæ, ſeu Babylonici regni mentione hoc loco facta, de Perſici regni initio diſerte (u) ita ſcribit: Κῦρος ὁ Καμϐύσυ τὸν Ἀςυάγην καταπολεμήσας ἐπὶ Πέρσας τὴν ἡγεμονίαν μετήγαγεν „ Cyrus „ Cambyſis filius, debellato Aſtyage, in Per„ ſas principatum tranſtulit.)

Itaque ſi correctio illa Suidæ (nam in Agathia locum alioqui non habet) ΕΤΕΙ. ΣqΓ. admittatur, dicaturque Arſacis defectio ad mentem Agathiæ contigiſſe *anno Cyri 293tio*, accipiatur porro Epocha Cyri ab Agathia ipſo, hoc eodem loco, diſerte memorata, eaque certa; incidet defectio Arſacis circa annum ante Chriſtum 266. V. C. 488. qui etiam ipſo Antiocho II., Syriæ Rege, anterior fuit: adeo ad Seleucum II. trahi Agathiæ hic lo-

 cus

(t) *Idem lib. XIII. pag. 308.* (u) *Agathias lib. II. pag. 64. edit. Regia Pariſina.*

cus nullo modo poteſt. Certa vero iſthic eſt Olympias, quod abunde ſatis eſt.

Attamen cum invito AGATHIA, annos illos ab altera, & incerta illa Babylonica Cyri Epocha computaſſet Cl. CORSINUS, eaque ipſa ſupputatio non niſi in annum V. C. 509. defectionem Arſacis pertraheret, qui annus procul abeſt ab anno V. C. circiter 525. quem *novum certioremque* æræ Parthicæ cardinem appellat Cl. CORSINUS (x), idcirco relicto AGATHIA ad SYNCELLUM deſcendit, ut paullo vicinius cum ſua Æra Parthica ad annum V. C. 525. accedere videretur. Ita vero Cl. *Diſſertator* (y) „ Quandoquidem vero SYNCELLUS ab eodem illo Cyri „ initio ad Callinici quidem exordium, quo regnante Arſacem a Syriæ Regibus defeciſſe dixerat, 286. annos enumerat, ſed ab initio Cyri ad „ defectionem ipſam 293. effluxiſſe dicit, ex Syncelli calculo Arſacis defectio anno V. C. 514. contigiſſet.

Magna hic rurſum oboriuntur dubia. Si *Syncellus* 293. annorum *ab eadem Æra Cyri* calculum ſubducit, uti AGATHIAS, cur non idem annus prodit

V. C.

(x) *pag. 25. Diſſertationis*) (y) *Ibidem pag. 23.*)

V. C. 509? *Vel cur tandem hic non corrigitur loco* ETH *illud* ETEI? Cur hic idem numerus legitur ΣqΓ *annos* 293, in AGATHIA autem, seu potius in latente, sub AGATHIÆ elegante larva, deformi *Suida*, iidem numeri leguntur *anno ducentesimo nonagesimo tertio*? Deinde non video, quid illi 286. anni, ad initium Seleuci II. ab Æra Cyri Babylonica deducti, huc faciant; cum tamen nusquam SYNCELLUS prodat, *quoto* SELEUCI, seu ANTIOCHI CALLINICI *anno*, Arsaces defecerit. Enim vero totus hic SYNCELLI locus, in quo numerus annorum 293. occurrit, prorsus (quoad Medicæ, Macedonicæ, & Parthicæ Monarchiæ durationem) plane cum AGATHIÆ explicato loco congruit: ut ex AGATHIA totum id hausisse videatur SYNCELLUS. Nam hic pariter SYNCELLUS de *duratione regnorum*, quot annos Monarchia quæque obtinuerit, tantum agit, non de *anno initii*: eosdem numeros exhibet, nisi quod SYNCELLUS, non bene intellecto AGATHIA (ut superius monui) præcise scribat Macedonas regnasse *annos* 293, AGATHIAS vero circumspecte scripserit: regnasse eos paullo minus quam Medos, Medos vero annis non minus ac trecentis. Aliud etiam, idque erroneum, de 270. annis ab Arsace ad Artabanum elapsis, ex AGATHIA, SYNCELLUS repetit.

Itaque non assequor, cur ex AGATHIA aliter, quam ex SYNCELLO ratiocinandum fuerit. Ego vero Agathiam scripsisse ex ipsius verbis ostendi: Macedonici Imperii *durationem* fuisse a morte Darii ad mortem Cleopatræ, minus quam trecentorum annorum: quod non satis accurate expressit SYNCELLUS per 293, & ex eo SUIDAS exscripsit. Sed proferatur SYNCELLI locus, ut pateat, eundem ex AGATHIA desumptum, atque adeo, ut pateat etiam hic valere omnia difficillima dubia, a me contra argumentationes CL. CORSINI in hac causa proposita.

Ita ergo Syncellus (z) „Medis vero annis tre-
„ centis imperio potitis (*error typi est* Λ 30. *in Editio-*
„ *ne Regia*, *loco* T. 300.) postremum Medorum Re-
„ gem ASTYAGEM Cyrus Persa sustulit, & ad Per-
„ sas Principatum traduxit. Regnavere autem Persæ
„ annos 228. usque ad Darium Arsamis filium,
„ quem vincens Alexander, Philippi Filius, Ma-
„ cedonibus Persarum regnum tradidit. Obtinue-
„ re autem Persicum Principatum Macedones an-
„ nos 293.

Quis

(z) *Georgius Syncellus Chronographia pag. 259. edit. Regia*: Τῶν δὲ Μήδων τ' ἔτη βασιλευσάντων τὸν ὕςατον βασιλέα Μήδων Ἀςυάγην Κῦρος καθεῖλεν ὁ Πέρσης, ἢ εἰς Πέρσας τὴν ἡγεμονίαν Μετήγαγεν. Ἐβασίλευσαν δὲ οἱ Πέρσαι Ἔτη σκή μέχρι Δαρείου τοῦ Ἀρσάκου, ὃν νικήσας ὁ Φιλίππου Ἀλέξανδρος Μακεδόσι βασιλείαν ἀπέδωκεν. Ἐκράτησαν δὲ τῆς Περσικῆς ἀρχῆς Μακέδονες ΕΤΗ σϙγ.

Quis quæſo hic locus *anno* EPOCHÆ CYRI eſſe poteſt, ubi de duratione imperii Mācedonum tam diſerte (ut in AGATHIA) tractatur? At enim ſi etiam a Cyri Epocha ducerentur anni, quia tam perſpicue hoc eodem loco Cyri monarchia ab ASTYAGE *devicto* inchoatur, utique ducendus hic foret calculus a priore æra Cyri, *debellato* ASTYAGE, quæ res CL. CORSINI calculos omnes conturbaret, ita plane, uti de AGATHIÆ loco paullo ante demonſtravi.

Poſt hunc *pulcherrimum* AGATHIÆ, SYNCELLI, & SUIDÆ locum (qui mihi ſane perpulchra ſuppeditavit dubia) obiter monet CL. AUCTOR, depravatum AGATHIÆ & SYNCELLI proxime ſequentem locum, quo ſcribunt: ab Arſace ad Artabani finem, imperium Parthicum duraſſe 270. annis, ita corrigendum videri, ut loco 270. ponatur 470, quia ita ipſius CL. CORSINI calculis, ex AGATHIA, ſeu SUIDA, & SYNCELLO ductis, apte hoc intervallum congrueret.

Error AGATHIÆ hac in re tam certus eſt, quam incerta correctio CL. CORSINI, quæ nititur fundamento, tot dubiis ſuffoſſo. Si quid hariolandum eſt, mallem erraſſe AGATHIAM in voce *primo*, quam

in numeris, dum ſcribit a *Primo Arſace* ad Artabani finem 270. annos abiiſſe. Suſpicor enim, *hic* Parthicum Imperium non univerſe accipi, ſed ab eo tempore, quo ultimus Syriæ rex Antiochus XIII, aut ejus fortaſſe filius expiravit, idcirco, quod olim Syriæ regibus Parthia ſubjecta fuiſſet. Quod ſi itaque AGATHIAS crediſſet (quod ego præſtare nolim) Antiochum XIII. vixiſſe etiam, aut filium ejus, viginti circiter annos, poſt Syriam a Pompejo in Provinciam redactam, atque inde coepiſſet Parthicum imperium, ab omni Seleucidarum, SYRIÆ *regum*, etiam qualicunque dominii titulo liberatum; tum enim vero 270. circiter annis duraſſe Parthicum imperium recte ſcripſiſſet. Cum enim Syria in provinciam redacta ſit anno ante Chriſti æram 64. ſi addas circiter 20. annos vitæ Antiochi XIII, aut potius ejus filii: prodit annus 44. Ante Chriſt. Artabanus Arſaces Parthiæ imperium amiſit anno poſt æram Chriſti 226, quod intervallum omnino conficeret annos 270. Id ego tanquam verum omnino, ac certum non vendito; ſed cum Macedonicum imperium coeperit AGATHIAS non niſi a morte Darii, etiam forte iſthic imperium Parthicum, a Seleucidis omnimode liberum, a morte ultimi Seleucidarum Syriæ regum ſupputare

voluit.

voluit. Verum ut ut restituendus sit hic Agathiæ locus, Cl. Corsini quidem certe correctio, quæ nititur præcedente Agathiæ loco aliter, ac oportebat, accepto, citra gravissimum de veritate dubium admitti nequit, nisi aliis argumentis fulciatur. Quod autem ego Tò *primus* Arsaces, corrigere, aut interpretari malim, quam numeros 270, quos itidem Syncellus ex Agathia exscripsit (uti Suidas ex Agathia non tam exscripsit, quam male calculavit numerum 293.) id facio ad mentem Cl. Corsini, qui ajebat: *errorem effingi non posse*, quod numeros 293. Suidas ex Agathia eosdem descripserit. (*)

DUBIUM V.

Utrum Strabo, & Appianus, aut Justinus denique novi, aut certi aliquid pro nova Parthica æra, an. V. C. 525. statuta, sufficiant?

GRadum facimus ad Scriptores illos, qui serio denique favere aliqua in re Cl. Corsini sententiæ videntur. Strabo nempe, & Appianus satis perspicue Parthicam defectionem ad Seleuci II. Callinici ætatem referunt. Strabo quidem occasione

(*) *Dissertationis pag. 32. Verba retulimus initio hujus dubii IV.*

belli, inter fratres Seleucum II., & Antiochum Hieracem gesti, narrat; Bactrianos primum defecisse, instigatoribus his, qui circa Euthydemum erant. „Deinde (pergit STRABO (a) Arsaces vir „ Scytha, Daos quosdam secum ducens, Parnos „ dictos, Nomades, qui ad Ochum accolebant, „ Parthiam invasit & occupavit.) Attamen non memorat STRABO: ARSACEM tum primum a Macedonibus defecisse, sed *cum suis* Parthiam occupasse. APPIANUS quoque (b) nihil de ARSACIS prima defectione a Regibus Syriæ diserte ponit; sed postquam occiso Antiocho II. Ptolemæum Evergetem Syriam invasisse, & Babylonem usque pervenisse, perhibuisset, addit („Et Parthi tunc defectionem „ incepere, quippe conturbato Seleucidarum prin„ cipatu.)

Itaque hoc Scriptorum veterum par in eo solum consentit: sub Seleuco II. Parthiam ab Seleucidis ad Arsacem defecisse; nequaquam vero negant,

(a) *Strabonis Geographia lib. XI. pag. 783. (vel 515. laterali nota) editionis Amstelodami, fol.* Ἔπειτ' Ἀρσάκης ἀνὴρ Σκύθης τῶν Δαῶν τινας ἔχων τοὺς Πάρνους καλουμένους Νόμαδας, παροικοῦντας τὸν Ὦχον, ἐπῆλθεν ἐπὶ τὴν Παρθυαίαν, καὶ ἐκράτησεν αὐτῆς·

(b) *Appianus de bello Syriaco, pag. 130. Editio Henr. Stephani.* Καὶ Παρθυαῖοι τῆς ἀποστάσεως τότε ἦρξαν, ὡς τεταραγμένης τῆς Σελευκιδῶν ἀρχῆς.

gant, (contra asserit potius STRABO) jam antea Arsacem populis quibusdam imperasse, quorum ope Parthiam occuparit.

Plurimum igitur si largiamur, sique interea hos duos Scriptores (qui, alia agentes, Parthicæ Monarchiæ initia attigere) præ aliis pluribus, quique definitos temporis characteres prodidere, audire velimus, dicemus: Arsacem accessione Parthiæ sub Seleuco II. potentiorem effectum, atque in Parthia fortasse (si Syncellum & Eusebium sequamur) biennio tantum Arsacem primum regnasse.

At numnam inde consequitur: Arsacem I. (aut successores) ab eo demum anno, quo is Parthiam occuparit, potius, quam a Principatus sui & primum excussi jugi Macedonici exordio, Æram instituisse, quod exordium tot Scriptores, tam *certis indiciis*, Antiochi II. ætati tribuere?

Deinde si STRABONEM etiam, & APPIANUM in subsidium vocet CL. CORSINUS, annum tamen illum V. C. 525. aut ei proximum, inde non consequetur. APPIANUS tempus notat, quo Ptolemæus Evergetes Babylonem pervenit; id evenit anno V. C.

 509.

509. proxime. STRABO; fraterna bella inter Antiochum Hieracem, & Seleucum II. commemorat, quæ quidem cœpere, si non cum ipso Seleuci II. regni initio, saltem anno V. C. 510, finitaque bella isthæc fuere victoria Seleuci, anno V. C. 514. Strabo annum prædicti belli non prodit, quo Bactriani, & deinde Parthi defecerint. Igitur ne nimium ab aliis Scriptoribus, & ab ipso APPIANO dissentiat unus STRABO, primis saltem belli fraterni annis circa V. C. 511. aut 512. Parthica defectio ad mentem STRABONIS statuenda erit: qui annus longe etiam ab an. V. C. 525. abest.

Denique cum veterum Scriptorum nullus sub SELEUCO II. annum seditionis Parthicæ definiat, aut tempus saltem anno V. C. 525. propinquius nemo perhibeat; res ad JUSTINUM rediit, qui immemor Consulum, sub quibus defectionem Parthicam contigisse ex TROGO retulit, rursum tempore fraterni belli inter Seleucum II., & Hieracem, imperium Parthicum ab Arsace, oppresso Andragora præfecto, occupatum commemorat, accepta fama seu opinione, Seleucum a Gallis in Asia victum fuisse: atque haud ita multo post etiam Hyrcaniam sibi eundem Arsacem subjecisse: conciliato porro Theodoto

doto Bactrianorum Rege, & comparato exercitu, Seleucum II. ab eodem Arsace victum fuisse. En hac de re verba Justini : (c) „ cum Seleuco Re-
„ ge ad defectores persequendos veniente Arsaces
„ congressus victor fuit ; quem diem Parthi exin-
„ de solennem velut initium libertatis observant.
„ Revocato deinde Seleuco novis motibus in A-
„ siam, dato laxamento regnum Parthicum format.

Ab hac victoria potuisse Æram aliquam Parthicam inchoari, jam alii videre : Usserius, Bayerus, & ego quoque, qui scripsi hoc tertium (aut quartum), ac maxime solenne Æræ Parthicæ initium dici posse (d). Tametsi re accuratius perpensa ex Justini loco isthoc *Epochæ* initium *certo* deduci mihi jam non videatur. *Diem* enim ingentis victoriæ, & a magno metu liberationem *annis* computandis initium dare, non est necesse ; præsertim si antea jam auctores alii *Principatus initia* constituta certo temporum charactere adnotarint. Hac victoria nihil novi lucratus fuisse videtur Arsaces (isque secundus, non primus, si Syncellum de biennio regni audimus) sed metu liberatus, datoque laxamen-

(c) *Lib. XLI. cap. IV. ad finem, & initio quinti.* (d) *Annales compendiarii Regum & Rerum Syriæ pag. 20. Anno ante Christum 248.*

to, ob discessum Seleuci in Asiam, fiducia concepta, regnum Parthicum in meliorem statum redegit.

Porro ex *Die* victoriæ maxime solenni, non consequitur, uti modo dixi, anni initium desumi, & *Æram novam* constitui. Seleucus I. Syriæ Rex superato Nicanore, & capta Babylone, Æram Seleucidarum primum instituit: idem cum deinde Nicanorem non vicisset tantum, sed vita & regno Mediæ spoliasset, eaque victoria omnia late ad Indiam usque obtinuisset, nequaquam ab illustriore hac victoria cœptam jam æram immutandam duxit. Vix ullum regnum esse credo, quod non solennes victoriarum *dies* celebret, quin *annorum* inde calculum deducat. Austriaci diem illum, quo Vindobona ab Turcarum obsidione, gravissimoque fœdissimæ servitutis metu anno 1683. liberata est, quot annis solennem celebrant, quin Æram inde novam numerandorum annorum instituerint. Sed largiamur iterum: posse hic initium esse aliquod, e pluribus controversis, a quo Arsacidæ annos suos deinde numerarint; magnum tamen mihi reliquum est dubium, anne hæc victoria, de qua Justinus agit, contigerit proxime circa annum V. C. 525.?

Enim

Enim vero victoriam illam, de qua JUSTINUS, & ex qua *dies illa solennis* originem duxit, anno V.C. 516. quam proxime adscribendam videri; puto me probabiliter admodum comprobasse, (e) media quadam via incedendo inter BAYERI, & VAILLANTII sententiam, quem hic sine nova discussione Cl. CORSINUS (f) sibi sequendum putavit. Paucis repetam argumenta mea. Seleucus II. anno V. C. 514. Antiochum Hieracem vicit, & Callinicopolin condidit, uti *e Fastis Siculis* colligitur. Movit inde primum anno 516. Seleucus in Arsacem, qui metu initio quidem perculsus, & fugiens, STRABONE teste, dein vicit tamen, JUSTINO auctore. Deinde vindicare Seleucus cladem acceptam cupiens, in Asiam novis motibus revocabatur; itaque laxamentum dabat Arsaci, quo regnum Parthicum alioqui victor, melius formaret, solidaretque. Atque hujus prioris victoriæ occasione *diem illum solennem* institutum fuisse JUSTINUS memorat. Nihil hic omnino de capto Seleuco memorat JUSTINUS; captum ab Arsace tamen fuisse Seleucum, certum est ex POSIDONIO apud ATHENÆUM (g). Itaque altero bello

rur-

(e) *In prolegomenis ad Annales Syriæ Parte IV. cap. V.*

(f) *Dissertationis pag. 27.*

(g) *Athenæus lib. IV. ex Posidonii lib. XVI. p. 153.*

rursum Arsaces a Seleuco impetitus est; id bellum VAILLANTIUS (*) proxime refert ad an. V. C. 525. & cum eo Cl. CORSINUS.

Verum, JUSTINUM si audimus, non ab hac secunda, sed a priori victoria *dies ille solennis*, & deducta inde, uti putatur, æra Parthica initium sumpsit. Deinde ATHENÆI verba si perpendam, qui πολὺν χρόνον, *multo tempore* Seleucum captivum, sed honorifice detentum fuisse scribit, non videtur ejus captivitatis initium in antepenultimum circiter regni Seleuci annum removendum. Diuturno captivitatis tempori suffragatur POLYBIUS (h) quo teste Seleucus II. (quod promissa cum barba, Syriæ regibus antehac non usitata, e captivitate Parthica rediisset) a dicaci populo Πωγων barbatus dictus est: quo vultu etiam in numo rarissimo apud HAYMIUM exhibetur (i.) qualis extat quoque in CIMELIO GARELLIANO apud D. de SUTNERN Vindobonæ.

Hæc omnia me permovere, ut circa nonum annum ante obitum Seleuci II, alteram hanc ejus-

dem

(*) *Vaillant in Canone Chronol. ad historiam Arsacidarum anno V. C. 525. captum ponit Seleucum II. Sed in Historia Regum Syriæ pag. 61. an. V C. 526.*

(h) *Polybius lib. II. sub finem.*

(i) *Haym. Tesoro Britannico Tomo I. pag. 35.*

dem in Parthos expeditionem collocarem, nempe ad an. V. C. 519. vel sequentem, ut ita septem circiter annos captivus detentus sit Seleucus, ac subinde uno, alterove liberatus supervixerit; quo tempore, POLYBIO teste, Rhodiis terræ motu afflictis dona submisit, ac paullo post vivere, JUSTINO TESTE, equo lapsus, desiit. Et sane illis Seleuci apud Parthos detenti annis, nihil ab eodem gestum in historia se se offert. Itaque probabilius etiam altera expeditio Seleuci II. in Parthos non est ad an. V. C. 525. quam proxime removenda, neque *dies ille maxime solennis* apud Parthos ab hac Arsacis victoria, sed a priore omnino derivandus est circa an. V. C. 516. si JUSTINUM audimus, qui solus hujus *diei* tam *solennis* meminit. Frustra vero a secunda victoria (quia *majore*, & quod per eam Arsaces *Mediam* obtinuisse videatur) Æram Parthicam, diemque *solennem* deducere conatur Cl. CORSINUS; id enim esse & contra mentem JUSTINI, & contra exemplum plane simillimum, quod de Seleuci I. Nicatoris duplici victoria, deque deducta a priore victoria Seleucidarum epocha, nec deinde immutata, paullo ante adduxi.

 Quod

[illegible]

[illegible]

[illegible] VI

[illegible]

Q[illegible]

cho II, an sub Seleuco II. multo serius fuisse constitutam?

Dispeximus hactenus Scriptores veteres, qui certum anni characterem prodidere, quique Antiochi temporibus omnes favent: deinde eos, qui ad Seleuci II tempora Parthici imperii initia submovere videntur; isthic paucis expendamus historicorum testimonia, qui in consignandis Parthicæ Æræ, & regni primordiis tempus certo erroneum adnotarunt.

Ex his aberrationibus illud unum per conjecturam deduci posse arbitror, ut, si plures ante Antiochi tempora Æræ Parthicæ initia indicarint, quam post Seleuci II regnum; probabilior videatur ea sententia, quæ ante Seleucum II Æræ Parthicæ exordium constituit, quam quæ in posteriora tempora rejiecit: præsertim si clarius, certiusque de *Arsacidarum initio* agant priores, quam posteriores.

Tres invenio Scriptores veteres, quorum duo ante Antiochi II. regnum Parthici Arsacidarum regni initia collocant: unus post Seleuci II. aetatem eadem commemoravit.

Sub Seleuco I Nicatore, Syriæ Rege, Arſacis, & Parthicæ Monarchiæ initia ita collocat Ammianus Marcellinus (*) „Qui (Arſaces) poſt multa glo-„ rioſe & fortiter geſta, ſuperato Nicatore Seleuco, „ ejusdem Alexandri ſucceſſore, cui victoriarum „ crebritas hoc indiderat cognomentum, præſi-„ diisque Macedonum pulſis, ipſe tranquillius „ agens, temperator obedientium fuit, & arbiter „ lenis.) Suſpicatur quidem CL. Corsinus (x) loco Seleuci Nicatoris hic facili ſubſtitutione Seleucum Callinicum, ob ſimilitudinem vocabuli, a Victoria ſumpti, accipi potuiſſe; ſed Marcellinus duplicem aliam Seleuco ſuo notionem adjunxit, quæ Seleuco Callinico attribui vix poterit: nempe Seleucus Alexandri Successor, et is, cui *crebritas Victoriarum* nomen ſplendidum addidit, dici non poteſt, niſi Seleucus I. Nicator: quando Seleucus II, quartus denique poſt Alexandrum regnavit, atque idem potius crebro victus, regnoque pene exutus, & a Parthis captus, unica, quod ſciatur, de Antiocho Hierace Victoria Callinici nomen eſt adeptus.

Alter Scriptorum veterum, qui *Hiſtoriarum collectionem, ſeu Olympionicarum catalogum confecit* (**) ad Olym-

(*) *Ammianus Marcellinus lib. XXXIII. Cap. VI. pag. 282. Editio 1693. L. Bat.*

(x) *Corſini diſſertatio pag. 15.*

(**) *In theſauro Temporum Joſ. Scaligeri pag. 335.*

Olympiadis CXXVIII. initium hæc adſcripſit: „ Arſaces Parthicus obtento principatu, Macedo- „ nibusque ejectis Parthis regnum tradidit: inde „ Arſacidæ appellati ſunt Perſarum Reges.)

Minus hic aberratur a vero tempore, quam apud Marcellinum; nam Olympiadis CXXVIII. annus primus incidit in an. V. C. 486. Antiochi primi Soteris XII., aut XIII^tium. Attamen hic Scriptor paullo poſt errorem hunc correxit, & cum Eusebii Canone ad Antiochi II. ætatem Parthici regni incunabula felicius retulit.

Tertius hiſtoricorum Cornelius Tacitus (*) ad quarti Antiochi tempora, nimium ſero, Arſacidarum regni primordia his verbis rejeciſſe videtur: „Dum Aſſyrios penes, Medosque, & Perſas oriens fuit, deſpectiſſima pars ſervientium (erant „ Judæi.) Poſtquam Macedones præpotuere, rex „ Antiochus demere ſuperſtitionem, & mores Græ- „ corum dare adnixus, quo minus deterrimam „ gentem in melius mutaret, Parthorum bello pro- „ hibitus eſt. Nam ea tempeſtate Arſaces deſcive- „ rat. Tum Judæi Macedonibus invalidis, Parthis „ nondum adultis, (& Romani procul aberant) ſibi

(*) *Tacitus hiſtoriarum lib. V. cap. VIII. pag. 807. 808. in uſum Delph. Pichoni nota in hunc locum corrigenda ſunt, qui Antiochum Sidetem cum Epiphane confudit.*

„ sibi ipsi reges imposuere.) Manifesto hæc quidem ad Antiochum IV. pertinent, qui Judæos ad idolorum cultum traducere, etiam tormentis adactos, conabatur. Attamen nihil hic diserte *de primo* ARSACE, neque de regni Arsacidarum *primordio* satis certo agere videtur TACITUS. Nam quod ARSACES defecisse, quodque PARTHORUM regnum *nondum adultum* dicatur, id referri commode potest, ad Antiochi III. Magni expeditionem in Orientem, qua Arsacidas rursum aliqua ratione subegit, eorumque potentiam infirmavit; ut ita ARSACES PHRAATES (aut ARSACES MITHRIDATES) eatenus defecisse ab Antiocho IV. dici possit, quatenus amicitiæ & clientelæ jura, pactaque, sub Antiocho Magno inita, violarit.

Itaque qui unicus *post* Seleuci II. tempora Arsacis, & Parthorum nondum adulti imperii meminit *Tacitus*, nequaquam certo de initio ipso regni Arsacidarum, neque de primo Arsace locutus fuisse videtur; ut adeo neque ex antiquorum Scriptorum erroribus conjectura probabilis cogi possit: sub Seleuco II. potius, quam sub Antiochio II. Parthici Arsacidarum regni initia esse collocanda.

Altera igitur hac parte e Chronologorum fere

omnium

omnium consensu, e Scriptorum veterum Græcorum, Latinorum, peregrinorum testimoniis, certis, dubiis, erroneis; et vero ex iis præsertim, quæ certum anni characterem rite exhibent, grave profecto dubium existit: an non multo probabilior habenda sit VAILLANTII, quam CL. CORSINI de Æræ Parthicæ initio sententia?

PARS III.

De Numis Regum Armeniæ, ac de Arsamis Numo.

DUBIUM I.

Possintne Numi Vologæsis Æræ Parthicæ novæ accommodari?

Illud facile pervidit Vir perspicax, atque rei numariæ veteris egregie peritus Cl. CORSINUS, numos quosdam VOLOGÆSIS (quem tertium ejus nominis Parthorum regem VAILLANTIUS appellat) constitutæ ab se Æræ Parthicæ plurimum obesse. Itaque tametsi *Paragrapho III.* præclaræ *Dissertationis* hanc epigraphen fiduciæ plenam præfixerit. *Parthicam æram ab Arsacidis etiam Armeniæ Regibus usurpatam esse*

esse demonstratur, *eorumque Regum series ac nummi ostenduntur*. Attamen rem ipsam a solutione permolesti dubii aggreditur his verbis: „ Illud unum huic novæ „ Arsacidarum æræ, superius a me constitutæ, oppo„ ni posse conspicio, quod apud Vaillantium „ in argenteo Vologæsis III. numo characteres „ ΑΝΥ. in altero ΞΥ reperiuntur, quibus annus „ 451. & 460. in Arsacidarum æra numeratus ex„ primitur - - -) Proposita difficultate ita candide „ confitetur: (k) „ ut hæc difficultas, cui *ma*„ *xima sane ac infinita propemodum vis* inesse deberet, ac„ curate dirimatur. - - -

Quanquam complura, eaque haud levia hactenus adversus novam æram Parthicam e vetustis Scriptoribus obmoverim dubia; sinam tamen ad hujus dubii solutionem causam devolvi. Quod si *maxima ac infinita propemodum vis* dubio alicui inesse posset, nisi idem accurate dissolvatur; methodus dissolvendi saltem *magna probabilitate* gaudere debet, atque majore, quam sententia contraria.

Conabor igitur breviter ac perspicue, difficultatem istam primum, dein ejusdem solutionem a Cl.

COR-

(k) *Dissertationis pag.* 31.

CORSINO tentatam proponere, denique VAILLANTII ſententiam cum ea ſolutione conferre.

Aliquot numi Vologæſis cum hac inſcriptione habentur: *Regis Regum Arſacis Vologæſis, Juſti, Illuſtris,* & in alio additur: *Græcorum amici.* Caput eſt mitra tectum, cum diademate multiplici, apud VAILLANT. In averſa rex mitratus ſedet, cui mulier turrita ſertum porrigit.

In hujusmodi numis Vologæſis, numeri æræ Parthicæ obſervati ſunt ſequentes, reducti ad annos Urb. cond.

		Ad Æram Corſini.		Ad Æram Vaillant.
Anni numorum, apud Vail.	448	973	*Urb. Cond.*	946
Apud Vaillant & Spanheim.	451	976		949
In Catalogo Muſ. Theupoli.	454	979		952
Apud Vaillant.	460	985		958
Haym. Teſ. Brit.	461	986		959

Subjungam laterculum Hiſtorico Chronologicum Regum Parthiæ & Armeniæ, quoad ea, quæ circa tempus Vologæſis III ex vetuſtis hiſtoricis certa ſunt, & comprobata apud TILLEMONTIUM, & VAILLANTIUM.

Anni

Anni Urb. Cond.

942 *circiter* Vologæsi II. mortuo succedit *Vologæses III. R.* Parth. Initium enim ejus incertum est. *Vaillant Canone Chron.*

950 VOLOGÆSES REX PARTHIÆ Mesopotamiam occupat.

951 VOLOGÆSES REX ARMENIÆ a Septimio Severo ditatur. Sed VOLOGÆSES REX PARTHIÆ fugit Septimii Severi metu.

967, vel 968 VOLOGÆSES III. Rex Parthiæ obit. Ejus filius ARTABANUS IV. cum fratribus (quorum unus ARSACES) de Parthiæ imperio certat, solusque, superatis fratribus, regnat: ab Antonino Caracalla impetitur.

970 TIRIDATES, Vologæsis ARMENII filius, id regnum a Macrino Aug. obtinet.

976 ARTABANUS IV. Arsacen fratrem Regem Armeniæ constituit.

979 ARTABANO IV. victo, & occiso, ARTAXARES, seu ARTAXERXES Persa Parthis imperat, contra quem Rex Arsaces in Armenia se armis tuetur, cum Artabani prolibus.

993 ARTAXARI succedit SAPOR, qui annis XXXI. regnavit. *Agathias lib. II. pag. 134.*

Con-

Contendamus jam hos annos cum iis, qui applicati ad ſententiam novæ Æræ Parthicæ in numis Vologæsis deprehenduntur; videbimus illico, nullum in annis Corſinianis *certum Vologæſen* nec Parthiæ, nec Armeniæ Regem occurrere ab anno V. C. 973 ad 986. quos annos Cl. Corsinus notis numorum Vologæsis ex ſua Æra applicandos putat.

Quid igitur? „ Vologæſes alius ordine IV. „ Vaillantio prorſus incognitus Parthiæ Regibus „ adjungi fortaſſe debet, qui ſimul cum Atrabano „ IV. fratre in Parthiæ Regno imperavit.) (l) Ita Cl. Corsinus conjecturarum agmen orditur, atque eo finito, ita Vir magnæ ſapientiæ, & judicii ipſe candide profitetur) „ Ac ne conjecturis ſolum a„ gere, iisque doctiſſimi Vaillantii ſententiam Eru„ ditis omnibus modo receptam convellere hic videar - - - (m) Conjecturis itaque ſolum hic Vologæses novus aliquis inquiritur, atque haud ſat conſtante ſententia. Nam primum *Parthiæ Rex*, Artabani IV. frater, & collega Vologæses nomine offertur: deinde Vologæsis nomen Arsaci Armeniæ Regi, Artabani item fratri, liberaliter adjungendum putatur. (n) „ Quod SI Arſacis Vologæſis

 „ nomen

(l) *Cl. Corſini Diſſertatio pag.* 31. (m) *pag.* 35. *ibidem.* (n) *Ibidem pag.* 34.

„ nomen non Patri solum Parthiæ Regi, sed filio quoque Armeniæ Regi commune esse POTUIT.)

Sed videamus conjecturarum pro utroque, vel unico novo Vologæse fundamenta (o). Ex Dione constat: Caracallam Aug. ad Senatum scripsisse: *De Regibus Parthorum, quod cum fratres essent, & inter se dissiderent, respublica Parthorum, ex fratrum dissensione magnum detrimentum aliquod esset habitura.*) Itaque REGES tum erant Parthiæ, & fratres, quorum unus utique nomen Patris Vologæsis habere potuit.

At enim Dio, qui hæc dissidia fratrum refert, (quæ res ad annum V. C. 968. a Tillemontio refertur) deinceps solius semper Artabani Parthiæ regis meminit, ut dubium non sit Tillemontio, & Vaillantio quoque, Artabanum superatis fratribus *solum Parthis imperasse*; neque nisi post annos fere octo Artabanum Arsaci fratri Armeniam dedisse constat. Deinde quod omnes fratres Artabani, ab eodem dissidentes, Reges vocentur, id aut de *contentione*, *affectationeque* ipsorum accipiendum est, atque τὸ βασιλευσάντων apud Dionem, potius *regnaturorum*, seu *regnare volentium*, quam reipsa βασιλευόν-

των

(o) *Dissertationis pag. 31.*

των notionem ingerit: aut Caracalla augère utique volens quacunque ratione periculi Parthiæ impendentis ſpeciem, omnes diſſidentes fratres Reges appellavit. Sed aliquem Artabani fratrem, & Vologæsen nomine, & Parthiæ partis Regem fuiſſe, ſi etiam darem, circa an. V. C. 968. id accidiſſet; quo pacto ejusdem numi anno V. C. 986. cum titulo Regis Regum cuſi fingi poterunt, poſteaquam Artabanus IV. ipſemet ab Artaxerxe Perſa jam an. V. C. 979. victus, & interemptus fuit, Parthiæque Monarchia omnis proximis annis in ejus poteſtatem eſt redacta?

Alterum conjecturæ momentum erat: ab Dione iſta memorari: *Caracallæ bellum Parthis inferenti ea cauſa prætexebatur, quod Vologæſes Tiridatem unaque Antiochum quemdam ſibi, eos poſtulanti, non dediſſet.* Fatetur Cl. Corsinus (p) perſpicue certoque ex hoc loco deprehendi non poſſe, an Caracalla ab Artabani IV *patre*, vel *fratre Vologæſe* illos transfugas repetierit. Itaque ego ita arguo: cum *Patris* nomen *certiſſimum* ſit Vologæses, fratris vero nullo modo; utique de Artabani IV. patre Vologæse accipi is locus, potius debet, & ita accipit accuratiſſimus Tillemontius

(p) *Diſſertationis pag. 32.*

xius, neutrarum partium Scriptor (q) qui de alio nullo Vologæſe, niſi de Rege Parthiæ, Patre Artabani ad an. V. C. 968. loquitur, eidemque anno mortem Vologæſis adſcribit, eique continenter eodem anno adjungit prætenſam a Caracalla belli Parthici cauſam, quod Vologæſes petitos duos transfugas non tradidiſſet.

Quod deinde additur: certum ſaltem eſſe, Artabani IV. ætate, fratrem ejus Regem Parthiæ fuiſſe; repono de *nomine Regis* tantum a Caracalla dato, ac *de prætenſione* id certum eſſe, non de poteſtate: minime vero *Regem illum Parthiæ* ad ea tempora extendi poſſe, quæ numis *Vologæſis Regis Regum* usque ad an. V. C. 986. indicantur, uti paullo ante monui.

At enim in *Parthorum* novo Rege Vologæse IV (quem quidem nemo ita veterum appellat) cum Cl. Corsinus ipſe non acquieſceret, conjecturas ad Arsacem, certum quidem Artabani IV. fratrem, & *Armeniæ Regem* tranſtulit, his verbis: (r) „ Quod „ SI Arsacis Vologæsis nomen non patri ſolum „ Parthiæ Regi, ſed filio quoque Armeniæ Regi „ com-

(q) *Tillemont Hiſtoire des Empereurs Tom. III. pag. 113. & in Chronologia pag. 546.* (r) *Diſſertationis pag. 34.*

„ commune esse POTUIT, idque Vaillantius ipse
„ CONCEDERET. (Qui in Zonaræ loco Arsa-
„ cem legendum, atque Arsacem Vologæsem in-
„ telligendum esse jam viderat) quo demum cha-
„ ractere, certaque nota ostendi jam poterit, quod
„ numi solo Arsacis, vel Arsacis Vologæsis no-
„ mine insignes, ac notis ANΥ. ΣΥ. decorati ad
„ Vologæsem Parthorum, non vero potius ad al-
„ terum Armeniorum Regem referri debeant?

Sed rursum hic merum SI. SI CONCEDERET. POTUIT. occurrunt, quæ nihil probant. De Vaillantii. loco citato *pag. 291. Arsacidarum historiæ*, admodum dubito, an probe huc quadret; nam Vaillant *pag. 290. & 291.* item in præmissis Annalibus *pag. 17.* loco Artabani, *apud Zonaram lib. XI. cap. 18.* legendum censet Arsacem tanquam commune regum Parthiæ vocabulum: eum vero Arsacem monet Vologæsem fuisse, non Artabanum; quod Parthici regis Vologæsis nomen hoc tempore apud probatos auctores diserte occurrat, non item Artabani. Itaque Vaillantii lectio illa potius pugnat contra Cl. Corsini sententiam, qua Vologæsis nomen, Arsacis Armeniæ regis soli certo nomini, sine ulla veterum auctoritate, adstituitur.

Nu-

Numos vero illos REGIS REGUM ARSACIS VOLOGÆSIS, in quibus leguntur anni 451. 454. 460. non Armeniæ dubio, ſed certo Parthiæ regi eſſe adſcribendos, melius oſtendit titulus REGIS REGUM & mitra, *ſeu tiara*, etiam cum *multiplici diademate* (quales ſunt numi duo apud VAILLANT.) quam omnes conjecturæ pro ARSACE Armeniæ rege vel pro novo VOLOGÆSE IV. PARTHIÆ excogitato Monarcha operoſe prolatæ.

Neque licet hic obmovere Tigranis numos, etiam Armeniæ Regis, titulo REGIS REGUM ſuperbientes. De Tigrane ſiquidem diſertum habemus PLUTARCHI teſtimonium (APPIANO (s) ſuffragante) eundem ſubactis vicinis provinciis, reges multos obnoxios, & aliquot ab obſequiis ſemper habuiſſe, ſeque, occupata etiam Syria, Regem Regum appellari voluiſſe, atque idirco Lucullo ſuccenſuiſſe, quod ſe REGEM *tantum* per epiſtolam ſalutaſſet. (t) Quod ſi ſimilia poteſtatis, faſtusque perſpicua exempla de noſtro ARSACE, ARMENIÆ *rege*, prolata fuerint, fatebor tum quidem Arſaci Armenio REGIS REGUM titulum dari potuiſſe, at non item cognomen VOLOGÆSIS, niſi id etiam auctoritate roboretur.

Vi-

(s) *Appianus in Syriacis pag. 118. edit. Henr. Stephani :* Βασιλεὺς ἀπὸ τῶδε βασιλέων ἡγεῖτο εἶναι. *Ex quo Regem Regum ſe eſſe exiſtimavit.)*

(t) *Plutarchus in lucullo pag. 505. edit. Paris. Fol. Videri etiam poteſt Strabo ſub finem lib. XI. de potentia Tigranis.*

Videamus jam, & comparemus VAILLANTII sententiam cum prædictis numorum VOLOGÆSIS titulis, & cultu capitis, & notis numericis. Nomen ipsum VOLOGÆSIS, seu VOLOGASIS prodidit historicus synchronus de hoc Arsace VOLOGASE III. DIO CASSIUS. (u) Nomen ARSACES, ac titulus REGIS REGUM, itemque *diadema multiplex*, *tiara* & *candys*, Parthiæ regum sunt propria, uti nemo ignorat: denique annorum numeri omnes quinque (respice laterculum Chronologicum) intra Vologæsis III. regni tempus fere medium concluduntur. Ita præcipua omnia congruunt de his numis in VAILLANTII sententiam, quæ Æram Parthicam anno V. C. 498. affigit; ut nulla conjectura hac in re sit opus, sed suapte omnia in Vologæsen III. conspirent; ubi contra in CL. CORSINI operosa dissertatione incerta, spinosisque dubiis impedita prorsus omnia ostendimus, qua tamen solvi debuisset dubium maximum, ac infinita propemodum vi præditum.

DUBIUM II.

De aliis numis Armeniæ Regum, & inde petito argumento.

AD Achilleum CL. CORSINI argumentum delabimur, quo post conjecturarum velitationes,

K velut

(u) *Dio lib. LXXV. pag. 854. edit Wechel. & Lib. LXXVII. pag. 878.*

velut gravis armaturæ milite, VAILLANTII Systema impugnatur. Conferam in pauca vim argumenti. (x)

Inventi sunt numi REGIS ARSACIS, & REGIS REGUM ARSACIS, cum notis numericis 491. & 508, quæ ad Æram Parthicam VAILLANTII applicatæ, ultra Artabani IV. postremi ex Arsacidis Parthiæ regis obitum excurrunt. Hi numi Persicis Regibus Artaxari, & Sapori tribui non posse videntur; cum quod Artaxares Arsacidas, & regni initium Arsacidarum odisset, belloque insectatus delere Arsacidas cuperet, ipsumque Artabanum occiderit: tum quod Scriptorum veterum fortasse nemo, præter Symmachum, & Sidonium Persas istos ARSACIDAS appellet: ipsique Persiæ reges in epistolis se se non ARSACIS vocabulo (quod in *omnibus* Parthorum, & pluribus Armeniæ regibus observatum) sed aliis nominibus scripserint. Denique quod alii Persici commatis numi extent, alio capitis ornatu, quam Arsacidæ, aliis characteribus, alio aversæ partis typo, sine epochæ notis; ut adeo prope certum esse videatur, numos istos, etsi Parthicorum numorum similitudinem aliquam præ se ferant, ad Armeniæ reges referendos, qui post ARSACEM, Artabani IV.

ARSA-

(x) *Corsini Dissertat. pag. 35. ad 40.*

Arsacidæ fratrem, ei regno præfuiſſent, ex Arſacidarum ſtirpe oriundi.

Occurram ſingulis. Si Arttabanum odio habuit, & occidit, fratremque Arſacem bello impetiit Artaxares Perſa; inde non conſequitur, etiam diu receptam annos numis inſcribendi methodum odiſſe; ſane æmuli regnorum fere cupiditate imperandi potius, quam odio ejus familiæ, quæ antea imperaverit, incitantur.

Contra vero cum alioqui ex humili ſtirpe (Zonaræ teſti ſi credimus) ortus ſit Artaxares, ejusdem, novum regnum apud Perſas & Parthos auſpicantis omnino intererat, ſaltem *apud Parthos*, vetus Arsacis nomen, tantopere Parthis carum (*) ac venerabile (ut mox oſtendam) in cudendis, ſaltem in Parthia, numis retinere.

Octavianus Cæſar Auguſtus, & reliqui Romani Imperatores usque ad Neronem, cognomen CAESAR, Juliæ gentis proprium, numis ſuis inſeri voluere. Galba, qui nullo, ne adoptionis quidem aut affinitatis titulo, ad familiam Juliam pertinebat, Nerone Cæſare æmulo ſublato, ſe Cæsarem tamen etiam in numis ſcribendum curavit; quod

 vene-

(*) *Strabo lib. XVI, pag. 1086. edit. Amſtelod.* Διὰ τὸ ἔιναι σφόδρα φιλάρσακας τὺς Πάρθους. *Quod valde Arſacum amantes ſint Parthi.*

venerandum id esset Romanis nomen, & eatenus in numis Romanorum Imperatorum usitatum. Num simile quid in oriente evenire non potuit? Quid si ego ostendam, non modo Arsacis nomen, saltem apud Parthos, retinuisse Persicos reges, Artaxaris successores, sed eosdem aut reipsa ex vetustiorum Arsacidarum aliqua linea descendisse (quando alioquin Arrianus apud Photium, & Syncellum e Persia, ab Artaxerxe Persa, stirpem Arsacis primi deducit) aut certe ita apud Parthos credi voluisse.

Atque isthic ego non solum Symmachi, & Sidonii (tametsi præclare & isti huc faciant) testimoniis utar, sed insigni plane loco Ammiani Marcellini, qui de *suo tempore*, id est, de Augustorum quarto sæculo, loquens, & meam de Cæsaris Augusti titulo comparationem firmat, & Arsacidarum venerationem, ac stirpem Persicis regibus asserit hisce verbis, de regno Parthico, de que Arsace primo Parthiæ rege (**) „Utque Imperatoribus no-
„ stris Augusta nuncupatio amabilis est & optata;
„ ita regibus Parthicis abjectis & ignobilibus antea,
„ incrementa dignitatum felicibus Arsacis auspi-
„ ciis accessere vel maxima. Quamobrem numinis
„ eum

(**) *Ammianus Marcellinus Rerum gestarum sui temporis lib. XXIII. Cap. VI. pag. 283. edit. 1694. Lugd. Bat.*

„ eum vice venerantur & colunt , EO USQUE
„ propagatis honoribus, ut ad NOSTRI memori-
„ am, niſi ARSACIDES is SIT, quisquam in ſusci-
„ piendo regno cunctis anteponatur : & in quali-
„ bet civili concertatione, quæ aſſidue apud eos
„ eveniunt, velut ſacrilegium quisque caveat, ne
„ dextra ſua Arſacidem arma geſtantem feriat vel
„ privatum.

Non absque cauſà igitur SYMMACHUS & SIDONIUS, a CL. CORSINO citati: ac præterea ISIDORUS HISPALENSIS (y) ac SUIDAS (z) PERSARUM etiam reges ARSACIDAS appellavere; qui quidem iſta é MAURI SERVII *Commentariis* in VIRGILIUM (a) hauſiſſe videntur, ita ſcribentis: „Scimus enim ſolere ple-
„ rumque fieri, ut primi Regis reliqui nomen ejus
„ poſſideant, ut apud Romanos AUGUSTI vocantur,
„ apud Albanos SILVII, apud PERSAS ARSACIDÆ,
„ apud Ægyptios Ptolemæi.

At enim Scriptores alii Perſicos reges, Artaxarem, & Succeſſores, Arſacidas non vocant? ſed ne-

 que

(y) Originum lib. IX. Cap. II. pag. 122. „Quod (Cæſaris nomen) „ & ſequentes Cæſares hactenus uſurpaverunt. Solet enim fieri, ut primi „ Regis nomen etiam reliqui poſſideant, ſicut apud Albanos ex Silvii nomi- „ ne omnes Reges Albanorum Silvii appellati ſunt, ſicut & apud Perſas Ar- „ ſacidæ. (z) Suidas in Vocabulo Arſaces. (a) Maurus Servius Honoratus in lib. XII. Æneidos pag. 690. edit. Rob. Stephani 1532.

que negant: eosdem aut vere, aut affectate id vocabulum, apud Parthos tam sanctum, alicubi usurpasse, & more recepto numis saltem Parthicis intulisse. Quod nemo negat, & quidam asserunt, (*) atque ratione ipsa politica probabile videtur, fide dignum est illud sane potius, quam oppositum.

Verum Artaxares de se loquens apud HERODIANUM, & Sapor in Epistola apud AMMIANUM, non se compellant nomine ARSACIS! Ergo nullibi, nullo tempore, se se Arsacis compellatione indicari, nec apud Parthos voluere? nego enim vero sequelam. HERODIANUS ipse eodem *libro IV.* etsi certo Arsacidam, non nisi ARTABANUM appellat, multique alii Scriptores plerumque ARSACIDAS ipsos Parthiæ reges alio, quam ARSACIS vocabulo designant: etsi Parthicorum regum numi solo ARSACIS Vocabulo *plerumque*, (*in omnibus tamen Parthorum*, *atque in pluribus Armeniæ regibus*, uti vult (b) CL. CORSINUS, id non observatur) præter titulos honorum resplendeant.

Instat porro Cl. CORSINUS: HERODIANUM, AGATHIAM, & SYNCELLUM diserte Arsacidarum Imperium cum

(*) *Marcellinus, Servius, Symmachus, Sidonius.*

(b) *Dissertationis pag. 36. ad finem. Sane Numi Vologesis & Monnesis cum titulo Regis Regum, regum Parthiæ sunt: De Armeniæ regum numis quæritur, an quis Arsaci Armeniæ regi tribuendus sit? Reliquorum Armeniæ regum numos certos, præter Tigranis, & Xerxis non agnoscimus.*

cum Artabano extinctum perhibuisse. Repono ego: Marcellinum, Symmachum, Servium, Sidonium Apollinarem, quarto & quinto post Christum sæculo Persiæ, Parthiæque Reges Arsacidas appellasse; atque adeo priores illi Scriptores, de vera Arsacidarum, aut rami recentioris stirpe locuti sunt, quæ quoad Parthiæ, & Persiæ regna desiit in Artabano IV. posteriores vero isti Scriptores *de vocabulo Arsacidarum*, *de Arsacidarum* compellatione, aut stirpe *affectata*, aut inserto saltem sub primis regibus, numis Parthici commatis Arsacis nomine, egisse sunt censendi, ut veritatem utrisque asseramus.

Postremum Cl. Corsini argumentum, quo negat Numos *Regis Regum Arsacis* cum annis 491. & 508. ad Persiæ Reges revocari posse, desumitur a numis argenteis Persicorum Regum, atque fortasse primorum, qui alio capitis cultu, alio aversæ partis typo, aliis characteribus inscripti, facile evincant, ad Reges Persicos illos Arsacis numos nullo modo pertinere.

Primum respondeo: incertum esse, a quibusnam primum Persicorum Regum, novi illi, alterius omnino commatis, numi signati fuerint; si enim

con-

conjectura mea, qui Perficos illos numos e FRANCISCI Cæſaris Auguſti Cimelio, in publicam lucem protuleram, aliquid momenti habet, ut *primis* Perſicis regibus attribuantur; profecto alii ænei illi numi minoris moduli, qui Æram Parthicam ſine Regis nomine præ ſe ferunt, atque Armeniæ regibus ab Eruditiſſimo Corsino tribuuntur, aut Armenis abjudicandi erunt, aut potius ob caput cum multiplici diademate, aut more Parthico mitratum, & ob capillos in orbem glomeratos, ad poſtremos Parthiæ reges referendi erunt, quorum morem, de conglobatis crinibus aliquem, aliave in numis aliquibus magis, in aliis minus ſervarint ſucceſſores Perſici Reges.

Quod vero Perſicorum regum aliud genus numorum *in Perſia* cuſum ſit, aliud *in Parthia*, vetere more cudendum, ut in novitia poteſtate, curarint, aut permiſerint Perſiæ Reges; id Romanorum Cæſarum comprobari exemplo, confirmarique poteſt. Romæ cudebantur Imperatorum numi aurei, argentei, ænei, charactere Romano, cum annis TRIB. POT., & averſa parte ſæpe Romanis rebus propria, at iidem Imperatores indulſere per tria fere ſæcula urbibus Græciæ, & Aſiæ, ut Græco

cha-

charactere, & epochæ antea usitatæ numeris, aut in Ægypto, more priorum Regum, annis imperii, cum Diis, cum ludis, cum figuris, cuique genti propriis, insignes numos ex *ære tantum* procuderent, capite interdum cum corona radiata, aut posita infra pectus aquila, aliterve, quam in multis Romani sphragisterii numis occurrat. Rectene ex his numis, præsertim si eos legere non nosset (uti nos Persicos non legimus) Persicus quidam antiquarius argueret: non esse hos etiam Romanorum Augustorum numos, neque iis *Cæsaris* assumptum titulum competere, neque epochæ annos Cæsaribus respondentes comparere?

Itaque probabiliter admodum dici potest: (si etiam Persicos illos numos primis Persiæ regibus, quod certum non est, tribuere libeat.) Artaxarem, & Successores proximos, ne Parthos recens subactos offenderent, apud eosdem, uti antehac numos veteri more & epocha signandos indulsisse cum sacro illo Arsacis vocabulo: in Persia tamen aliam monetam instituisse, ubi Persici illi elegantes numi signati sint.

Id comprobare videtur ipsa amborum numorum species; nam Parthici commatis numi, cum po-

ſtremis annis, rudi & neglecto ſunt artificio, characteribus græcis interdum vitioſe expreſſis, ex argento admodum impuro, aut ex ære ſine nomine Regis; quod nempe Parthica moneta jam negligi inciperet, aula regnante in Perſiam translata: econtra Perſici numi ex argento puro, elegante fabrica, aut ex flavo metallo, auri æmulo, conflata ſunt, novo ornatu, novisque averſæ partis figuris, quæ Ignis & Aſtrorum cultum indicarent, veteribus etiam Perſis ſolennem. Minime itaque neceſſe eſt ARSACIS numos cum annis 491. 508. Perſarum regibus auferre, & Armeniæ Regibus Arſacidis tribuere. Quod ſi daremus etiam numos iſtos ad Artabani IV poſteros referri poſſe, qui Dione teſte lib. LXXX, in Armenia reſtitere: id nihil obeſſet Æræ Parthicæ VAILLANTII, iisdem enim æque in VAILLANTII ſententia applicari poſſent anni ipſiſſimi, quos Perſicis regibus adſcribimus, ad eandem ætatem ſpectantibus.

DUBIUM III.

An non ſatis certo oſtendi poſſit: poſtremos illos Arſacis numos Armeniæ Regibus non eſſe adſcribendos?

Nequaquam ſatis me erudito, & æquo Lectori facturum arbitrabar, ſi ea duntaxat diluerem, quæ Cl. CORSINUS e duobus Numis ARSACIS contra VAIL-

LAN-

LANTII ſententiam de Æra Parthica operoſe obmoverat; niſi iisdem ego numis ut argumentis uterer, queis probabilius evincerem, eosdem ad Armeniæ reges, etſi Arſacidas, non eſſe referendos. Numi ipſi a VAILLANTIO (c) ita proponuntur:

Caput barbatum, mitra rotunda gemmata, cum diademate multiplici, tectum, a tergo B.
ΒΑΣΙΛΕωΣ ΑΡΣΑΚοΥ - - - ΕΠΙΦΑΝοΥΣ.

Mulier ſtans, d. ſertum offert regi mitrato & barbato ſedenti. *Epocha* ΑqΥ *Anno* 491.

In hoc numismate attrito aliqua deſunt, incertumque eſt, an non ante ΑΡΣΑΚοΥ deſit pro more ΒΑΣΙΛΕΩΝ. ut ſit: *Regis Regum Arſacis - - - Illuſtris.* Sane de ſimilibus aliis tetradrachmis argenteis numis, quibus averſæ Partis figuræ iſtæ propriæ ſunt, legitur ſemper *Regis Regum* titulus, uti & in ſequente.

Alterum numisma ita habet:
Caput prolixa cum barba, multiplici diademate cinctum, criſpatum, & humeri Candy tecti.

ΒΑΣΙΛΕωΣ. ΒΑΣΙΛΕωΝ ΑΡΣΑΠΚοΥ. . . . ΜΕΓΑΛοΥ. *Regis Regum Arſacis - - - magni.* Eædem figuræ, quæ in priore: Epocha ΗΦ. *Anno 508. Argenteum tetradrachmum.*

 Pri-

(c) *Vaillant hiſtor. Arſacidarum pag.* 391. & 394.

Primum hæc duo numismata ea ſpecie ſunt, uti cetera ejusmodi Regum Parthicorum, quæ titulos *Regis Regum Arſacis* præ ſe ferunt; itaque jam communi præjudicio ad Parthiæ Monarchas pertinent, quales deinde fuere Reges Perſiæ, pulſo Artabano IV.

Deinde Perſicos hos reges *Arſacidarum* quoque nomen (jure, an politica fictione, non definio) affectaſſe, ex MARCELLINO, SERVIO, SYMMACHO SIDONIO, ISIDORO, SUIDA, priore dubio comprobavi: ac Perſicæ fabricæ numos nihil obeſſe, quo minus & Parthici commatis monetæ ſub Regibus Perſiæ ſignatæ ſint, ex Auguſtorum numis Græcanicis, ac Ægyptiacis admodum probabiliter deduxi.

Porro Armeniæ Regibus poſt Tigranem, magnum illum, & certum *Regem Regum*, titulus iſte non competit; quippe qui ſub Romanorum Imperatorum alias, alias ſub Parthiæ, aut Perſiæ Regum tutela, neque magni Reges, minus *Reges Regum*, ſed potius Auguſtorum, aut Regum clientes fuere. Accedit illud, quod Armeniæ *Regum* numismata, nempe Tigranis, & numi Romani, in quibus *Armeniæ* fit mentio, aliam mitram, ſeu ornatum capitis certo referant, quam in præmiſſis duobus numis ARSACIS videatur.

Alii

Alii Regum Armeniæ numi certi non ſunt producti, niſi Tigranis: unum, aut etiam alterum, producam ſequente dubio, ſed alio iterum capitis ornatu, quam in numis iſtis, Arsacis nomine inſignibus, compareat.

Veniamus vero etiam ad Chronologica argumenta. Fingamus verum eſſe initium Æræ Parthicæ, a Cl. Corsino ſtatutum anno V. C. 525. Itaque numi illi duo Arsacis nomen exhibentes e Vaillantio adducti, cum annis 491. & 508. incident in años V. C. 1016. & 1033. quibus añis nemo, Arsaces nomine, Armeniæ *rex* fuiſſe ab ullo ſcriptore vetere, quod ſciam, proditur: ſed anno V. C. 1016. aut Artavasdes, aut certe Tiridates Armeniæ præfuit, quem ex Zonaræ *lib. XII. Cap. XXI.* Cl. Corsinus prolatum (duce Tillemontio) inter Arsacen, & Artavasden inſerendum erudite, vereque monuit. Arsacen vero Armeniæ regem jam antea obiiſſe, & tempus ipſum perſuadet, quod is jam anno V. C. 942. circiter de regno Parthico cum Artabano fratre contenderit: & certius id conſtet ex eo, quod Tiridates ſolus Armeniæ Rex, cum filiis ſuis, jam anno V. C. 1006. memoretur ſub Gallo, & Voluſiano Augg. in præclaro illo Zonaræ loco, quem Cl.

Corsinus post Tillemontium, aut ex eo, indicavit. Anno itaque V. C. 1016. (qui esset numismati Arsacis proprius, ex calculo Cl. Corsini) nemo nomine Arsacis rex Armeniæ fuit; nec igitur numus ille (cujus alioqui species ab Armeniacis certis numis abhorret) Armeniæ regi vindicari debet, sed relinquendus est Parthorum, Persarumque monarchis.

Opponet mihi aliquis: at Arsacidæ fuere Reges Armeniæ post Arsacen, Artabani fratrem, ad Theodosium Augustum usque, teste Procopio. (*)

Repono: etiam Persiæ reges, & una Parthiæ domini, (quocunque titulo) Arsacidæ dicti sunt; igitur si ad communem aliquam, & generalem Arsacidarum appellationem res redeat, ea quoad numos Parthici commatis æque communis esse potuit Persiæ, & Parthiæ regibus, ut successoribus Arsacum, quam regibus Armeniæ Arsacidis: numi porro species nihil certi habet, cur ad Armeniæ reges referatur; omnia contra præ se fert, Parthicis monetis propria; ut adeo potiori jure ad Parthiæ monarchas rescribatur.

Neque

(*) *Procopius de bello Persico lib. II. Cap. III pag. 93. edit. Regia.*

Neque vero ostendi vetusta auctoritate posse puto, regibus Armeniæ, licet Arsacidis, ita commune fuisse Arsacis nomen, uti Regibus Parthiæ fuit, teste Justino: *ut omnes exinde reges suos Arsacis nomine nuncupent*. Sane dum Arsacidæ Armeniæ Reges, alii nomen Arsacis tantum, alii tantum nomen aliud, uti Tiridatis, vel *Artavasdæ*, a Scriptoribus obtinuere; nemo vero duplici vocabulo Arsaces Tiridates, Arsaces Artavasdes appelletur, id ipsum plane arguit: Armeniæ regibus nequaquam *commune* fuisse ac *proprium*, Arsacis nomen, etiam post Arsacen, Artabani IV. regis Parthici fratrem.

Dispiciamus alterum numisma, in quo illico Regis Regum Arsacis titulus ab se cantat, cujus sit; nempe magni Parthiæ Persiæque monarchæ, quem diadema multiplex, & *magni* titulus porro Parthiæ, ac Persiæ regibus, utique præ Armeniæ regibus, vindicandum arguit.

Quod si monetæ hujus numerales notas 508. ad Cl. Corsini Æram Parthicam exigamus, exibit annus V. C. 1033, Probi Augusti quartus, & quintus. Armeniæ rex tempore isto aut Artavasdes V. fuit, aut filius ejus anonymus: certe Arsacen nomi-

nomine fuisse non constat. Quisquis autem, cujusvis nominis, Armeniam tum rexerit, ei sane titulus Regis Regum competere minime potest. Aut enim Persarum tum amicus, seu cliens potius, fuit Rex Armeniæ, aut Romanorum? nam alterna sorte hæc patrocinia subire in more habebant Reges Armenii, (Fatente Cl. Corsino *pag. 33. ad finem.*) Si Romanis tunc studuere, Imp. Probus, recens Blemmyarum victor, & Persarum terror, id profecto non sustinuisset, nec adeo effrontes fuissent exigui illi Reges, ut se Reges Regum palam scriberent. Sane Parthamasiris Armeniæ Rex, ad Trajanum Aug. scribens, ne Regis quidem titulo uti est ausus, uti ex Dione Cl. Corsinus observat *pag. 4.* Quod si Persis tum obnoxii erant Armenii, quo pacto Rex Armeniæ se Regem Regum compellaret eo tempore, quo ipse Persarum, & Parthorum Rex Varanes II. advenientis Romani exercitus metu perculsus, a Probo Augusto pacem iterato petitam vix impetravit? (d) Denique testimonia Veterum produci debent (qualia de Tigrane produxi) ut credibile fiat, hujus sæculi Reges Armeniæ titulo Regis Regum ab se, aut ab aliis fuisse compellatos.

Ambo

(*d*) *Tillemont histoire des Empereurs Tom. III. pag. 430. Artic. VI. ex Flavio Vopisco in vita Probi, & probabiliter ex Synesio.*

Ambo igitur, quos discussimus, a Vaillantio relati ARSACIS numi, annis 491. & 508. insignes, multo probabilius ad Persarum reges, & Parthicorum regum successores, certosque REGES REGUM referendi sunt, quam ad Reges Armeniæ; ut ita rationabile plane dubium remaneat, anne momenti alicujus argumentum pro sententia sua inde arcessere CL. CORSINUS jure meritoque potuerit? Inde sequela capietur de reliquis Parthicæ speciei numis, quos ARSACIS quidem, & vero omni Regis *nomine*, atque adeo & *Regis titulo* carentes, æræ tamen Parthicæ numeris notatos, idem Eruditissimus vir dilectæ sibi Armeniæ Regibus attribuit.

DUBIUM IV.

De Arsamis Regis numo, deque numis Regum Xerxis, & Sami.

Egregium ex ære numum in Cimelio Aug. Domus Austriacæ Vindobonensi inveni, quem ego perinde, atque alii Antiquarii, legeramus bona fide: ΑΡΣΑΜΟΥ. quem etiam ut ARSAMI cuidam regi tribuendum, vulgandum curaveram, (e) &

M isthic

(e) *Regum veterum numismata anecdota, aut perrara. pag. 13. & Tab. I. Hujus numi iconem hic reddimus Tabella Num. II.*

isthic sisto accuratius delineatum. Monueram tamen literam Α initio nominis non dignosci: de reliquis nihil dubitabam.

Interea Eruditissimus Bozius, pretiosæ memoriæ Vir, Illustris Parisinæ Academiæ Regiæ, quæ ab Inscriptionibus & amœnioribus literis nomen habet, tum a Secretis, & cimeliarchii Christianissimi Regis Custos dignissimus, libellum illum nostrum illico nactus, ad nos misit iconismos duos numismatum, cimelii Regii, quorum alteri, plane integro, inscriptum est: ΒΑΣΙΛΕΩΣ. ΣΑΜΟΥ. cum iisdem omnino adjunctis titulis, qui in nostro Arsamis putato numo leguntur: ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. qui duo tituli, in nullo hactenus alterius regis numo, simul *ambo*, deprehensi sunt. Addidit Bozius etiam Xerxis Regis numisma: ambos iconismos isthic, utpote alibi fortasse nondum vulgatos, sistendos duxi. (f) Monuit me præterea Cl. de Boze: inspicerem iterum numum illum - - ΡΣΑΜΟΥ an non itidem sit: ΣΑΜΟΥ.; cum alioqui Τὸ Α initio desideretur. Itaque oculo armato numum illum accuratissime dispiciens, deprehendi, aliquam æris inæqualis maculam aut verru-

cu-

(f) *Vide Tabellam iconismorum Num. III. & IV.*

culam mihi aliisque Τȣ Ρ speciem præbuisse, ut legeremus - - ΡΣΑΜΟΥ. ubi tamen ΣΑΜΟΥ. Samis, aut Sami, tantum certo legitur, non ΑΡΣΑΜΟΥ.

Veritatem cum quæram, non gloriolam, profiteor me, quæ de *Arsamis numo* dixi, dicta nolle. Quapropter dubium hoc, cuinam denique Arsami, ex aliquot ejus nominis, quos protuli, is numus adscribendus sit, non tam solvo, quam nodi Gordii instar discindo, nullique omnino Arsami, minus Arsabi, Cappadocico, tribuendum esse declaro, aut incognito Armeniæ Regi Arsami, quos Cl. Corsinus in medium adduxit. Prætermittendæ sunt itaque & meæ, & Cl. Corsini, prolixiores ea de re conjecturæ, ne aërem verberemus.

Doctissimus de Boze p. m. indicarat mihi: suspicari se, ex numo Xerxis Regis, qui fere simili mitra, seu tiara conica ornatus, veluti Sames, comparet, Samen Regulum item fuisse Armosatæ, seu Arsamosatæ, uti Xerxes certo fuit teste Polybio. (g) Inspecto Polybii eo loco, tum primum animadverti, me in adjectitia aliqua, ad dissertatiunculam

(g) *Excerpta Polybii ex lib. VIII. de Virtut. & Vitiis, ad finem.*

lam de Arſame, conjectura ſuper Armoſatæ vel Arſamoſatæ controverſo vocabulo, erraſſe in Xerxis acceptione; eo quod Harduino (non inſpecto ipſo Polybio) in tali conjectura tum fiderem, quæ ad ſummam parum faceret. (h) Eo de errore me etiam deinde Cl. Corsinus merito, ut candide fateor, coarguit; quare eundem retractatum volo. Libet locum Polybii integrum referre, ad illuſtrandum hujus Xerxis ſingularem numum, & quædam amplius declaranda: „ Quod regnante Xerxe ſuper Armoſata urbe, qnæ ſita eſt ad campum pulchrum dictum, in medio inter Tigrim, & Euphratem, ei urbi arma admovens Antiochus Rex, eandem obſidere pararit. Apparatum Regis contemplatus Xerxes, primo quidem in fugam ſe dedit: paullo poſt vero metuens, ne capta ab hoſtibus regia ſua, reliquum etiam regni ſui perſum iret; conſilium mutavit, miſitque ad Antiochum, profeſſus, velle ſe ad colloquium venire. Itaque fidi (*Antiocho Regi*) amici ſuggeſſere, non eſſe dimittendum adoleſcentem, quem in poteſtate haberent: ſed ſuaſere (Antiocho) ut occupata urbe (Armosata) provinciam illam traderet Mithridati, qui erat filius ſororis ipſius (Antiochi)

(h) *Regum veterum numismata anecdota aut perrara. pag. 27.*

„ CHI) secundum naturam. Sed Rex eos non audiit, „ verum accersens adolescentem, inimicitiam dissolvit, remisitque eidem maximam partem reliquorum veterum tributorum, quæ Pater ipsius persolvere debuisset: porro acceptis illico trecentis talentis, & mille equis, totidemque mulis, cum „ congruo instrumento, omnia, quæ ad eum principatum pertinerent, ordinavit, collocataque ipsi „ (XERXI) sorore sua Antiochide, omnes eorum „ locorum incolas in sui amorem pertraxit, quippe qui magno atque regio animo in his usus esse „ videretur.)

Cl. CORSINUS, post relatam hujus loci epitomen, ita citra omne dubium Antiochum Regem Syriæ designat, a quo hæc gesta sint: „Perspicuis his characteribus *manifestissime apparet*, quód Antiochus ille, qui „ Antiochidem sororem suam Ariarathi Cappadociæ Regi desponderat, & sororem aliam, quæ „ fortasse Eumeni Regi destinata fuerat, Xerxi Armeniæ Regi destinata fuerat, non alius profecto „ fuit, quam ANTIOCHUS cognomento *Magnus*, qui „ in Syria ab an. V. C. 530. ad annum usque 566. „ regnavit.)

M 3 Enim

(i) *Dissertationis pag. 60.*

Enim vero mihi hac de re propemodum plusquam dubium suboritur, an non contra *manifestissime appareat*, Antiochum Syriæ Regem, qui Xerxem istum benigne suscepit, quique sorores duas, prædictis regibus desponsatas habuerit, non fuisse Antiochum *Magnum*, seu *tertium* ejus nominis, sed Antiochum IV., qui Θεὸς *Epiphanes* in numis legitur, quique ab anno V. C. 577. vel 578. annis deinde integris undecim regnavit.

Ex Diodoro, & Polybio res continuò palam fiet: Diodorus (k) Ariarathem V. Cappadociæ regem perhibet duxisse uxorem Antiochidem, *Filiam Magni dicti* Antiochi, atque ex ea paullo serius *Filium Mithridatem* genitum fuisse commemorat. Porro Mithridatis istius matrem Polybius, laudato loco, ejus *Antiochi sororem* testatur fuisse secundum naturam, qui Xerxem Armosatæ regem benigne habuit: fuit vero Antiochi III. magni filius Antiochus IV, uti nemo ignorat; & filia itidem Antiochi III. magni, fuit *mater Mithridatis* ex Diodoro; ergo is Antiochus, cujus *soror* erat mater Mithridatis

(k) *Ecloga ex Diodori Siculi lib. XXXI. Cap. III. pag. 895. edit. Wecheliana, ita*: Ἀριαράθης βασιλεύει καθ' ἑαυτὸν, καὶ μεταλλάσσων τὸν βίον κατέλιπε τὴν βασιλείαν Ἀριαράθῃ τῷ υἱῷ νηπίῳ παντελῶς ὄντι τὴν ἡλικίαν. ὅτος δὲ ἔγημε θυγατέρα τοῦ μεγάλου κληθέντος Ἀντιόχου ---- Μετὰ δὲ τινα χρόνον τῆς φύσεως ἐπιδεξαμένης ἀνελπίστως τεκεῖν αὐτὴν δύο μὲν θυγατέρας, υἱὸν δὲ ἕνα τὸν ὀνομασθέντα Μιθριδάτης.

tis, fuit ANTIOCHUS IV. q. e. d. Pariter altera Antiochi IV. ſoror (Antiochi III. non ſoror, ſed filia) oblata fuit Eumeni Pergameno. Ita enim Eumenes ipſe loquitur apud POLYBIUM, de iis, quæ Antiochus III. magnus tentaſſet: (l) „ ANTIOCHO „ *enim id agente, ut nobis filiam daret.*) Eſt vero citra dubium hic ſermo de ANTIOCHO III. MAGNO. Neque hanc partem omnino negat CL. CORSINUS, qui *eadem pagina LX.* filiam ANTIOCHI Eumeni deſponſam ſcripſit, ſed paullo poſt, forte errore calami, Sponſam Eumenis, eandem ANTIOCHI ejusdem tertii & magni SOROREM appellat.

Confirmat noſtram ſententiam porro APPIANUS (m) ubi de Antiocho *magno*, ejusque *liberorum nuptiis* agit, ita ſcribens: *Antiochidem vero mittebat Ariarathi regi Cappadocum, & reliquam Eumeni regi Pergami.* (n) Nempe Antiochi magni *filia* fuit & Antiochis Ariarathi data, & altera Eumeni oblata.

Quodſi POLYBIUM conciliare penitus cum APPIANO libeat; dicendum eſt: ANTIOCHIDEM, filiam Antio-

(l) *Polybius in Excerptis Legation. XXV. pag. 1140.* Ἀντιόχου γὰρ σπεδαζοντος ἡμῖν θυγατέρα δοῦναι. *Antiocho vero id agente, ut nobis filiam daret.*
(m) *Appianus de bellis Syriacis pag. 88. Henrici Stephani.* Γαμȣς δὲ τῶν παιδῶν ἔθυεν Ἀντιοχȣ ϗ Λαοδίκης - - - Ἀντιοχίδα δ' ἔπεμπεν Ἀριαράθῃ τῷ καππαδοκῶν βασιλεῖ, ϗ τὴν ἔτι λοιπὰν Εὐμενεῖ τῷ Περγάμȣ βασιλεῖ.
(n) *Appianus ibidem pag. 131.*

Antiochi III, quæ antea Ariarathi data, eidemque Mithridatem peperit, deinde Xerxi ab Antiocho quarto collocatam fuisse forte viduam; aut duas Antiochi magni filias nomen Antiochidis tulisse. Polybio soli potius si pro merito deferimus, & duas Antiochides sorores si non admittimus, Appianum dicemus Antiochidis nomen sororum alteri, contra quam oportebat, tribuisse; uti idem paullo post Antiochi IV. & quinti regni annos confundit (o) attamen certum semper: (ut ut hæc se habeant) illud manet: ab Antiocho IV. Θεῷ Epiphane Sororem Antiochidem Xerxi sponsam esse attributam.

Itaque non anno V. C. 560. florebat Xerxes Armosatæ rex, sed circa annum V. C. 588. (quo tempore Antiochus IV. per Mesopotamiam in orientem profectus est, (p) alteroque anno misere interiit) Xerxes juvenis regnare cœpit, diu, numo teste, regnaturus.

Eadem expeditione Antiochi IV. in orientem suscepta, nempe paullo ante mortem, Artaxiam, partis Armeniæ regem, captum fuisse, binis locis me-

(o) *Petavii Chronicon, & Chronologi communi fere sententia.*

(p) *Appianus de bellis Syriacis pag. 117. & 131.* Ἐστράτευσε δὲ καὶ ἐπὶ Ἀρταξίαν τῶν Ἀρμενίων βασιλέα, καὶ τυλὸν ἑλὼν ἐτελεύτησεν.

memorat Appianus (*) Xerxes quoque quaſi captus (teſte Polybio) in poteſtate Antiochi IV. fuit. Artaxias vero, & Zadriadres jam ſub Antiocho III. a Syriaco regno defecerant, Armeniam inter ſe partiti, cujus minorem partem occidentalem Zadriadres obtinuerat. (q) Quare Xerxem, Armoſatæ regulum, Zadriadris filium, aut Succeſſorem fuiſſe ſuſpicor, qui a majore potioris Armeniæ rege Artaxia ad ſocietatem belli inductus fuerit, atque deinde Antiocho IV. exercitum adducenti ſe ſe ultro dediderit, Artaxia eadem expeditione capto.

Quis vero Sames ille, ſeu Samus Rex, quove tempore, & cujus regni habenas moderatus ſit, haud ita facile definiri poteſt. Eruditiſſimus de Boze ex mitra, ſeu cidari, in cuſpidem deſinente, & ex averſæ partis figura ſimili, quæ Victoriam ſtantem refert, modeſte conjecerat: Samem ſeu Samum hunc Armoſatæ regulum fuiſſe, uti Xerxem; quia nempe Vindobonenſis numus Regis ΣΑΜΟΥ, caput ita fere mitratum exhibet, ſicut numus Pariſinus caput Regis ΞΕΡΞΟΥ. Accedit: fabricam numi Pariſini Sami regis (qui diverſo capite eſt a Vindo-

N

(*) *Appianus de bellis Syr. p. 117. & 131. vide notam præcedentem, huc reponendam.*

(q) *Strabo Lib. XI. pag. 801. & circa finem pag. 804. edit. Amſtelod. fol.) (Polybius in Excerptis Legat. 59. mentionem Artaxiæ facit, Regis Armeniæ, quoad ejus regionis maximam partem.*

dobonensi) cum Victoriæ figura, accedere ad speciem numi Xerxis, quam similitudinem animadvertere potuit Bozius, qui ambos illos numos delineandos curavit.

Subvereor tamen, ut ista satis sint, ad asserendum: Sami quoque numum ad Armosatenos Reges esse referendum. Abgarorum Edessæ regulorum, in Mesopotamia, numi caput exhibent simili tiara tectum, ut in multis Parthiæ Regum numis occurrit, neque fabricæ modus a quibusdam Parthicis abludit; quin inde Abgaros Parthiæ regibus inserere liceat; Victoriæ verò typus admodum frequens est.

Inquisivi nonnulla diligentia, numnam Samus aut Sames nomine aliquis se offerret, cui non inepte numi illi duo tribuerentur. Omitto hic Samum vetustissimum Ancæi filium, de quo Pausanias. (r) Alterum item classis Lacedæmoniorum præfectum, tempore Cyri Regis, apud Diodorum Siculum (s) Neque huc facit Sambus, seu Sabus vel Samus rex Indiæ, apud Curtium (t), & alios

Nimi-

(r) *Pausanias in Achaicis, seu Lib. VII. Cap. IV. initio.*
(s) *Diodorus Siculus lib. XIV. pag. 249. & 250.* (t) *Curtius lib. IX. Cap. VIII. Sabum & Samum appellat. Arrianus Sambum, vocat & Diodorus: sed Sabbam Plutarchus.*

Nimium vero recens mihi videtur pro numis ΣΑΜΟΥ Zames ille, Cabadis Regis Persiæ filius, & frater Chosröis, quem Persæ Chosröi subrogare cupiebant, ni oculi vitio excluderetur, teste Procopio. (u)

Quod si Sami istius Regis, cui numi debentur, aliqua in vetustis scriptoribus extat memoria, fortasse Samus ille huc quadrabit, quem Polybius (x) Chrysogoni filium, atque cum Antiocho III. magno Syriæ rege educatum fuisse, perhibet his verbis: „ Jam tum elegantis ingenii sui specimen edere incipiente Samo, Chrysogoni filio, qui una cum Rege fuerat educatus.)

Chrysogonus porro Philippi Macedoniæ Regis *amicus*, (y) & dux copiarum Antiochi Magni in Græcia fuit, (z) Polybii fide. Hujus igitur Chrysogoni filio, Συντρόφῳ suo Samo, Antiochus magnus Dynastiam quandam ad Euphratem dedisse videtur, cui titulum regis aut ipse Antiochus III, aut ejus filiorum alter Seleucus, aut Antiochus IV. adjecerit; nisi Samus id ipse sibi arrogarit. Equidem id unum

 desi-

(u) *Procopius de bello Persico lib. I. cap. 23. initio pag. 66. edit. Regia.* (x) *Polybius histor. lib. V. pag. 499. edit. Amstelod.* Ἤδη τότε τῆς ἐπιδεξιότητος τῆς τοῦ Σάμου φυομένης ὃς ἦν υἱος μὲν Χρυσογόνου σύντροφος δὲ τοῦ βασιλέως.

(y) *Polybius in excerpt. de Virtut. & vitiis Lib. VII. pag. 1371.* (z) *Idem lib. V. histor. pag. 508. & 609.*

desideratur, ut auctoritate aliqua SAMUM istum REGEM appellatum fuisse, stabiliri possit. Cetera enim vero probe congruere videntur, tempus sub Antiocho IV, Xerxi regi Armosateno conveniens, cui vicinum regnum circa SAMOSATA, urbem ab hoc SAMO probabiliter extructam, idem SAMUS possederit: unde & ratio similis ornamenti capitis reddi poterit. SAMOSATA Urbem vero ab hoc SAMO extructam fuisse, aut in ejus memoriam, probabile facit primo exemplum Urbis, nomine ARTAXIASATA, ab Hannibale ARTAXIÆ regis Armeniæ honori conditæ, circa hoc idem tempus, teste STRABONE. (a) Deinde comprobare videtur silentium Scriptorum hac ætate vetustiorum de SAMOSATIS, usque probabiliter ad POLYBIUM, (b) qui post Antiochi III. tempora proxime floruit, quique, quod meminerim, (apud STRABONEM) primus Samosata urbem appellat.

Comprobat hæc omnia numus *Sami Regis* a desideratissimo BOZIO prolatus, qui (uti ipse animadvertit) capite radiato non refert regem SAMUM, qui in numo nostro cidari ornatus, alioque vultu comparet, sed fortasse Phœbum. Mihi vero, e similibus Antiochi IV. numis, eo capite radiato, ipsius ANTIOCHI IV. Θεοῦ *Epiphanis* imago repræsentata

(a) *Strabo lib. XI. pag. 801. edit. Amstelod. fol.* (b) *Polybii continuata excerpta, uti quidem videtur, apud Strabonem lib. XIV. pag. 976.*

tata videtur, qui primus Regum Syriæ, quod sciam, in numis, præter usurpatum impie DEI titulum, *corona radiata* caput amicivit. Suspicari itaque licebit, ab Antiocho IV. auctam fuisse Samo dynastiam, & fortasse adjectum *Regis* titulum, cui additus in numo titulus ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ *cultoris DEI* nescio, an non ad reverentiam Antiocho IV. Θεῷ ab rege cliente præstitam, atque ad detestandam adulationem sit referendus.

Fateor lubens, non nisi conjecturas esse has, queis Samo, Chrysogoni filio, Numos duos ΒΑΣΙΛΕΩΣ, ΣΑΜΟΥ. ΘΕΟΣΕΒΟΥΣ. ΚΑΙ. ΔΙΚΑΙΟΥ. interea adscribi posse opinor, dum aptior Samus denique alius detegatur. Attamen mihi blandior, tantundem, aut forte plusculum probabilitatis inesse huic conjectationi, atque illi, qua Adinnigai, seu Minnisari Regis numus tribuitur Manisaro cuidam apud Dionem, tanquam Armeniæ regi.

Porro ex hisce duobus numis Sami, regis aut in Armenia, aut in vicinia, atque Xerxis uno, qui Armosatenus regulus in Armenia fuit, rursum argumentum colligo, quo probabiliter Adinnigai seu Minnisari numus Armeniæ regum monetis abjudi-

candus est ; quippe cujus capitis specie sabludit ab omnibus TIGRANIS, XERXIS, SAMIQUE numis, quos denique, duorum priorum præcipue, solos Armeniacorum regum numos certos novimus: itemque ab omnibus Romani commatis aberrat numis, in quibus Armeniacæ tiaræ imagines, cum Armeniæ mentione, comparent.

In Parisino numo SAMI Regis, qui altera ex parte caput radiatum Antiochi IV. regis Syriæ, ut opinor, offert: altera ex parte sub nomine SAMI regis leguntur literæ numericæ ΛΓ seu XXXIII. quas ego regni Samosateni, aut vicini, Regis SAMI esse arbitror; quæ res cum ætate SAMI, filii Chrysogoni (qui ab Antiocho III. Magno primum regis titulum obtinuerit) egregie consentit: Post Antiochum III. enim regnavit annis XI. Seleucus IV ejus filius: post hunc annis totidem Antiochus IV, Seleuci frater, cujus tempore numus SAMI, cum capite Antiochi IV cusus fuit, signatus *anno* regni SAMI XXXIII, quod inceperit ante ultimum Antiochi III decennium, qui regnum Syriæ annis XXXVI completis moderatus fuerat.

Victoriæ Figuram (quæ in XERXIS numo stans, d. coronam, s. scutum ad terram detinens: at in

SAMI

Sami numo Parisino quasi gradiens, sine scuto, exprimitur) suspicor ad regum horum, vel alicujus Syriæ regis victoriam pertinere, quam ambo reges clientelares Patrono suo gratulantur, sive in Sami numo ea sit de Artaxia ab Antiocho IV^to^ relata, sive in Xerxis jam adulti, & barbati numo, serior multo, posteriorum temporum. Illud certum est, similes duos victoriæ typos in numis Regum Syriæ, sub Seleuco Nicatore, & sub successoribus sese offerre; ut id ipsum admoneat, ad Syriæ regem quendam Seleucidam illam victoriæ figuram, præsertim cum capite radiato Antiochi IV, in Sami numo, referri posse.

Tertia denique hac parte expedienda offeruntur dubia: primo de Vologæsis III numis, e quibus propemodum certo demonstratur, initium Æræ Parthicæ, quæ numis inserta est, illud omnino admittendum, aut proximum ei, quod Vaillantius constituit, aut certe longiuscule abscedens ab illo anno, quem Cl. Corsinus assignavit. Deinde de postremis Arsacum numis, qui annorum notas exhibent, merito ambigitur, an iidem ad Armeniæ reges referri, salvis critices numariæ regulis, possint? Demum de numis regis Sami (non jam Arsamis) id unum disceptari poterit: rectene iidem Samo, Chrysogoni filio, aut

cui-

cuinam tandem rectius tribuendi videantur? De Xerxe, Armosateno rege, certum habeo, eundem sub Antiocho IV, Syriæ rege, ac deinceps, non sub Antiocho III. magno, floruisse.

Cum libellus hic noster jam typis exscribi cœpisset, allata est ad nos fama, summe Reverendum Patrem Eduardum Corsinum, Virum a plurimis scientiis, ac virtutibus instructissimum, atque Literatæ Italiæ insigne decus, concordibus suffragiis sacri sui & illustris Ordinis caput renunciatum fuisse. Hunc eminentem honoris gradum, Viri summi meritis congruum, ex animo eidem gratulamur, atque ab sapientissimi Viri æquitate, candidoque veritatis studio, id nobis pollicemur: non accepturum eum in sequiorem partem, nostram hanc exercitationem, quam non litigandi, sed proficiendi, discendique desiderio, uti sub initium diximus, nos conscripsisse profitemur.



I



II



III



IV



